Hi
9535

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM
ANNO
MDCCLXIII.

publicata.

Cum Regis Pol. atquè Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. et IOH. LUCHTMANSIOS: et Amſtelodami in SCHREUDERI et MORTIERII iunior. officinis.

MDCCLXIV.

Digitized by Google

LECTORI.

S.

Tarde ad Te venit Actorum Eruditorum Volumen, quod anno LXIII. prodire oportebat; ſed non excuſamus hanc tarditatem, propterea quod quas olim remoras accuſabamus, eae nos tenuerunt adhuc omnes. Tamen ita res noſtras inſtituemus deinceps, ut non noſtram magis tarditatem, quam duritiem ſuam accuſare debeant bonorum Librorum auctores, qui inde a morte Menkenii, quaſi ex condicto, nihil ad nos, etſi rogati ſaepius, mittunt. Nos iſtam doctorum Virorum erga Actorum Eruditorum Collectores tenacitatem, parum abeſt quin contemptum interpretemur; quem profecto ne-

vata integro paene Seculo, commodo littera- rum, opera, meruiſſe cenſeri non poteſt. Fit igitur, ut libri multi, pleni bonae frugis, et quos penitius noſci omnino reipublicae litterariae intererat, aut plane ad nos non veniant, etiamſi noſtro aere redimere velimus; aut multorum demum annorum ſpatio elapſo, cum fere exciderunt e memoria hominum. Quae cum ita ſint, uti ſunt omnino, rogamus viros litterarum amantes, ut ſint memores noſtri, ut ſuſtentent bona de nobis exiſtimatione ſtudia noſtra, atque ita ſibi perſuadeant, nos, quo tramite coepimus bonarum litterarum augmenta et decora poſteritati commendare, in eo hoc alacrius progreſſuros, quo plures et amicos et faventes Lectores habuerimus. *Vale.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCLXIII.

DESCRIPTION DES PIERRES GRAVEES DU feu Baron de STOSCH, etc.

i. e.

GEMMAE SCALPTAE BARONIS STOSCHII, deſcriptae, et dicatae Eminentiſſimo Cardinali ALEXANDRO ALBANI, opera et ſtudio Abbatis WINKELMANNI, qui eſt Eminentiae huic a Bibliotheca.

Florentiae, apud Andream Bonducci MDCCLX. Alphab. 3. plagg. 6. excepta aliquot plagularum praefatione, et tabb. nonnullis aeneis, in 4.

Qui in quocunque diſciplinarum genere excellere, et ſupra mediocritatem ſeſe extollere cupiunt, eos omnia ſibi comparare ea, ac diligenter cognoſcere oportet, quibus ad interiorem litterarum ſcientiam pervenire datur. Magnus ille Scaliger, cum ad Hiſtoriam, omnibus fere divinarum humanarumque artium praeſidiis ornatus accederet, quot ille praeiudicatas opiniones, quot opinionum monſtra deturbavit. Eſt omnium intelligentium conſenſu, in accurata numorum et ſigillorum veterum cognitione, magna ad Scriptores veteres rite interpretandos facultas; omnesque ii praeclaram explicandis iis ope-

Digitized by Google

ram collocarunt, qui his opibus inſtructi, interpretes orirentur: in quorum numero facile Graevium atque Spanhemium ponas, quorum poſtremus Commentariis ſuis ad Callimachum egregie docuit, quantum in re numaria, ad veteres intelligendos, praeſidii ſit, quantum ſuppetiarum.

Exortus eſt noſtris temporibus *Stoſchius*, Vir clariſſimus atque doctiſſimus, in Germania natus, eruditus in Italia, et ad miraculum excultus antiquitatis omnis ſcientia. Hic igitur *Stoſchius*, dum viveret, omnem operam laboremque per quadraginta annos integros in eo poſuit, ut gemmas lapidesque omnes, in quibus ſapiens illa vetuſtas elegantiae ſuae veſtigia impreſſerat, colligeret; in eoque quadraginta paene annorum ſtudio eventus ita Summi Viri optatis reſpondit, ut eius in hoc genere divitiis nullius copiae ſint aequiparandae. Tantum enim gemmarum apparatum coëgit, ut, ſi iis, qui ante eum in re tali elaborarunt, tam amplae contigiſſent divitiae, multa credamus accuratius diſputaturos fuiſſe. *Chriſtius*, ornamentum quondam litterarum quae ab humanitate appellantur, et rei antiquariae intelligentiſſimus, Collega olim noſter coniunctiſſimus, in *Dactyliotheca* ſua multa quidem egregie diſputavit; quid autem praeſtiturum fuiſſe putes, ſi, quemadmodum *Stoſchius*, fortunae benignitate, et aliorum liberalitate, bono litterarum adiutus fuiſſet? Quae penitus erant occluſa abditaque virorum principum Dactyliothecis, ea Stoſchio patuerunt omnia; et ſane ad tam vaſtum tamque continuum aedificium, quale eſt illud Stoſchianum, conſtruendum, multa atque abundante materie opus erat. Videbimus deinceps, Stoſchium, ad modum ſapientis Architecti, in hac re ita eſſe verſatum, ut pauci ei aequiparandi, anteferendus nemo ſit.

Capita, ut hoc primo loco afferamus, quae ad Mythologiam Aegyptiorum pertinent, quam et rebus, quae raritate commendantur, et eruditione referta ſunt? *Iablonskius*, vir in hoc litterarum genere verſatiſſimus, nihil eſt comparatus ad *Stoſchium*, ſi divitias numerumque conſide-

res.

Digitized by Google

res. Tanta in hoc libro doctis hominibus meſſis propoſita eſt, ut publice profiteamur, librum omnium puncta laturum eſſe. Hunc igitur laborem, qui excutiendis ſingulis pagellis ſubeundus erat, lubentes recepimus, quia perſuaſum nobis erat, librum eorum ſtudiis, qui in hoc litterarum genere aliquantum profecerunt, mirifice profuturum; et eos etiam, qui ab his litteris alieni ſunt, ſuavitate, utilitate, ſcribendique generis elegantia invitaturum eſſe. Atque haec omnia ſciant *Winkelmanno* ſe debere, cuius laudes atque celebritatem, nemo illorum omnium, qui antiquitatis ſcientia clari ſunt, quocunque terrarum in angulo, aſſecutus eſt.

Eſt hoc in omni diſciplinarum genere ſummum, quod certe experientia et aliquo uſu cognovimus, ut quaeratur, cur, et quomodo aliquid ſit. His quaſi terminis univerſa eruditio circumſcripta eſt. In capite, verbi cauſſa, quod eſt de gemmis Etruſcis, et Graecis, multae ſunt copioſae diſputationes, in quibus quaeritur, num ſcalptura ſit operis Etruſci, nec ne? Haec quaeſtio ita componitur, ut cauſae ſemper ſubiiciantur, et lector quaſi in viam ducatur, *ut intelligat*, quomodo ſit in iudicando progrediendum, et quorſum mens intendenda ſit: vide *Praefat.* pag. IX. et XIV. Multum, ut ingenue fateamur, lectio libri nobis profuit ad iudicium acuendum, commemorandis cauſſis et criteriis, quomodo opus Aegyptiacum a Graeco differat, et cur ita differat. Conſtitutis his praeceptis, multa *la Pluche*, *Iablonſki*, aliique attulerunt veterum monumenta, quae male explicata ſunt.

Semper hoc in multis libellis recentioribus intelleximus, (in quo nos omnes aequos rerum aeſtimatores conſentientes habituros eſſe credimus,) eorum auctores, ubi laudant loca veterum, ea vel ex inepta interpretatione vernacula, aut ad ſummum Franco-Gallica, laudare: ſed multum abeſt, ut iſte liber his vulgaribus libellis ſit annumerandus, ut potius nobis perſuaſiſſimum ſit, auctorem veteres cum iudicio critico legiſſe. Quod ut omnino comparatione,

tione, ita maxime ex iis apparet, quae ad eos illuſtrandos afferre ſolet. Locus de *Aegide* Iovis, pag. 40. ubi docet non ſcutum Iovis eſſe, lectione dignus eſt. Quid ſit *Trothus* veterum, omnium haud dubie optime explicavit. Sect. XII. pag. 150. de diſcrimine inter *Peplum* et *Stolam*, de quo inter eos, qui de Re Veſtiaria Veterum ſcripſerunt, vehementer diſputatum eſt, ita definit, ut doceat, Peplum iam Homeri temporibus amiclum virginum Graecarum fuiſſe, ſiquidem eas ἕλκυσι πέπλυς appellat. conf. Sect. II. num. 39. pag. 11. et pag. 171. Multae gemmae ſigillaque rariora afferuntur, quae in nulla unquam collectione apparuerunt, et propter inſignem raritatem et antiquitatem cognoſcenda ſunt. Regum eſſe dixeris, ſumptibus comparandis talibus ſufficere, et incredibilis diligentiae tot undique gemmas colligere. Opus enim totam Mythologiam Aegyptiorum, Etruſcorum, Graecorum, Romanorumque, eorum caerimonias, ritus, res memorabiles geſtas, et ſigna ſummorum virorum complectitur. Ut ſeries Hiſtoriae atque Mythologiae conſtaret, Paſtae vitreae antiquae, aliaeque recentiores, ad fidem veterum expreſſae, in ſubſidium advocandae fuerunt. Illae quidem Paſtae, ſaepius, propter inſignem raritatem, ut ſigna ſcalpta magni facienda ſunt; et ſunt in collectione quaedam, quae nusquam inveniuntur: v. c. *Iupiter*, *Nereus*, *Bacchus*, aliae. Sed dicamus aliquid de gemmis, quae novitatis nomine ſe commendant. Inter deos Aegyptiorum, *Harpocrates*, raſo capite apparet: *Iovis Muſcarii* ſignum, quod quale ſit antea non conſtabat, Paſta antiqua expreſſum exhibet. Qualis ſit Cupido κληδῦχος, nemo facile dixerit; eius ſignum Stoſchianae ſcalpturae exhibent. Inter antiquiſſimos lapides referendus eſt is, qui quinque Heroes Thebanos, cum ipſorum nominibus Etruſce ſcriptis, refert. Porro lapis ſignatus antiquiſſimi operis, litteris Etruſcis ornatus, in quo Tydei, qui eſt inter illos quinque Heroas, ſignum, cum nomine, Etruſce ſcriptum eſt.

Signa

Signa lapidum non aerae exſcripta ſunt, quod tamen neceſſarium videbatur; ſed huic rei ab auctore ita proviſum eſt, ut quae affert ſigna, ea cum aliis quae iam expreſſa ſunt comparet. Semper laudat antiquiſſimae vetuſtatis monumenta, quae aut Romae, aut aliis in locis extant, et ita minore ſumtu lectoris intelligentiam adiuvat. In numis Graecis exprimendis ſemper auctoritatem *Golzii* atque *Begeri* ſequitur, quia in iſtorum operibus numorum ſigna omnium diligentiſſime expreſſa ſunt. In explicandis ſignis numorum gemmarumque, multos conſtat, praeiudicata aliqua opinione captos, turpiſſime ſaepius lapſos eſſe; et interdum vehementer cavendum eſt, ne iudicium praecipitetur, quia tempus Graecis multarum ſymbolicarum imaginum ſignificationes abſtulerat. Ipſe Pauſanias, diligens antiquitatum Graecarum inveſtigator, ingenue fatetur, ſe neſcire, cur Theognetus manu malum granatum et nucem pineam teneret. Hanc etiam prudentiam cum ſumma modeſtia atque humanitate coniunctam in auctore mireris, ita ut non trahere, ſed perſuadere, non cogere, ſed in ſententiam ſuam allicere lectores, argumentis atque illuſtrationibus quaſi in *oculos* incurrentibus, videatur. Sunt hinc inde verborum Graecorum explicationes quaedam, longius noſtra opinione repetitae; ſed de iis, ut de aliis rebus, deinceps videbimus. Liber omnis octo Claſſibus abſolvitur, quarum priores tres Mythologiam Sacram et Hiſtoricam complectuntur. Dicemus de ſingulis. Exhibet igitur

Prima Claſſis

Lapides Aegyptios, aut ad cultum deorum Aegyptiorum pertinentes, cum quibusdam ſigillis ſcalptis veterum Perſarum.

Sectio I.

Hieroglypha.

Num. 1. Lapis Nephreticus. Fragmentum. Diſtinctus eſt litteris Hieroglyphicis, in quibus extat oculi orbita, quae ſaepius in Obeliſcis conſpicitur. Oculus ſymbolum

Digitized by Google

Oſiridis fuit, et providentiam expreſſit. Aegyptii valvas templorum, oculis ſummo opere perfectis ornare ſolebant, propterea quod deum omnia videre conſtaret. Deus totus viſus, ait Plinius.

Num. 2. Lapis Lazuli figura Scarabaei, oculus cum ſuperciliis, et infra oculum ala *avis Numidicae* dictae, ſuſpenſa cum manu conſpicitur, quae ex orbita oculi eminet. Clemens Alexandrinus docet, alam velocitatem et celeres ingenii motus indicare; manus autem hoc loco actionem mentis, quam Philoſophi Perceptionem vocant, exprimit.

Num. 7. Cornalinus uſtus, figura Scarabaei. Apparent litterae Hieroglyphi caecum Sphynge barbata. Talis Sphynx conſpicitur in tabula Iſiaca, et in Kircheri Oedipo. Poeta Philemon, qui apud *Athenaeum* Dipnoſ. XIV. pag. 39. de Sphynge maſcula loquitur, de illa barbata fortaſſe cogitavit. Litterae hieroglyphicae, quae in hac gemma, et in quinque aliis, quae deinceps commemorantur, apparent, nuſpiam conſpiciuntur.

Num. 34. Paſta vitrea. Sphynx velata, recubans ore muſtelae, caudam mordens, delphine in ſuperiore parte expreſſo. Sphynx fere ſemper Nili ſymbolum fuit, et inde fit probabile, muſtelam magnum illum animalculorum numerum exprimere, quae in limo iſtius fluvii naſcebantur, quarum quaedam, auctoritate veterum, perfectioni vicinae, velut ſeminatae apparebant.

Sectio II.

Iſis et Oſiris.

Num. 39. Paſta antiqua: templum Iſidis cum clypeo huius deae in fronte. Apparet in frontiſpicio Globus, et alae cum duobus ſerpentibus prominentibus. Aelianus Hiſt. Anim. X, 23. ait, Aegyptios porticuum frontiſpicia plumis ornaſſe; locus fortaſſe de his alis intelligendus eſt.

Num. 61. Chalcedonius: Iſis ſtans, circumdata circulo, radiis ſolis diſtincto, qui ad utrasque eius manus deſcendit. In latere leguntur litterae hieroglyphicae, quae per mediam

Digitized by Google

diam gemmam eunt. Circulus haud dubie plenilunium, et Iſis Lunam refert. Caeterum, circulum aliquis etiam limbum exiſtimare poſſit. Scalptura ipſa non eſt inferior imperio Imperatorum Romanorum, quia in clypeo Claudii eiusmodi circulus conſpicitur.

Num. 63. Cornalina. Iſis ſedens, ulnis filium Horum tenens. In lapide hoc inprimis notandum eſt, Iſidem geſtum habere ingerentis digitum in os Hori, cum in aliis gemmis lactentis ſpeciem exhibeat.

Num. 78. Paſta antiqua. Vas cum planta, cuius caulis ab utraque parte tribus ramis ornatus eſt. Haec planta imaginem magni illius Candelabri in templo Hieroſolymitano refert. Planta Loti fere ſpeciem habet, et fortaſſe Candelabrum Hieroſolymitanum exemplum eſt talis Candelabri; quia candelabra, quae Aegyptii diis ponebant, vel ſex aut pluribus ſcapis ornata erant. Hoc quidem non dixerimus. Ea opinio, Deum exempla cultus, quem Iſraelitis praeſcripſerat, ab Aegyptiis ſumſiſſe, fuit quidem ornata a *Marſhamo* et *Spencero*, ſed exploſa a *Pfaffio*. Nam profecto in omnibus rebus, argumenta quae a ſimilitudine rerum ducuntur, non magni ſunt ponderis.

Sectio III.

Harpocrates.

Num. 81. Agath-Onygius. Clypeus Harpocratis, reticula circumdati: *Perſea* quem dicunt, in capite et in pectore globum gerit, equo bini ſerpentes extant. Caput raſum habet, parva capillorum particula pone aurem dextram et circo excepta, qui per humeros deſcendit. Hoc propterea tenendum eſt, quia iſte deus nuſquam raſus conſpicitur. Secerdotes quidem Aegyptiorum, capite, totoque corpore raſi fuerunt; ſed nemo unquam talem Harpocratem vidit. Macrobius ait, Aegyptios ſolem capite a ſiniſtra parte raſo pinxiſſe: quod egregie cum gemma hac quadrat. Locus iſte Macrobii *Iablonskium* fugiebat.

Sectio

Digitized by Google

Sectio IV.

Anubis et Canopus.

Num. 106. Cornalinus. Anubis Caduceum ſiniſtra, et palmam dextra tenens. In nullo antiquo monumento Aegyptiaco Anubis cum Caduceo conſpicitur.

Num. 112. Chalcedonius. Anubis rectus dextra fulmen vibrans, et ſiniſtra ſceptrum tenens. Fulmen eſt operis Graeci, et ei a Romanis datum eſt. Nam Aegyptii ſemper coelo ſereno gaudent, neque fulmina vident, neque tonitrua audiunt.

Num. 127. Sigillum e lapide Chalcedonio. Sacerdos Perſa mactans ad aram victam, quae cervae figuram habet, et in ipſa ara haſta proiecta conſpicitur. Non contenderim, Perſas haſtis divinum cultum, ut antiquiſſimos Graecos, Scythas, et Germanos tribuiſſe: cultrum fortaſſe exprimit, quo in mactandis hoſtiis ſacerdotes utebantur. Hoc autem affirmarim, haſtam et ipſum ſigillum eſſe antiquiſſimum, et Perſicum; quia ſigna Perſarum nunquam nuda, ſed ſemper veſtita conſpiciuntur; nam nuditas apud eos mali ominis habebatur.

Claſſis Secunda

Complectitur Mythologiam Sacram, aut Hiſtoriam deorum Graecorum, Etruſcorum, Romanorum, cultum et cerimonias ſacras.

Sectio I.

Saturnus.

Num. 3. Paſta vitrea. Terna Saturni capita velata, cum falce. Conſtat apud omnes, in ſacris Saturni capite nudo uſos eſſe, quod quidem velum illud, quod in vertice eius capitis nutat, indigitare videtur. Quia dies feſti, quibus Romani Saturnum colerent, laeti et hilares erant, ſacra ei capite nudo faciebant. Ceterum, neque Iupiter, neque alii dii, ita ut Saturnus, velati conſpiciuntur.

Sectio

Sectio II.

Cybele, Provinciae, Urbes.

Num. 17. Cornalinus. Leo, et ſub eo pileus Phrygius, ſupra eum par Crotalorum.

Num. 18. Agath-Onygius. Sacerdos Cybeles aut *Attis* *ipſe* ex adverſo ſtatuae huius deae ſub figura termini. Falcem manu tenet, quod eum exſectum eſſe notat. Quamvis enim ſacerdotes Cybeles ſibimet ipſis virilitatem lapide Samio exſecarent; hoc loco tamen aliquo inſtrumento opus erat, ad iudicandam mutilationem illam. Ceterum, in aliis etiam monumentis Sacerdotes Cybeles falcibus armati apparent.

Num. 24. Paſta vitrea. Urbs Antiochia ſedens, pedibus calcans fluvium Orontem, qui cubantis ſpeciem habet. A dextra parte ornata eſt figura quaedam, a ſiniſtra comitante fortuna cum cornu copiae

Sectio III.

Iupiter, et Attributa eius vulgaria.

§. I. *Attributa eius.*

Num. 39. Paſta antiqua, duplicata ſcalptura. In altero latere Iovem ſedentem, et fulmen dextra, ſiniſtra ſceptrum tenentem, cum aquila ad pedes eius, videre eſt: alterum latus leonem radiis diſtinctum, faucibus fulmen portantem, exhibet.

Num. 42. Cornalinus. Binae Iovis ſedentis imagines, capite medio adumbrato: In margine ſcriptae ſunt litterae MVH. Sunt fortaſſe Ioves, qui in Arcadia, diverſis parentibus, Aethere nimirum et Coelo, nati perhibentur.

§. II. *Iupiter Axur.*

Num. 48. Paſta vitrea, cum nomine Scalptoris NEICOY. Iupiter imberbis rectus cum aquila, qui eam contuetur: fulmen dextra tenet, et brachium Aegide, hoc eſt pelle caprae Amalthaeae, ad modum ceſti involutum eſt. Inde intelligitur, Iovis Aegidem non ſcutum, ſad pellem eſſe.

Digitized by Google

Haec opinio paſta hac mire iuvatur, propterea quod ſcutum inverſum praeter Aegidem expreſſum habet.

§. IV. *Iupiter Serapis.*

Num. 55. Sardonyx bicolor. Serapis caput radiis diſtinctum, cum cornubus Iovis Ammonis.

Num. 59. Paſta vitrea. Caput Serapis pedi ſubiectum. Omnes iſtae ſcalpturae ſunt recentiores, neque antiqui operis Aegyptiaci, quia, auctore Macrobio, cultus huius dei, cuius ſignum, qui erant origine Aegyptii, in templis ſuis nunquam dedicarunt, a Ptolemaeis inductus eſt.

Num. 64. Lapis Lazuli. Iupiter Serapis throno ſedens in Cymba papyracea, in cuius prora et puppi Iſidis clypeus conſpicitur. Ab altera parte throni niſus, et ab altera Harpocrates, in margine hae litterae leguntur: ΑΛΔΑ ΒΑΙΜ. In averſa lapidis parte titulus apparet.

§. V. *Iupiter Ammon.*

Num. 73. Paſta vitrea. Caput Iovis Ammonis ad modum Dianae capitis lunula ornatum. Quamvis Dactyliotheca magnam habeat ſignorum in gemmis copiam; tamen haec eſt unica gemma, in qua Iupiter ita expreſſus conſpicitur.

§. VI. *Iupiter Apomyos ſ. Muſcarius.*

Num. 77. Paſta antiqua. Iovis caput ſub ſpecie Muſcae. Ala utraque barbam dei, corpus vultum efficit, et ſupra frontem caput muſcae binis oculis ſuis conſpicitur.

§. VII. *Iupiter cum Attributis peculiaribus.*

Num. 79. Paſta vitrea. Figura barbata, tunica talari amicta, modium in capite, ſiniſtra cornu copiae, dextra pateram cum papilione tenens. Eſt Iovis ſignum, quem *Exſuperantiſſimum*, ficto vocabulo, ad exprimendam vim, Graeci παννπέρτατον appellabant. Papilio animae Symbolum fuit. Lectoribus explicationem relinquimus.

Num. 87. Chalcedonius. Iupiter rectus manu dextra teſtudinem, et ſiniſtra ſceptrum tenens, aquila ad pedes ſedente.

Digitized by Google

dente. Teſtudo Peloponneſi ſignum fuit, et ubi iſtum Iovem fortaſſe peculiaribus ſacris coluerunt.

§. IX. *Bellum Iovis, deorumque, cum Titanibus.*

Num. 122. Sardius. Fragmentum. Minerva et Hercules contra Titanes pugnantes. In Scuto deae equus expreſſus eſt, quem Pegaſum exiſtimamus, qui aliquoties in eius Galea conſpicitur. Scalptor de induſtria Meduſae caput omiſit, ne Anachroniſmum committeret.

§. X. *Iuno.*

Num. 128. Paſta antiqua. Caput Iunonis ad modum Veſtae velatum. Talis Iuno Romae caelata cum velo exiſtit. Velum vulgo aerem ſignificare contendunt.

Num. 133. Iaſpis ruber. Iupiter et Iuno recti. Iuno velo ſtellis obſito circumfuſa eſt. Stella Iunonis et Veneris φωσφόρος dicta eſt.

Amores Iovis.

1. *Semele.*

Num. 135. Paſta antiqua. Iupiter divino ſuo ſplendore et maieſtate omni indutus, fulmine armatus, et alis paſſis inſtructus. Semelen, quae eſt ad pedes eius, amplexibus ſuis tenet. Paſtam, propter Iovis figuram Etruſcam crediderim, quamvis Semeles ſpecies ita expreſſa ſit, ut Graeca haberi queat. Ceterum raritate ſe ſingulari commendat, vel ſi argumentum, vel ſi artem conſideres.

2. *Europe.*

Num. 158. Cornalinus. Fragmentum. Iupiter in taurum mutatus, Europam rapiens. Opus eſt ſummo artificio elaboratum. Veſtis Europes expreſſa eſt ita, ut eam Theocritus deſcripſit:

> Κολπώθη δέ ὤμοισι πέπλος βαθὸς Ἐυρωπέιης
> Ἱςίον οἷα τενηὸς ἐλαφρίζεσκε δε κουρήν.

3. *Io.*

Num. 161. Paſta vitrea. Mercurius caput Argus abſcindens.

ſcindens. Io in vaccam mutata ſub arbore, in cuius ramo Pavo ſedet.

Sectio IV.

Minerva.

Num. 197. *Sarda.* Minerva ſalutaris gradiens praeeunte ſerpente. Hoc ſingulare in ſigillo animadvertimus, eam quodam quaſi Parazonio cinctam eſſe, cuius vinculum Scuto, quod humeris haeret, tectum eſt. Ceterum Bellona et Minerva facile confundi poſſunt; et niſi huic noſtrae ſerpens additus eſſet, eam ipſe Bellonam crederem.

Sectio V.

Ceres.

Num. 223. Iaſpis viridis. Clypeus Cereris, quae aut modium, aut ciſtam myſticam in capite gerit. Clypeus in templo duplicibus columnis ſuſpenſus eſt, et in utraque templi parte ſpica expreſſa.

Num. 231. Amethyſtus. Ceres equum Arionem, quem Neptuno peperit, freno tenet; ſub equo ſerpens ſcalptus eſt. Haec fabula Cereri nomen Erinnyos dedit, et ſub hoc nomine culta fuit.

Num. 237. Paſta antiqua. Ceres cum cornu copiae et ſpicis, ſedens in curru cui Elephanti duo iuncti ſunt, in quorum dorſis minuſculae quaedam figurae conſpiciuntur. Nemo unquam auctoritate veterum monumentorum docere potuit, alios deos, praeter Bacchum, curru Elephante iuncto vehi; quare equidem non abnuerim, Cererem hoc loco eſſe vxorem cuiusdam Imperatoris, in numerum deorum relatam.

Sectio VI.

Diana.

Num. 285. Paſta antiqua. Caput Dianae, cum arcu et pharetra in humeris, et in capite caput cervi. Cervus interdum ſolus Dianae eſt ſymbolum. Habet capillos in vertice capitis in nodum (gr. κόρυμβος) tortos, quae virginum erat

Digitized by Google

erat conſuetudo. Victoria et Diana ſolae, ita compoſitis capillis, propter perpetuam virginitatem, uſae ſunt.

Sectio VII.

Pluto.

Num. 356. Cornalinus. Mulier, ſtola induta, currens paſſis capillis, et manu ſica armata; Furiam crediderim: non negarim, figuram etiam quadrare in Hecaten, ſed ea ſemper cum diademate, nunquam vero paſſis capillis exprimitur.

Sectio. VIII.

Mercurius.

Num. 365. Cornalinus rutilans et candidus. Caput Mercurii cum Petaſo. Scalptura eſt diligenter perfecta, et iſtud caput eſt inter pulcherrima Antiquitatis, quae ad noſtra tempora venerunt.

Num. 393. Cornalinus. Mercurius ſedens inter arietem et Scorpionem. Scorpionem Macrobius exiſtimat vim Solis exprimere, et Mercurium eſſe quaſi deum Solis: ſi hoc ſumimus, patet, Scorpionem ei eandem ob cauſam adiunctum eſſe.

Num 405. Cornalinus. Mercurius galeatus, dextra caduceum, et ſiniſtra cornu copiae tenens, dextro pede nititur globo: ante *Harpa*, et poſt eum Scutum conſpicitur. Mercurii ſignum cum cornu copiae rarius occurrit; ſed antiquitas omnibus diis cornua copiae dare ſolebat.

Num. 406. Cornalinus, figura Scarabaei. Mercurius pedibus alatis, dextra gladium incurvum ad modum falculae gerens, brachio ſiniſtro argenti faſcem tenere videtur. Eadem manu tenet Argus caput amputatum, de quo, ut et de enſe ſanguis ſtillat. In margine leguntur hae litterae Etruſcae ᗡƎΦƎИ. Qui litteras Etruſcas miniſtra Hebr. lingua explicare volunt, legunt כדר (nam ſic, loco כדר, quod haud dubie eſt ſphalma typographicum, ſcribendum eſt,) votum.

Num. 413. Cornalinus, expreſſus ad Scarabaeum. Scalptura eſt operis Etruſci. Mercurius manu dextra Caduceum,

ceum, ſiniſtra animam Proſerpinae portat: in dextro humero teſtudinem et Petaſum, qui formam teſtudinis habet, gerit.

Attributa Mercurii.

Num. 424. Cornalinus. Pes alatus et clava. Mihi videntur ſignificare vota Mercurio et Iovi communia.

Sectio IX.

Neptunus.

Num. 477. Paſta vitrea. Deus Portumnus, grandibus alis, velo, et levi ſtola inſtructus, quae per dorſum inter brachia defluit, ut eum nantem adiuvet: ita expreſſus eſt, ut nixus Delphine, aqua, leviter eam radens, incedere videatur.

Num. 479. Paſta antiqua. Opus Etruſcum. Scylla duplex. Caput et pectus femineum habet, reliquo corpore in piſcem abeunte, cum capite canino, quod e lumbis eminet. Haec Scylla omnibus illecebris ad illiciendos praeternavigantes inſtructa eſt, et, iudice Maffeo, omnes Scyllae operis Etruſci eleganter et delicate expreſſae ſunt.

Sectio X.

Venus.

Num. 576. *Heliotropium.* Venus Phoenicia, *Aſtarte* cognominata, in capite *Perſea* gerens. Praecedit eam Amor, arcu intenſo, alio Cupidine ſequente. Haec Venus diverſimode exprimitur, ſed rariſſime ita, ut *Perſea* in capite habeat.

Num. 579. Cornalinus. Venus popularis, quae capro, quem demulcet, vehitur. Graeci eam ἐπιτραγίαν appellant.

Vulcanus.

Num. 597. Sardius. Opus Etruſcum. Vulcanus ſedens, qui ſcutum conflat, quod fere ad ſimilitudinem eorum, quae in numis Thebanis conſpiciuntur, accedit. Iuvenis eſt et imberbis, quia Etruſci Vulcanum ita effingere ſolebant.

Num.

Digitized by Google

Num. 607. Sardius. Vulcanus arma Aeneae cudit, Veneris precibus commotus, quae iuxta eum ſtat, cum Cupidine in baſi, qui ignem *inflat.* Contra Vulcanum exaratus conſpicitur Iupiter cum Aquila adverſa, arae rotundae inſidens. Pater deum caput manu ſuſtinet, quaſi volvens aliquid diligenter animo. Pone eum Iuno, et ad latus Apollo, lyro nixus apparet, poſt Apollinem Mercurius averſus, Caduceum tenens, ſcalptus eſt. Ab altera parte Venus recta, Minerva et Iuno altercantes conſpiciuntur. Haec gemma, tum propter operis excellentem elegantiam, tum propter magnitudinem et pulcritudinem, notanda eſt.

Sectio XI.

Cupido.

Num. 730. Sardius. Cupido, victor Herculis, clavam et ſpolium leonis iactat: dextra manu claves ferre videtur. Claves antiquitas diverſis diis tribuit. Minerva, et Hecate triformis, ſemper iis utuntur. Orpheus, vel potius auctor carminum, quae ſub eius nomine circumferuntur, Cupidinem ita deſcribit:

> Κληΐδας ἔχοντα, αἰθέρος, Οὐράνε
> Πόντε, Χθονός.

Num. 753. Paſta antiqua. Amor erectus, Delphine tanquam navi vectus, utraque manu velum vento colligendo tenet. Sigillum eſt inſtar Commentarii graeci vocabuli ἐρωτοπλοεῖν, in *amoris pelago navigare*, quod legitur in quodam epigrammate Graeco. Ovidius fortaſſe de ea re cogitabat, in illo:

> *Si quis amat, quod amare iuvat, feliciter ardens*
> *Gaudeat, et vento naviget ille ſuo.*

Sectio XII.

Pſyche.

Num. 888. Cornalinus. Cupido Pſychen mutatam in papilionem cremat. Fuit hoc ſymbolum immortalitatis animae, quam, ut ignem, coeleſtem exiſtimarunt.

Num.

Digitized by Google

Num. 907. Carchedonius. Papilio flori inſidens. Si florem roſam eſſe aliquis contenderit, ſymbolum eſt ſummae pulcritudinis hominis in flore aetatis mortui. Roſarum pulchritudo ſymbolum mortis vitaeque breviſſimae fuit.

Sectio XIII.

Mars.

Num. 943. Paſta vitrea. Opus Etruſcum. Miles armatus erectus, clypeum brachio dextro, haſtam manu dextra gerit, gladio in dextro latere haerente. Videndum, an Etruſci gladios ita cinxerint. Ioſephus, vel alius ſcriptor tradit, equites Romanos in obſidione Hieroſolymitana gladios dextro latere geſſiſſe.

Num. 973. *Iaſpis canus.* Miles in equum eſcendens, niſus pede fibula, quae in haſtae inferiore parte infixa eſt. Veteres conſtat ſtapiis non uſos eſſe. Ceterum haec gemma explicat difficilem locum Xenoph. de Equitatu Cap. VII.

Arma Martis.

Num. 1015. Sardius. Galea. Veteres Scalptores optimi nunquam galeas, quae ad maxillas usque pertinerent, expreſſerunt, quamvis ex Homero intelligamus, Heroas, qui ad Troiam pugnarant, ita armatos fuiſſe. Partes galeae, quae maxillas a vi defendunt παρειαι appellabantur, quod vocabulum a *Lexicographis* non notatum eſt.

Num. 1061. Cornalinus. Gallus lituo canens, ad militum vigilantiam exprimendam.

Num. 1093. *Paſta antiqua. Fragmentum. Victoria, Minerva, Mars* et *Imperator triumphans* in curru, de quo *Victoria*, lyram et plectrum tenens, deſcendit. Minerva, quae in curru expreſſa eſt, coronam capiti triumphantis ſuſpenſam tenet, et *Mars* pedes, ſcutum brachiis tenens, cum Victoria magno gradu retrocedit; quod docet, gloriam triumphantis ſummam eſſe. Victoria cum lyra rarius in gemmis conſpicitur.

Sectio

Digitized by Google

Sectio XIV.

Apollo.

Num. 1128. *Sardius.* Apollo pedeſter, lyram eius parva quadam figura ſuſtinente, quae fructus aut tale quid in capite gerit. Non conſtat inter eruditos, quid iſta figura portet. Ego crediderim eſſe Themidem, quae in patina Ambroſiam habet: Homero enim auctore, Apollini Nectar et Ambroſiam miniſtrat Themis.

Marſyas.

Num. 1138. *Cornalinus.* Marſyas incurvus adverſa fronte, utrisque manibus tibiam tenens, in quibus extremis faſciola conſpicitur, quam ego veterum φορβειάς exiſtimarim.

Duodecim Signa Zodiaci.

Num. 1236. *Paſta antiqua.* Lupa inter duodecim ſigna Zodiaci, lactans Romulum et Remum. Explicatio mihi quidem a cognomine Apollinis λυκογενέτα repetenda videtur. Λύκη proprie *lucem primam, crepuſculum* notat, deinde etiam *lupam.* Λυκάβας *eſt* curſus ſolis anniverſarius, et apud Poetas pro anno dicitur. Igitur λυκηγενὴς eſt de luce natus. Lupus porro Apollini ſacer erat, et Delphis in templo huic deo eius imago poſita fuerat.

Muſae.

Num. 1253. Paſta vitrea. Exemplar eius eſt in Dactyliotheca Imperatoris, Florentiae. Melpomene Muſa Tragoediae. Tenet manu aliquid, quod ori admovet, et quod crediderim laurum eſſe, quia exiſtimarunt laurum excitare Enthuſiaſmum poeticum, unde etiam Poetae δαφνηφάγοι appellantur.

Aeſculapius.

Num. 1432. Cornalinus. Figura inſidens trunco arboris, dextra ſerpentem, ſiniſtra baculum tenens. Indicari arbitror portenta et prodigia, quae flexibus ſerpentum exprimi putabant. Neque Hebraei ab hoc ſuperſtitionis ge-

 nere

nere omnino alieni fuiſſe videntur. מְנַחֵשׁ eſt augur, a verbo נָחַשׁ, unde etiam נָחָשׁ derivatur. Vocabulum Gr. οἰωνὸς eſt Synon. τῦ ὄφις. vide quae auctor pluribus diſputat. Ceterum haec ſententia altius repetita videtur. Suidae teſtimonium, quo auctor nititur, non magni eſt ponderis. Si ſcalptura eſſet recentioris aetatis, exiſtimarem ſignificari *incantatorem*, qui cantu ſerpentes nectit. נְחָשִׁים Hebr. ſunt augures et ſerpentes. Eius rei veſtigia in Pſal. extant. Vocabulum οἰωνὸς eſſe ſynonimum τῦ ὄφις non eſt mirandum, quia Gr. dracones etiam eo nomine appellarunt.

Sectio XVI.

Hercules.

Num. 1720. *Paſta antiqua.* Hercules ſpolio leonis indutus, altero pede ſubſidens, alterum protendens, telo aves Stymphalides petit. Arcus non formam circuli habet, ſed pluribus incurvaturis diſtinctus eſt.

Num. 1764. *Cornalinus.* Hercules ſtans, ſpolio leonis indutus, clavam dextro brachio ferens, Apollini, qui laurum ſiniſtra tenet, manus iungens: uterque manu ſpicam tenet, et ad pedes Apollinis lyra eius conſpicitur. Eſt fortaſſe ſignum arctiſſimae animorum coniunctionis, quod *confarreatio* ſignum fuit vinculi coniugalis. Explicationem lectoribus nobis acutioribus relinquimus, niſi ſignum in gemma artificis; Romani eſſe ſumamus.

Claſſis Tertia.

Complectens Mythologiam hiſtoricam, tempora fabuloſa, et obſidionem Troiae.

Sectio I.

Num. 52. *Topaſius.* Mulier, laxo velo in capite, ad littus maris expreſſa eſt, cuius undae Terminum Priapi legunt, lauro coronatum hominis caput in mare abiicit. Eſt haud dubie caput Orphei, quem mulieres Thraciae, propter ſui ſexus contemptum, dilacerarunt.

Num. 89. *Paſta antiqua.* Clypeus Amazonis adumbratus,

Digitized by Google

tus, cuius ſinus adverſus apparet. Capillos ad modum Amazonum in capite nodo collectos habet. In ſigillo ſiniſtra mamma omiſſa; dextra expreſſa eſt. Ceterum in aliis gemmis, et in opere caelato, Amazones utrisque mammis inveniuntur.

Sectio II.

Expeditio ſeptem Heroum contra Thebanos.

Num. 172. Cornalinus, ſcalptus ad exemplar Scarabaei. Quinque Heroes, cum nominibus Etruſce ſcriptis. Gemma eſt antiquiſſimum monumentum, ut omnino elegantiae, ita maxime elegantiae ſcalpturae Etruſcae. Magnam illa gemma differendi facultatem praebet, multaque ad Antiquitates pertinentia eius ope illuſtrari poſſunt.

Num. 174. Cornalinus. Tydeus, de ſeptem Heroibus, vulneratus, ſpiculum pedi infixum extrahit, cum nomine Etruſce ſcripto.

Sectio III.

Bellum contra Troianos.

Num. 231. Sarda. Senex barba promiſſa, haſta gladio et clypeo armatus, qui cum iuuene eodem modo armato colloquitur. Eſt forte Neſtor, qui Patroclo perſuadet, ut redeat in bellum contra Troianos.

Num. 265. Iaſpis ruber. Hector de curru ab Achille deturbatus, coram Andromache uxore et rege Priamo, qui de muris certamen contuetur. Andromache palmas in coelum tollit, et Priamus manum Hectori porrigere videtur. Genius Troiae, ſub ſpecie Cybeles, in inferiore parte expreſſus eſt, caput manu ſuſtinens, inſtantem urbis ruinam deplorans.

Num. 297. Paſta antiqua. Miles nudus, galea caput, clypeo brachium dextrum tectus, dextro genu in ara inflexo, gladium lateri intentat. Gronovius ſignum Aiacis eſſe exiſtimat.

Digitized by Google

Sectio IV.

Reditus Ulyſſis.

Num. 357. *Cornalinus.* Ulyſſes malo alligatus ad audiendos Sirenum concentus, et ad effugiendas earum inſidias. Fuere tres ſorores, *Leucoſia*, *Ligia*, et *Parthenope.* Latera navis circumnatant, et prima tibiis binis, altera lyra, tertia voce, carminis verba praeit.

Num. 362. *Paſta antiqua.* Ulyſſes cicatrice, qua pes notatus fuit, agnitus ab Euryclea nutrice, qui ei pedes lavat. Ulyſſes manu ei ſignum dat, ne rem enunciet.

Quarta Claſſis.

Hiſtoria Antiqua.

Sectio I.

Hiſtoria Perſarum et Graecorum.

Num. 47. Paſta vitrea. Caput Sapphus. Sequitur A. in hac re auctoritatem Agoſtini, quamvis caput Sapphus, quod in numis Lesbiis expreſſum credunt, non ſit cincinnis reticula collectis ad modum Gr. ornatum. Κεκρύφαλον Gr. hoc cincinnorum genus appellaverunt.

Num. 50. Agath Onychius. Caput Aeſchyli calvum, corona pampinea cinctum. Hae enim fuerunt optimae eius Tragoediae, quas inter pocula ſcripſit.

Num. 51. Paſta antiqua. Aeſchylus caſu teſtudinis eliſus, admovens plenam ori pateram. De genere mortis inter antiquos non conſtat. Hoc certum eſt, neminem dixiſſe, hanc mortem ei inter pocula obveniſſe. Scalptor fortaſſe et necem, et potandi cupiditatem exprimere voluit.

Sectio II.

Hiſtoria Romana.

Num. 168. Agath. Onychius. Quinctius Cincinnatus, pedibus arma induens. Vitam quam rure tranſigebat, et Senatum eum agrum ſuum arantem inveniſſe, expreſſum videmus ſpica ariſtae.

Num.

Digitized by Google

Num. 171. Paſta antiqua. Quintus Ogulnius, legatus Romanorum Epidaurum miſſus, ad arceſſendum deum Aeſculapium, qui legatis ſe ſub ſpecie ſerpentis obtulit. Iuxta ſerpentem femina, ſuperiore corporis parte nuda, recubans ſuper urna conſpicitur. Coronidem eſſe exiſtimamus, matrem Aeſculapii, ab Apolline interfectam. Supra eam corvus expreſſus eſt.

Num. 188. Paſta vitrea. Figura genibus inflexis, quae Heroi lapidum ſtrui inſidenti aliquid, quod quale ſit non intelligi poteſt, porrigit. Poſt figuram eſt miles pedibus, cuius auriculam Heros tenere videtur. Pertinet fortaſſe ad veterum Romanorum conſuetudinem, qui auriculam eius tenebant, quem teſtem alicuius rei eſſe vellent. Graeci appellant ἐπίψαυειν τῶν ὤτων. vid. Lipſ. ad *Tacit.* Ann. I. p. 9.

Num. 237. Cornalinus. Femina ſtolata, ſub arbore ſedens, ramum dextra tenens, caput ad modum hominis diligenter meditantis ſiniſtra ſuſtinet. Contra eam terminus Priapi in Aedicula' duabus baſibus ſeu aris deinceps poſitis conſpicitur. In averſa lapidis parte ſeptem Priapi in orbem, in cuius centro limax apparet, ducti, cum ſeptem litteris diverſe poſitis conſpiciuntur, quae verbum *Invicta* efficiunt. Pertinet fortaſſe ad locum *Iuven.* Sat. VI, v. 129.

Et laſſata viris necdum ſatiata receſſit.

Nam limax eſt ſymbolum libidinis.

Claſſis Quinta.

Ludos, Convivia, Vaſa, et Annulos ſymbolicos complectitur.

Ludi.

Num. 1. *Sarda.* Iuvenis circulum, quem τρόχον appellabant, agitans.

Num. 5. *Hyacinthus.* Vas, iuxta quod Trochus tribus annulis diſtinctus, qui in orbem circumeunt: in parte averſa palma expreſſa eſt. Quinque ſunt in hac collectione ſcalpturae, quae omnium optime docent, qualis veterum Trochus fuerit. *Trochus* fuit circulus aeneus, luſus puerorum.

 Trochi

Digitized by Google

Trochi figuram, quam lapides iſti exhibent, ad ſignorum fere dimidiam partem, et interdum ad pectus usque aſcendere videmus. Ceterum, non ſolum annulis intortilibus, qui, dum trochus agebatur, ſtrepitum et tinnitum excitabant:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur,
Cedat, et argutis obvia turba trochis. Mart. Ep. XIV. 169.

ſed etiam crepitaculis et tintinnabulis inſtructus erat. Qui agere volebat *trochum*, inſtrumento peculiari, quod *Clavem* appellabant, utebatur, quo annuli et tintinnabula incitabantur:

Increpat et verſi clavis adunca trochi. Prop. III. 12.

Num. 13. *Cornalinus.* Infantes duo luctantes, in terram proſtrati, quorum alter alterum obtorto collo ſuffocare velle videtur. *Paedotriba* cum baculo iuxta expreſſus eſt, eosque baculo, ad dirimendam luctam, ferire videtur.

Num. 20. Agath-Onychius. Menſa, in qua Diſcus cernitur, praeſente figura, quae brachia librare videtur: hoc appellabant *iactare brachia*, eratque ſpecies τῦ σκιαμαχεῖν.

— — — *alternaque iactat*
Brachia protendens, et verberat ictibus auras. Virg. Aen. VIII. 374.

Sectio II.

Convivia.

Num. 83. Cornalinus. Convivium tribus accumbentibus conſtans, cum figura alata, quae eis miniſtrat. Convivae ſunt feminae duae cum viro, quae, ut vir, ad infimum usque pectus nudae ſunt, et iacent in tribus lectis ad menſam vaſis onuſtam. Sibi invicem vinum infundunt. Figura alata fructus in patina affert, et genius domeſticus eſſe videtur. Nam veteres genios conviviis ſuis et compotationibus intereſſe putabant.

Sectio III.

Vaſa.

Num. 94. *Carchedonius.* Vas media parte concavum, cum

Digitized by Google

cum pede et duabus minutis anſis. Eſt forte *Cothon*, genus lagenae, quo milites graeci utebantur. Plinius de vaſe viatoris loquitur; ſed hoc ligneum fuit.

Num. 117. Amethyſtus. Ampulla pulchra, cuius colli pars inferior piri ſimilitudinem habet, et perfectiſſime convenit cum deſcriptione Pliniana. Ampullae *Samiae* et *Campaniae* celeberrimae fuerunt.

Num. 137. *Amethyſtus.* Species vaſis, quod vulgo veteres calices appellare ſolebant. In univerſum duabus anſis grandibus erant inſtructi.

Num. 174. Cornalinus. Vas Murrhinum anſatum, Delphine inter duas ariſtas illud ſuſtinente. In margine Vaſis avis expreſſa eſt. Vas Murrhinum A. appellat, quod omnia in illud ſigna conveniunt, quae Plinius de Vaſis Murrhinis afferre ſolet. Vaſa autem veterum Murrhina reſpondiſſe noſtris Porcellanis propterea non credimus, quia Plinius ea ſemper in numerum lapideorum refert. Lectu digna ſunt, quae Auctor ad hunc locum diſputat; ſed ea lectoribus legenda relinquimus, quia qui nobis praeſcripti ſunt fines, latius nos vagari non ſinunt. Quae autem auctoritate Plinii diſputantur, ea verbis Propertii, qui *ea focis Parthorum cocta eſſe* ait, repugnant. At vero Plinius, ait aliquis tam curioſus rerum inveſtigator, ea non ignorare poterat? Quid igitur Propertio, elegantiſſimo, et harum rerum intelligentiſſimo fiiet? Nobis ſic videtur, Plinium dicere ea effodi, quia materia, ut in noſtris Vaſis Porcellanis, fodiebatur; Propertium autem recte ea coqui contendere, quia effoſſa iſta materia fornacibus coquebatur.

Sectio IV.

Annuli Symbolici, et alia Symbola.

Num. 212. Cornalinus. Annulus Symbolicus, in quo Aquila roſtro coronam, et unguibus binas ſpicas, totidemque papaveris capita tenet. In margine annuli duo cornua abundantiae conſpiciuntur.

Num. 230. Agatho Onychius. Vir et femina ſtantes, iunctis

Digitized by Google

iunctis dextris manibus; femina tres ſpicas ſiniſtra tenet. Hi duo lapides haud dubie *Confarreationem* Romanorum exprimunt, per quam uxor conveniebat in manum mariti. *Farreum*, auctore Feſto, fuit *genus libi ex farre factum*.

Claſſis Sexta.

Naves, et Res navalis Veterum.

Num. 3. *Cornalinus.* Scapha ſub ſpecie Delphinis. Extremae eius fauces roſtrum navis, ſinciput proram, corpus carinam, et cauda puppim cum tribus remigibus et gubernaculo conſtituunt. In prora eſt lepus, proiecto ad currendum corpore, et inter remiges vertagus effuſe currens. In cauda Delphinis aliud animal quadrupes, ſedens in pedibus poſterioribus, expreſſum eſt. Lapis haud dubie eſt Symbolum inventae navigationis.

Claſſis Septima.

Animalia.

Num. 56. Cornalinus. Porcus, ſub quo cernitur clava Herculis, ante eum Gallus roſtro ſpicam tenens, et poſt eum Caduceus expreſſus eſt. Explicatio gemmae incerta eſt.

Inſecta.

Num. 144. Paſta antiqua, ad modum Sardae. Locuſtae duae, quarum altera tibia canit, altera tympanum pulſat. Inter eas arbor in vaſe quodam apparet.

Num. 147. Paſta antiqua. Locuſta in curru, cui duae vulpes iunctae ſunt.

Claſſis Octava.

Abraxas, Sigilla cum Characteribus Orientalibus, et Scalpturis recentioribus.

Sectio III.

Sigilla ſcalpta recentiora.

Num. 89. *Cornalinus.* Signum Caii Marii, cuius exemplar vetus, Cornalino inſcriptum, eſt in Dactyliotheca Arundeliana, expreſſum a Conſtantio Boſſu.

Num.

Num. 106. Sarda. Signum L. Sullae expreſſum a Borghigiano Florentino.

Haec fere ſunt, quae ex iſtis divitiis annotanda putavimus. Fortaſſe multa omiſimus, quae afferre debebamus; ſed difficile eſt eligere in magna et pulchra propoſitarum rerum copia: nam non inopia, ſed copia laboravimus. Subnexus eſt libro, quaſi Coronidis loco, Catalogus *Mapparum Geographicarum*, et *Delineationum*, quas Stoſchius in Batavis, adiuvante *Fagello*, collegit, in quibus multa ſunt rara et cognitione omnino digna. Iſte enim *Fagellus*, qua pollebat in Batavis auctoritate, Stoſchio mappas geographicas terrae *Batavorum* et coloniarum exterarum, cum *Chartis Iaponiae* et *Chinenſium* Imperii ſubminiſtravit. Reliquas Chartas ipſe Stoſchius in itineribus ſuis collegit; alio vero etiam ab iis ei miſſae ſunt, qui Dactyliothecam eius viderant. Atlas ipſe *Blaviano* tanquam fundamento nititur, quae ſemper *Chartas univerſales* diverſorum Auctorum, ſervato annorum quibus exſcriptae ſunt ſerie, praecedunt. Tum vero has excipiunt Mappae Provinciarum Generales et Particulares Urbium territorii, quibus ſubtextae ſunt Delineationes urbium, Monaſteriorum celebrium, Caſtellorum, et Villarum notatu digniſſimarum, quibus omnibus adduntur Delineationes proeliorum, et oppugnationum, rerum et actionum ſolennium deſcriptiones et caerimoniae ſingulares.

Geſchichte der adelichen Geſchlechter in der freyen Reichs-Stadt Augsburg.

h. e.

HISTORIA PATRICIORUM S.R.I. LIBERAE Civ. Auguſtanae, Auctore PAULLO DE STETTEN, *iun.*

Auguſtae Vindelicorum 1762. impenſis Haidii: Alphab. 2. plagg. 10. in 4.

Digitized by Google

Quamvis iam dudum doctiſſimi viri, *Strube, Scheid, Kopp, Riccius, Plennoies, Eſtor, Glaſey, Cramer*, alii, in origine Nobilitatis Germaniae, et ſuperioris, et inferioris, eruenda, in differentia, fatis, iuribus, atque praerogativis illuſtrandis, multam operam atque induſtriam collocaverunt: tamen hoc ipſum de Nobilitate Germanica argumentum non ita pertractatum atque abſolutum adhuc eſt, ut nihil plane dubitationis ſupereſſe videatur. Multo vero maioribus dubitationibus origo Patriciorum in Germania ſubiecta eſt, et huius praeſtantiſſimi argumenti pertractatio, (ita ut iura, praerogativas, et differentiam eorum a reliqua Nobilitate clare ac diſtincte intelligas,) a nonnullis iam quidem data opera expoſita, v. g. a *Philippo Iacobo Hallero ab Hallerſtein*, in diſſertatione de *Patriciis urbium Germanicarum*, Regiomonti A. MDCLXXXIV. habita: maiori illuſtratione atque explicatione omnino indiget. Cum igitur Vir generoſiſſimus, Patricius Auguſtanus, Dominus *de Stetten*, in enarranda hiſtoria Patriciorum civitatis Auguſtae Vindelicorum praecipue occupatus, hoc ipſum argumentum recte pertractare non potuerit, niſi in univerſum quaedam diſſereret de ortu et progreſſu Patriciorum in Germania: videamus, an argumento graviſſimo, et ex cuius diligenter et recte inſtituta explicatione ipſa veluti quaedam utilitas in univerſam Iurisprudentiam publicam Germaniae redundatura ſit, ſatisfecerit.

In univerſum in illuſtratione huius argumenti ita verſatus eſt Auctor doctiſſimus, ut librum in XX. Segmenta divideret, et Segmento I. indicato communi Patriciorum ortu, in reliquis deinceps hiſtoriam Patriciorum liberae civitatis Auguſtae Vindelicorum enarraret. Huic ipſi enarrationi ut maiorem conciliaret fidem, Diplomata XCIV, quae in tabulario publico (Archivum vocant) civitatis Aug. Vindel. aſſervantur, ac benevole cum Auctore communicata ſunt, adiecit. Horum Diplomatum indicem confecit Auctor, et addidit libro, igitur commemoratione eorum

tempus

Digitized by Google

tempus perdere ac operam nolumus: hoc vero monere neceſſe eſt, illa omnia Diplomata pertinere vel ad iura Patriciorum civitatis Aug. Vindel. augenda, ſtabilienda, minuenda; vel ad rempublicam ipſam civitatis; vel denique ad rem domeſticam et privatam Patriciorum conditionem. Inter haec Diplomata eminent, et notatione atque commemoratione digna eſſe videntur: Diploma X, quod continet praecipuas conditiones pacis a. MCCLXX inter Ludovicum Ducem *Bavariae*, Epiſcopum Auguſtenſem, Hartmannum Marchionem Burgavienſem, et civitatem Auguſtam Vindelicorum ſancitae: porro Diploma XIII, in quo praecipuae quaedam leges enarrantur, ex quibus forma antiquiſſima reipublicae civitatis A. V. et iura civium illuſtrantur: deinde Diploma LXIII, quod eſt mandatum Friderici III. Imperatoris anni MCCCCLXVI. Principibus I. R. G. datum, ut civitati ſuccurrant auxilio contra *Iacobum* de *Argon*, et alios, qui ſecuritatem civitatis turbaverant: denique Diploma LXXVII, hoc eſt, litterae Reverſales Georgii a *Stetten* anni MDXXIV. cum reciperetur in ſocietatem Foederis Suevici. Ex his, quae in univerſum et breviter de conſilio Auctoris, et oeconomia operis diximus, facili negotio lectores colligere poterunt, primum ſegmentum, quod publicam Iurisprudentiam Germaniae illuſtrat, et Hiſtoriae medii aevi aliqua parte lucem affundit, inprimis diligenter excutiendum eſſe: in argumentis reliquorum ſegmentorum deinde indicandis, nulla copioſa oratione, cum in hiſtoria ſingulari enarranda verſentur, uti, ipſius rei pertractatae natura poſtulabit. Segmentum primum igitur, quod §§. XXIII. continet, originem, conditionem, iura Patriciorum antiquiſſimis temporibus, exponit, pariterque docet, iisdem praerogativis uſos fuiſſe patricios, quae nobilibus agrariis conceſſae fuerant.

Conſtat inter omnes (§. I.), antiquiſſimam florentiſſimamque civitatem Auguſtam Vindelicorum, a quibusdam viris, qui ius hereditarium honorum in republica publicorum obtinuerunt, et inde ad poſteros transtulerunt, admi-

Digitized by Google

niſtratam fuiſſe. Illi viri, ut maiori praerogativa prae caeteris civibus uterentur, primum nominati ſunt familiae (Geſchlechter), deinde, ob ſimilitudinem, ut Auctor ſibi perſuadet, quae illis intercederet cum patriciis Romanorum tempore liberae reipublicae, nomen patriciorum acceperunt. Haec tamen denominatio a patriciis Romanorum deducta, et iam ab aliis indicata, tam tenui ſimilitudine, et levi coniectura nititur, ut eam iam ſatis reiectam fuiſſe exiſtimemus. In §. II. deinde conditio civitatis Auguſtae Vindelicorum, cum colonia Romanorum eſſet, enarratur; quae repetere nolumus, cum ea, quae iam ab aliis ſatis dicta ſunt, ab Auctore commemorata fuerint. Coniectura vero, quam protulit, de republica a civibus ipſis adminiſtrata, profecto non indigemus; inprimis cum huic coniecturae confirmandae et aliis opus eſſe videatur.

Diviſio porro (§. III.) apud Francos in nobiles, ingenuos, et ſervos, oſtenditur, atque illorum differentia indicatur. Inde (§. IV.) A. ait: In hos ordines diviſi erant Franci, cum Sueviam occuparent, et facile colligi poteſt, eandem diviſionem inter cives Sueviae obtinuiſſe. Cum igitur, pergit, urbs A. V. iterum condita, et munimentis cincta fuerit; (hoc vero tempore nullam urbem a ſervis inhabitatam eſſe conſtat): ſequitur omnino, primos incolas urbis A. V. fuiſſe ingenuos iisdemque iuribus uſos fuiſſe, quae illis conceſſa fuerant ingenuis, qui agros inhabitarent, neque domicilium in urbem transferre vellent. His loco fundamenti rei demonſtrandae veluti poſitis, A. conditionem ingenuorum civitatis A. V. (§. V.) exponit. Mutationes paulo poſt enarrat, quas ex ſua ſententia poſt tempora Imperatorum Carolingicorum illi ingenui experti ſunt. Videamus illas, et ipſa verba Auctoris commemoremus, ut ab omni ſtudio partium alieni, nihil veritati detrahere videamur. En verba Auctoris: *Poſt tempora Carolingica nominabantur ingenui milites, propterea quod in exercitu Germanorum tantummodo ingenui militarent, qui fortitudine in bellis demonſtrata, ad ſummas dignitates et honores pervenirent. His fortiſſimis militi-*

bus

bus loco ſtipendii beneficia concedebantur ab Imperatoribus. Miramur profecto, generoſiſſimum Auctorem ignorare, iam tempore Imperatorum Carolingicorum ingenuos in Capitularibus regum Francorum nominari milites; porro ignorare, quod iam eo tempore omnis penes ingenuos militia fuerit: denique inter omnes conſtat, iam Carolingico aevo his militibus data fuiſſe beneficia. Ait porro: hi milites vel *agrarii* erant, qui incolerent *villas*, vel *Burgenſes*, qui habitarent in urbibus. Sub Henrico I. deinceps agrarii in urbes immigraverunt, et ita Patricios exortos fuiſſe plurimi ſibi perſuadent. In partes vero huius ſententiae diſcedere dubitat Auctor, et haec tantummodo ad originem Patriciorum in Saxonia repetendam pertinere, oſtendit; contra vero Auguſtam Vindelicorum ante tempora Henrici I. iam dudum inhabitatam ab ingenuis fuiſſe, ex iis quae paulo ante dicta atque explicata fuerint, ſatis ſuperque conſtare arbitratur. Optaremus profecto, ut haec Auctoris de origine Patriciorum in reliqua Germania ſententia, copioſiori oratione illuſtrata, idoneis ſcriptorum coaevorum teſtimoniis, et aliis gravioribus argumentis confirmata, atque ab omnibus dubitationibus vindicata fuiſſet. At enim vero, cum ea, quae §. IV. ab Auctore de prima inhabitatione civitatis A. V. commemorata ſunt, nullis teſtimoniis ſcriptorum, ſed coniecturis nitantur; huic ſententiae A. ſubſcribere iure ac merito dubitamus. His expoſitis oſtenditur, hos incolas urbis fuiſſe milites Burgenſes, et deinceps nomen civium atque familiarum accepiſſe. Inter hos cives alii in bello militabant, alii miniſteria praeſtabant principibus, et epiſcopis, atque miniſteriales nominati ſunt. Circa annum *MLXX.* nomina quaedam Patriciorum civitatis A. V. occurrunt, quae ab Auctore indicata ſunt. Saeculo vero decimo tertio, cum libertis ius militandi concederetur, milites agrarii, inprimis ii qui cingulo militari eſſent donati, equites nominati ſunt, et ita etiam cives, hunc honorem adeptos, appellatos fuiſſe conſtat.

Digitized by Google

Inde ſucceſſu temporis, inprimis creſcente multitudine civium, qui ex libertis orti eſſent, (dicuntur Phalburgeri,) Burgenſes nomen patriciorum et familiarum acceperunt. Patricii igitur, ſive familiae (§. VI.) ſicuti omnis Germaniae inferior nobilitas, originem ſuam ab ingenuis repetunt. Hi ſoli cives nominati ſunt, et easdem praerogativas ac iura ſunt conſequuti, quae militibus agrariis conceſſa fuerant: deinde vero tempore Ottonum Imperatorum I. R. G. ipſam civitatem ab iis fuiſſe adminiſtratam, extra omnem dubitationem poſitum eſt. Hanc A. ſententiam, ut ab omnibus impugnationibus vindicaret, Diplomate Imperatoris Ludovici Bavari, ſive IV, civibus urbis A. V. a. MCCCXVI. dato, confirmavit, et ſumma capita illius enarravit, pariterque uberiorem explicationem ex hiſtoria Diplomatum civitatis A. V. *Herwardi* inedita addidit. Summa huius privilegii haec eſt: *ut cives Auguſtenſes, qui diſcreti probantur, et idonei, tamquam alii fideles et miniſteriales regni in quovis conſiſtorio Iurisdictionis temporalis valeant ſententias ſive ius dicere, cum aliis nobilibus et vaſallis, contradictione quorundam non obſtante.* Ex his verbis *Herwardus* inprimis demonſtravit Patriciorum originem civitatis A. V. ab ingenuis eſſe deducendam. Quamvis vero ob vocem generalem *civium,* in hoc Diplomate occurrentem, dubitatio quaedam exoritur; tamen ea ipſa ab *Herwardo* ita debilitatur, et infirmatur, ut doceat, et variis exemplis iluſtret, ſub voce civium, ex horum temporum conditione, nullos alios, niſi primarios cives, vel familias intelligi poſſe. Poſteaquam (§. VIII.) ex eo privilegio, atque explicatione *Herwardi* A. oſtendit, patricios ex ingenuis fuiſſe ortos, colligit porro, hoc etiam ex eo optime demonſtrari poſſe, ſiquidem milites agrarii, ſive nobiles inferiores, atque patricii, iisdem iuribus ac praerogativis uſi fuerint.

Ita Patricii (§. IX.) civitatis A. V. ius militiae habuerunt. Etenim non ſolum civitatem contra omnes hoſtium impetus acriter defenderunt, ſed etiam, ut ex monumentis hiſtoriarum ſatis conſtat, in exercitu Imperatorum fortiter

contra

contra hoſtes pugnaverunt, quid? illi patricii, qui villas poſſiderent, ſicuti reliqua nobilitas inferior, adverſus eos, a quibus ſatis graviter ſe fuiſſe offenſos ſibi perſuaderent, iure manuario uſi ſunt. Dignitatem porro equeſtrem (§. X.) adepti ſunt. Ita a. MCCCII. multi patricii civitatis A. V. ab Imperatore Adolpho cingulo militari ſunt donati. Ad Torneamenta admiſſi ſunt; (§. XI.) Feuda conſequi poterant (§. XII.), denique Iure inſignium (§. XIII.), ſepulchrorum, (§. XIV.) et ſigillorum (§. XV.) uſi ſunt. Haec omnia nonnullis exemplis ex Hiſtoria civitatis A. V. petitis egregie ab Auctore explicantur. Quamquam vero (§ XVI.) Patricii *in titulis*, atque externa ſignificatione honorum, Particulam *De* non adhibuerunt: tamen eorum nobilitatem indubitatam et ſalvam eſſe recte colligit Auctor. Beneficia ſacra patriciis collata ſunt, (§. XVII.) atque eos in ordines equeſtres receptos fuiſſe ſic demonſtratum eſt, ut nihil plane dubitationis ſupereſſe videatur. Ius ſententias ferendi, ſive iudicandi (§. XVIII.) ex privilegio Ludovici Bavari iam a nobis indicato, iis conceſſum fuit, et interdum arbitri litis electi ſunt. De miniſterii eorum, Epiſcopis atque principibus exhibitis, quaedam ab A. (§. XIX.) enarrantur, et § XX. oſtenditur, hos patricios in teſtimonium rei peractae ſaepe numero vocatos fuiſſe. In fidem rerum peragendarum obſides (§. XXI.) dati ſunt.

Quod ad coniugia Patriciorum attinet, et illos, ut reliquam nobilitatem, ingenuas duxiſſe §. XXII. demonſtratur. His omnibus expoſitis, ex univerſa hac rerum narratione luculenter A. patere (§. XXIII.) arbitratur, Patricios ad claſſem ingenuorum eſſe referendos. Sectio II. continet §§. V. et in ea antiquiſſima hiſtoria patriciorum civitatis A. V. usque ad annum MCCCLXVIII. commemoratur. Hanc narrationem, maxima ex parte, non idoneis teſtimoniis Scriptorum aut Diplomatibus, ſed potius coniecturis niti, A. (§. I.) ingenue fatetur. Summam vero §§. II. III. IV. V, ita ut veritatem a veri ſimilitudine bene diſtinguamus, Lectoribus indicabimus. Ex Codice legum civitatis A. V. patet, poſt tem-

Digitized by Google

tempora, ut dicunt doctores, Interregni in Germania, duodecim viros civitatem adminiſtraviſſe, ſive Senatum conſtituiſſe. Hi ex genere militari erant, neque apud alios munere miniſterialium fungi poterant. Senatus qualibet hebdomade, die Martis et die Saturni, habitus fuit. Ex hoc Senatu Quatuorviri, die Lunae et Veneris, deliberabant, quaenam res ad Senatum referendae eſſent, et iis nomen Directorii impoſitum fuit. Poſteris temporibus, nimirum anno MCCCXL. hic numerus Senatorum auctus fuit, ita ut deinde XXIV. viri Senatorum dignitate fungerentur.

In Sectione tertia ſocietates familiarum (Geſchlechter Geſellſchafften) conſtitutae, ob tribus a. MCCCLXVIII. exortas, explicantur. Continet illa Sectio §§. V. Summa huius explicationis haec eſt: a. MCCCLXVIII. tribus (§. I.) ſeditionem commoverant, Senatusque earum querelis ſatisfacere cogebatur. Cum vero deinceps (§. II.) multi patricii in tribus reciperentur, factum eſt, ut illi qui antiquos mores retinerent, hancque receptionem reiieerent, in quasdam ſocietates familiarum coirent. Illae familiae poſtea (§. III.) conventus ſuos in Curia ex antiqua conſuetudine agebant: cum vero illi, qui in tribubus eſſent, vario conſilio illis conventibus intereſſe tentarent, conſtitutione promulgata, familiae iis praeſentiam interdixerunt. Quamvis vero (§. IV.) ita iura ſua conſervaſſent patricii, tamen multi harum rerum pertaeſi, civitatem A. V. reliquerunt, et in aliis terris, inprimis Bavarica, ſedem ac domicilium collocaverunt. In §. V. denique huius Sectionis conſilium ſuum, hiſtoriae familiarum explicandae, lectoribus indicat Auctor. Sectione IV. igitur, quae §§. XXIII. abſolvitur, hiſtoria explicatur nonnullarum familiarum, quae ante mutationem in civitate factam vel extinctae ſunt, vel hac oblata occaſione e civitate diſceſſerunt, vel in tribus cooptatae ſunt. In Sectione V. §§. LI. hiſtoria earum familiarum, quae receptis tribubus, tamen iura ſua et praerogativas conſervaverunt, deſcribitur. Sectio ſexta, quae §§. XIV. exhibet, enarrat fata familiarum, cum omnis adminiſtratio reipublicae in poteſtate

teſtate

Digitized by Google

teſtate tribuum ſita atque poſita eſſet. Sectio VII. §§. III. auctum a. MDXXXVIII. numerum familiarum exponit. Sectio VIII. §§. XXXVIII. Hiſtoriam familiarum continet, quae a. MDXXXVIII. receptae fuerunt. Eminet inter reliquas hiſtoria familiae *Peutingerianae*, et *Fuggerianae*. Sectio nona, quae §§. IX, abſolvitur, deſcribit mutationes reipublicae civitatis A. V. tempore belli Schmalcaldici. Sectio X. fata familiarum poſt mutatam reipublicae formam, usque ad annum MDCXXVIII. illuſtrat, ſimulque incrementa illarum, cooptatis in ſocietatem tribus familiis, explicat. Continet illa Sectio §§. VIII. Sectione undecima, ſocietatem familiarum ab Imperatore Ferdinando II. novis familiis auctam fuiſſe, §§. III. oſtenditur. Harum familiarum hiſtoria Sectione duodecima §§. IX. enarratur. Sectio decima tertia fata familiarum ab a. MDCXXIX. usque ad finem anni MDCXXXII. explicat. Exhibet illa §§. III. Illarum familiarum Hiſtoriam A. Sectione decima quarta §§. XIV. luculentiori oratione deſcripſit. Sectione vero decima quinta familiarum fata ab anno MDCXXXV. usque ad finem anni MDCXLVIII. enarrantur. Illarum familiarum hiſtoria, quae anno MDCXLIX. *receptae* fuerunt, Sectione XVI. §§. IV. commemoratur. Sectione XVII. §§. VIII. fata familiarum ab anno MDCXLIX-MDCC. exponuntur, ſimulque hiſtoria trium familiarum, hoc tempore receptarum, familiae *Koch*, de *Rauner*, et de *Hoeslin*, explicatur. Sectione decima octava Hiſtoria familiarum ab anno MDCC - MDCCXVII. continuatur, ſimulque de receptis hoc tempore familiis de *Schnurbein*, de *Schanternell*, et de *Goldbach*, §§. V. ſermo inſtituitur. Sectio XIX. §§. VII. enarrat Reſcripta Imperatoris Caroli VI, quibus ſerio civitati interdicebatur, ne respublica impoſterum a familiis nimis arcta cognatione coniunctis adminiſtretur, quoniam ſumma et ſalus reipublicae facile ita ad paucorum dominatum trahi poſſet. Defenſionem familiarum, ſenatusque, exitum item huius rei, diligenter commemoravit Auctor. Sectio ultima (XX.) denique §§. XI. continet inprimis tria capita: primum nonnulla iura et privilegia,

E quae

Digitized by Google

quae familiis poſt annum MDCCXXX. ab Imperatore Carolo VI. conceſſa fuerunt, explicat, ſecundum explicationem Bullae Benedicti XIV, pontificis ſummi, exhibet; denique ultimum continet Hiſtoriam familiarum de *Münch*, de *Seyda*, de *Pflummern*, de *Rufini*, de *Scheidlin*, de *Kuen.*

Hanc omnem argumentorum tractationem, hiſtoriamque rerum geſtarum, diligenter cum legerimus, familiis civitatis A. V. de hoc libro ex animo gratulamur. Etenim docte, et accurate omnia, quae ad hiſtoriam et fata earum pertinent, ab Auctore generoſiſſimo expoſita fuiſſe, aequi et idonei huius doctrinae iudices certe exiſtimabunt: ita ſtudium hiſtoriae patriae, ab Auctore diligenter excultae, indicat iſte liber, ut inter praecipuos ex hoc genere librorum iure ac merito referri debeat. Profecto vero optaremus, (quare enim non dicendum ſit quid ſentiamus, cum neque gratia, mentem noſtram, neque invidia occupaverit,) optaremus igitur, ut etiam pulcherrimis ſcriptorum auctoritatibus, quibus explicata fuit ab Auctore civitatis patriae hiſtoria, non vero coniecturis, illuſtrata fuiſſet communis origo Patriciorum in Germania.

Quomodocunque ea ſe res habet, laudi cedit generoſiſſimo Auctori, quod in re tali, quae lectionem multam atque aſſiduitatem poſtulat, impendere otium voluerit, et Patriae ſuae hiſtoriam, illuſtrata Patriciorum dignitate, origine, et fatis, nova luce donare.

D. Joh. Georg Schelhorns Ergötzlichkeiten aus der Kirchen-Hiſtorie und Litteratur, ꝛc.

i. e.

IO. GEORG. SCHELHORNII, D. THEOLOGI Memmingenſis, Amoenitates Hiſtoriae litterariae et eccleſiaſticae. VOL. I. PARS III. et IV.

Vlmae, ex Libraria Bartholomaeorum, 1762.
Alph. 1. plagg. 2. in 8.

Pergimus

Pergimus in exponenda ſumma Amoenitatum Schellhornianarum, quas nuper merito ſuo laudavimus, et Partis quidem tertiae itemque quartae primi Voluminis; quae non minore atque duae illae priores, et varietatis et doctrinae lumine illuſtrantur.

Et caput quidem, quod ordine ſequitur, XXXVIII. agit de vita Antonii Brucioli, Itali docti. Vir ille, de quo pauca reperiuntur conſignata, erat ortus Florentia, ante finem, ut videtur, ſeculi decimi quinti. Doctore uſus eſt inprimis Franciſco Cattani da Diacceto; factus poſtmodum membrum Academiae Platonicae Florentinae. Iulio deinde Medicaeo, Cardinali, tandemque Papa Clementis VII. nomine, patriae tyrannidem invadente, noſter una cum aliis, Ludov. praeſertim Alamanno, eius a pueris amiciſſimo, in coniurationis ſuſpicionem adductus, fugam capeſſere coactus eſt a. 1522; unde Venetias primum, deinde in Galliam ſeceſſit. Ibi Maximiliani Sforzae, ducis Milanenſis, ſibi gratiam conciliavit, a quo et in Germaniam delegatus eſt. A. 1527. concluſo Clemente VII. in patriam rediit; praevalente autem iterum factione Medicaea a. 1529. in carcerem eſt coniectus, ex quo tandem, propter cleri invidiam, magna cum difficultate liberatus, rurſus tamen in exſilium miſſus eſt. Videtur inde abiiſſe Venetias, ibidemque operam ſuam Gabr. Giolito, in corrigendis libris impreſſis, praeſtitiſſe. Qua in miſeria ab Alph. Davalos March. del Vaſto, incluto belli duce, magnopere ſublevatus eſt. Mortuus eſſe non poteſt ante annum 1556. et quoad vixit, evangelicae veritatis fautorem ac teſtem eum non exiguum fuiſſe, e dictis et ſcriptis eius lucide apparet. XXXIX. De eiusdem Anton. Brucioli ſcriptis, imprimis verſionibus S. Scripturae, vel per partes, vel integrae, in linguam Italicam; et eiusdem Commentationibus in eandem. XL. In binas Melanchthonis epiſtolas non improbabilis coniectura; quarum altera quendam Micha. Bracchiolum, altera Braccietum memorat: quorum illum Mich. Brucioli, Antonii fratrem, neque alium hunc, eſſe Auctor

 opina-

opinatur. XLI. De Ulrico Grünsledero, de Vohendraz, martyre Huſſita, a. 1420. Ratisbonae crudeliter combuſto, exactiora quaedam, fideque maxime digna teſtimonia. XLII. Sixti IV. Pap. Rom. bulla in favorem Philippi de Letra, Praeceptoris domus S. Antonii Cremiaci; de anno 1475. XLIII. Exemplum litterarum venialium Iulii II. Pap. Rom. pro iis, qui aliquid contulerint ad reſtitutionem Eccleſiae Cathedralis Conſtantienſis, anno 1511. igni vaſtatae; ex origin. XLIV. Hug. Grotii binae e Gallia ad Guil. Schickhardum, Theologum Tubing. humaniſſimae epiſtolae, adhuc ineditae; ex origin. XLV. Excerpta quaedam e litteris Io. Ern. a Glauburg, de vero ſitu montis Tauni a Tacito commemorati; quem ille Taunum contendit eſſe montem hodie dictum *Feldberg*, in Veteravia ſitum, diſtantemque duobus milliariis ab Homburgo oppido. XLVI. Io. Schilteri epiſtola ad Io. Georg. Graevium; e MSto. XLVII. Binae Io. Mabillonii ad D. Io. Schilterum epiſtolae. XLVIII. D. Speneri ad Frider. Langium, Medic. Doct. Weteleníem, epiſtola pro Raunero commendatitia; e MSto. XLIX. Auctoris epiſtola ad Ioſ. Scheitberger, metallicum Salisburgenſem exſulantem, ſcriptis editis inſignem; huiusque ad eam reſponſio. L. D. Io. Phil. Treuneri epiſtola ad D. Tauberum, Senat. Auguſt. laudans librum Io. Iac. Mülleri de unione myſtica; ex orig. LI. Quaedam de bibliotheca Vaticana; ſpeciatim de forma aedificii quo illa continetur, huiusque ornamentis, per Ang. Mar. Quirinum Cardin. aere expreſſis. Unde hic memorantur Pontifices, praecipui bibliothecae amplificatores, itemque Cardinales Bibliothecarii. In illis ſunt Sixtus V. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. qui Palatinam bibliothecam Romam advexit; Alexander VII. Alexander VIII qui 1900. Codices ex bibliotheca Chriſtinae Suec. Reg. ſelectos Vaticanae addixit, Clemens XI. Clemens XII. Multum etiam per Quirini Cardin. Bibliothecarii munificentiam cepit incrementi. LII. Litterae

Digitized by Google

terae Clementis XII. Pap. Rom. quibus Cardinali Quirino munus demandatur Bibliothecarii Vaticani. LIII. Dominici Paſſionei, poſtmodum Cardinalis, ad Zachar. Conr. ab Uffenbach, Scabinum Francofurtenſem, epiſtola reſponſoria. LIV. Conſultum de Auguſtae Vindel. aditu Ieſuitarum, a Senatu Auguſtano omni ratione impediendo. LV. Melch. Goldaſti ad Io. Kraftium epiſtola; e vet. MSto. LVI. Io. Petr. Spethii, poſt apoſtatae, Ode in laudem Servatoris, ex genere Sapphico. LVII. Mariani Sertorii (i. e. Ant. Reiſeri) ad Gottlob. Spitzelium epiſtola, Poſonio miſſa, de rebus cum Evangelicis in Hungaria actis; ex origin. LVIII. D. Frid. Staphyli, (qui a Proteſtantium partibus poſtmodum ad Pontificios tranſiit,) excuſatio et ſupplicatio ad Imperatorem Ferdinandum, circa decretam legationem ſui ad Concilium Tridentinum. Item petitio ſubſidii ad emtionem alicuius villulae: ex ipſius manuſcripto exemplo impreſſa. LIX. De volumine, quod Auctor poſſidet, e ſcriptis Iordani Bruni Nolani: *Spaccio della beſtia trionfante*, et: *la Cena de le Ceneri;* per negligentiam bibliopoegi, vitioſe compacto, ideoque mutilo; cuius ille vehementer integrationem exoptat. Pars iv. haec habet: LX. De Iohannis Sylvani Atheſini vita, fatis, et inconſtantia, praeſertim in religione profitenda. LXI. Martini V. Pap. Rom. litterae veniales pro iis, qui eſſent profecturi in bellum contra Huſſitas, aut negotium illud promoturi. LXII. Duae Mart. Lutheri ad Hieron. Wellerum epiſtolae; e vet. MSto. LXIII. Binae Philipp. Melanchthonis epiſtolae. LXIV. De ſcripto contra polygamiam rariſſimo, cui titulus eſt: Dialogus, das iſt, ein freundtlich Geſpräch zweyer Perſonen, davon, ob es Göttlichem, Natürlichem, Keyſerlichem, und Geyſtlichem Rechte gemeſſe oder entgegen ſei, mehr dann eyn Eeweib zugleich zu haben. Und wo yemant zu diſer Zeit ſolches fürnehme, ob er als eyn undchriſt zu verwerffen und zu verdammen ſei oder nit. durch Hulderichum Neobullum. 1541. LXV.

Senatus Auguſtani epiſtola ad Wolffg. Muſculum, una cum huius reſponſione; e vet. MSto. LXVI. Expoſitio continuata de Ant. Brucioli ſcriptis, et theologicis et philoſophicis. Ad illa pertinent converſiones librorum Sacri Codicis in linguam Italicam, cum commentationibus; in his autem ſunt dialogi philoſophici, verſiones italicae Operum Ciceronis, et Ariſtotelis; alia. LXVII. Io. Georg. Hermanni, Sacerd. Memming. relatio de eiusdem Brucioli libro cantionum ſacrarum, adhuc inedito, cui titulus eſt: Dell' Amore divino e Criſtiano, opera manuſcritta in verſi Toſcani. Eſt ille argumenti praeſtantiſſimi, maximeque divini, cuius ſpecimen ſit cantio ſequens:

Neſſun' potrebbe, Signor mio, ſapere,
Quanto benigno ſia,
Se la tua bontà pia
Nol faceſſi conoſcere vedere.

Tu, vero fonte d'ogni eterno bene,
L'alma, la mente, e'l cuor illuminaſti,
E al cielo indirizaſti
Dicendomi: confida,
Ch'io t'ho levato dalle infernal pene,
Et voglio eſſer tua guida,
Perche l'anima mia per la tua poſi,
Per cavarti di luoghi tenebroſi.

Et coſi ſe mie orme ſeguirai
Ti condurrano al glorioſo regno,
Eſſendoti ſoſtegno;

Per

Digitized by Google

Per tutto'l tuo camino,
Tanto ch'al padre eterno in ciel ſarrai,
Che d'ogni ben divino
Herede ti fara per ſempre meco,
Fuggendo il mondo e'l male, che porta ſeco.

Hor per queſte dolciſſime parole
Qual core è quel ch' ardendo non ſi apriſſi?
Et ſe ſteſſo offeriſti
Come hoſtia in ſacrificio
Per eſſer grato à ſi divina prole
Di tanto beneficio
Di levarlo dal mondo e dal peccato
Et farlo al padre ſuo eterno grato.

Dunque priego, ſignore,
Signor benigno et pio,
Vero huomo et vero iddio,
Ch'in te ſempre mi tenga acceſo il cuore.

LXVIII. De Andr. Fricio Modrevio, Polono nobili, viroque docto, quaedam additamenta ad locum Baylii: Modrevius. LXIX. De bibliotheca Emanuel. Martini, Eccleſiae Alonenſis Decani, ab inquiſitoribus Hiſpanis aſperrime tractata. LXX. Pii V. Pap. Rom. Breve ad Io. Iacobum, Archiepiſcopum Salisburgenſem, de concubinatu cleri abolendo. LXXI. Gregorii XIII. de eadem re ad Ferdinandum, Archiducem Auſtriae; e vet. MSto. LXXII. Litterae Ferdinandi, Archiducis Auſtriae,

ſtriae, ad Archiepiſcopum Salisburgenſem, de eliminandis concubinis clericorum; e vet. MSto. LXXIII. Alberti Bavariae Ducis litterae ad Archiepiſcopum Salisburgenſem, de concubinatu clericorum; e vet. MSto. LXXIV. Receſſus Salisburgenſis in dieta congregationis, occaſione concubinatus, cleri ibidem habitae d. XIV. Ianuar. anno 1576. e vet. MSto. LXXV. Tres Steph. Baluzii ad Ioan. Schilterum honorificentiſſimae epiſtolae; ex origin. LXXVI. Aliae quatuor Baluzii ad Schilterum epiſtolae; ex origin. LXXVII. Tria mandata electoralia ad Theologos Wittenbergenſes, circa controverſias Socinianas.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Februarii Anno ***MDCCLXIII.***

CONCILIA GERMANIAE, QUAE CL. IO. FRIDER. SCHANNAT magna ex parte primum collegit, dein P. IOSEPHUS HARTZHEIM S. I. plurimum auxit, continuavit, notis, digreſſionibus criticis, Charta et Praefatione chorographicis illuſtravit. TOMUS IV. de A. MCCXC. ad MCCCC.

Coloniae Auguſtae Agrippinae MDCCLXI. Alph. 4. duern. in fol.

Cui Operi immortuus eſt *Hartzhemius* V. Cl. eius nunc Tomum IV. proponimus. Neque hoc Volumine defecit Editor a more eo, quem tenuit in reliquis, ut a nobis animadverſum eſt: igitur nonniſi Indicem chronologicum deſcribimus Conciliorum Germaniae, et Epiſtolarum ad Concilia pertinentium, quae hic exhibentur; item Supplementi Conciliorum, quae Tomo II. et III. ſuis annis inferenda ſunt. Prolegomena ſunt 1) Catalogus Paparum: 2) Series Regum Romanorum, inde ab Adolfo Naſſovio usque ad mortem Wenceslai. Quae ſupplentur Concilia, haec ſunt: Anno 916. Altheimenſi Concilio duo Canones adduntur: 952. *Auguſtanae I.* Synodi additamentum: 1035. *Triburienſi II.* Synodo addendus Canon. 1074. *Moguntinus*

nus XLI. Conventus, quomodo inculta terra Rudensheim ſit innovanda. 1085. *Moguntini* XLII. Concilii ſub Wezelone Archiep. Mogunt. Traditio facta de bonis apud villam Lorcha. 1090. *Moguntinum* XLIII. Concilium ſub Ruthardo Archiep. Fundatio Monaſterii Cambergenſis. 1105. *Synodi V. Quinteleburgenſis* mentio. 1107. *Magdeburgenſe* XI. Concilium Hallae in Quadrageſima. Mentio ſola. 1120. *Halberſtadenſis* V. Concilii varians lectio, ſub Reinhardo Ep. 1121. *Halberſtadenſis* VI. Synodi, ſub Reinhardo Epiſc. varia lectio. 1121. *Erfordiae* VI. Concil. Moguntinae Provinciae, inter Praepoſitum et Canonicos S. Severi lis compoſita. 1127. *Moguntinus* XLIV. Conventus Dioeceſanus, ſub Adelberto, lege Synodali definiente, S. Diſibodo de locis, ubi creverint fruges, dandam eſſe decimam. 1132. *In Theodonis Villa* VII. Conventus Epiſcoporum, de pace inter Ducem Lotharingiae et Eccleſiam S. Deodati reſtaurata. 1132. *Treverenſis* XVII. XXIX. Conventus. Teſtimoniales de Duce Lotharingiae abſoluto ſub Alberone Archiep. Treverico. 1141. *Halberſtadenſis* VII. Synodi ſub Rudolpho Epiſc. ex Originali inſpecto editio. 1152. *Treverenſe* XXX. Concilium Provinciale ſub Hellino Archiep. 1160. *Hamburgenſe* I. Statutum ſub Hartwico Bremenſi Archiep. de Bremenſi Synodo, a Transalbianis Epiſcopis, Lubecenſi, Raceburgenſi, Swerinenſi, annuatim viſenda Hamburgi. 1179. *Lateranenſi* III. Generali XI. Concilio addenda actio: de Bertholdo Bremenſi electo a Papa et per Concilium reiecto a Conſecratione. 1215. *Rigenſe* I. Concilium, diviſio trifaria proventuum Eſtoniae. 1224. *Rigenſe* II. Concilium ſub Alberto Epiſc. Renovat Statuta Innocentii III. de anno 1215. 1227. *Moguntina* XLIV. Synodus ſub Sifrido Archiep. De bonis Advocatorum. 1230. *Mindenſis* Eccleſiae Statuta II. ab Ottone Cardinali Viſitatore edita. 1236. *Hildesheimenſe* XII. Concilium, ſub Gerardo, de donatione militis de Gandersheim facta S. Godehardo. 1239. *In Heiligenſtat* vel *Northuſen*; Moguntinae Provinciae, XLV. Compoſitio Sifridi Archiep. Mogunt. et Ottonis Ducis Brunſwi-

Brunſwicenſis. 1243. *Moguntino Concilio* XXXVIII. addenda Praefatio. 1259. *Moguntini* XLVI. Provincialis Concilii Statuta VII. 1261. *Moguntini* XLVII. Concilii. Excommunicatio Sophiae Brabantinae et filii eius Henrici. 1266. *Bremenſe* III. Concilium, ſub Widone, Legato S. Sedis Apoſtolicae. 1275. ad *Patavienſe* VII. Concilium a. h. Invitatoria. 1279. *Mindenſe* II. Concilium, ſub Volquino Epiſc. 1287. *Herbipolenſis* XI. Concilii clauſula, Tomo IV. inferenda. Hactenus Supplenda et inſerenda Tomis II. et III.

Tomi IV. propria Concilia haec ſunt: 1291. *Concilium Saltzburgi* XVI. ſub Conrado Archiep. §. 1. Deliberatio Patrum de ſuppetiis terrae ſanctae ferendis: de tribus Ordinibus Hoſpitalariorum, Templariorum, et Teutonicorum, in unum Ordinem redigendis. §. 2. Epiſtola Patrum Concilii ad Papam lamentatoria, de urbe Accon capta a Turcis: de contractibus matrimonii et ſponſalibus clandeſtinis impediendis, puniendis. §. 3. Contra Clericos, qui procurationes ſaeculares admittunt. §. 4. Contra Sectam vagorum Scholarium. §. 5. Contra Maynardum Comitem Tyrolis et Socios, Brixinenſis Eccleſiae bona iuvadentes. 1291. *Ioannis Epiſcopi Traiectini Epiſtola Synodica* VIII. §. 1. 2. 3. 4. Excommunicantur perturbatores, complices, occupantes bona Eccleſiaſtica. §. 5. Damnati concubinarii. §. 6. Denuntiandae vacaturae. §. 7. Inſtitutio Beneficiatorum Epiſcopo reſervatur. §. 8. Praeceptum, ſingularum Eccleſiarum matricula Epiſcopo intra menſem exhibenda. § 9. Decimarum cognitio et iurisdictio Epiſcopi eſt. §. 10. Revocatio omnium commiſſionum cuivis conceſſarum. 1292. *Aſchaffenburgenſe* II. Concilium. Capitula XXV. Sub Gerhardo Moguntino Metropolita, Moguntinum XLVIII. 1292. *Bremenſis Eccleſiae Concilium Provinciale* IV. ſub Gyſelberto de Brunckhorſt, Archiepiſc. XXVI. 1293. *Francofordienſis Synodi* XII. mentio ex Lersnero. 1293. *Ultraiectinum* IX. Concilium, ſub Ioanne Epiſc. Capite XXXI. penultimo enumerantur caſus Epiſcopales reſervati. 1293. *Patavienſe*

ad S. Hippolytum VIII. Statuta tria. 1294. *Saltzburgenſe* XVII. Concilium. Epitome ex Chronographo Mellicenſi. 1294. *Moguntini Conc.* XLVIII. ſub Gerhardo Archiep. Statutum unum et alterum. 1294. *Patavienſe ad S. Hippolytum* in Auſtria IX. Concilium. §. 1. De forma pileorum a Clericis geſtandorum. §. 2. De vigiliis anticipandis, ſi in Dominicam incidunt. 1294. *Ultraiectinum* Concilium X. Mitigatio ſtatutorum antiquorum. Quatuordecim nova promulgantur ſub Ioanne Epiſcopo. 1296. *Moguntini Concilii* XLIX. ſub Gerhardo Archiep. Statuta XVI. 1296. *Halberſtadenſe Concilium* XX. ſub Volrado Epiſc. De dote uxori non conſtituenda ex haereditariis, citra conſenſum haeredum. 1297. *Ultraiectini* XI. Concilii ſub Epiſc. Bertholdo Synodica Epiſtola, de Clericis defectum natalium legitimorum habentibus, et plura uno beneficia poſſidentibus, Statuta tria. 1298. *Herbipolenſe* Concilium XII. ſub Mangoldo Epiſc. Statuta XXI. et plura. 1299. *Mindenſe* III. Concilium ſub Ludolpho Epiſc. contra raptores Eccleſiae bonorum, cuius Statuta Wicboldus Metropolita Coloniae Anno 1299. 18. Nov. confirmat. 1300. *Argentinenſe* III. Concilium ſub Friderico Epiſc. contra concubinatum. 1300. *Saltzburgenſis* XIX. Concilii Provincialis ſub Conrado Epiſc. Legatio ad Papam, ad obtinendam interpretationem decretalis: Super Cathedram: ob concordiam Regularium et Saecularium. 1300. *Colonienſe* XXXIV. Concilium ſub Wicboldo Archiep. Capitula XXII. 1300. *Mindenſis* IV. Cathedralis Capituli ſtatutum, de diſtributione a Praepoſito facienda. 1300. *Moguntinum* L. Concilium ſub Gerardo II. Capitula VII. 1300. *Monaſterienſe* IV. Concilium. Mentio facta inter annos 1276. et 1300.

Sequitur *Digreſſio* ad *Saeculum XIII.* a pag. 44. ad 66. §. I. De ſcientia et legibus editis a Friderico II. pro Eccleſia contra haereticos. De connexione errorum huius Saeculi, tum inter ſe, tum cum praecedentibus. §. II. De Canoniſtis Germanicis Saeculo XIII. §. III. Quos errores ex hoc Saeculo adoptaverint et reſuſcitaverint Calvinus et Luthe-

Lutherus. §. IV. De Haereticis, ſpeciatim Albigenſibus, Waldenſibus. §. V. Quibus mediis Eccleſia ſit uſa contra hos haereticos. §. *VI.* Parallelum Saeculi XIII. cum Saeculo IV. et varia media adhibita pro ſanandis haereticis. §. VII. De Albigenſibus ſpeciatim. §. VIII. De uſu gladii contra haereticos. §. IX. De haereſi Stedingorum, et mediis contra eos adhibitis. §. X. De haereticis in Dioeceſi Treverica et Moguntina. §. XI. De origine Inquiſitionis et Inquiſitorum. §. XII. De variis ſpeciebus Inquiſitorum. §. XIII. De haereſi Flagellantium. §. XIV. De Fratricellis, Beghinis, Beghinagiis. §. XV. De primo abuſu Scripturae S. in linguam vulgatam verſae. §. XVI. De Canonibus poenitentialibus Saeculo hoc commutatis. §. XVII. De vero ſenſu Canonis XXI. Omnis utriusque Sexus, Lateranenſis Concilii.

Saeculum XIV. 1301. *Cameracenſia* III. IV. V. VI. VII. Concilia fuere celebrata annis 1300 1307. 1308 1309. 1310. cum haec non annis diſtincta, ſed in unum collecta ediderit *Martenius*, ideo huic anno aſſignamus. 1301. *Moguntiae* LI. Concilium ſub Gerardo Archiep. Statuta ſeptem. 1301. *Cameracenſe* VIII. Concilium. 1301. *Wormatiae* XXIV. Concil Bullae Bonifacianae executio urgetur. 1302. *Mindenſis* V. Synodi ſub Ludolpho Epiſc. Statutum. Excommunicantur negligenter in ſolvendo cenſu. 1303. *Cameracenſe* IX. Concilium. 1305. *Vratislavienſe* IV. Concilium ſub Henrico Archiepiſc. Statuta VI. 1306. *Monaſterienſe V.* Concilium ſub Ottone Epiſc. contra Clericos rebelles. 1306. *Colonienſe XXXV.* Concilium ſub Henrico Archiep. Statuta XV. 1307. *Coloniae XXXVI.* Concilium ſub Henrico Archiep. Statuta XVIII. 1308. *Mindenſis VI.* Concilii ſub Godefrido Epiſc. Renovatio Statutorum in praeteritis Synodis. 1310. *Camerati X.* Concilium ſub Petro Epiſc. Statuta XV. 1310. *Colonienſe Concilium Provinciale XXXVII.* ſub Henrico Archiep. Statuta XXIX. 1310. *Treverenſe* Concilium Provinciale XXXI. ſub Balduino Archiep. Capitula CLVI. 1310. *Salisburgenſe*

Digitized by Google

Concilium Provinciale XX. ſub Conrado Archiep. Determinatio decimae ſolvendae Summo Pontifici proximo biennio, cum variantibus *P. Meichelbeck*. Declaratio Statutorum, eodem anno et Concilio edita. 1310. *Ultraiectinum* XII. Concilium ſub Guidone de Hannonia Epiſc. Statuta XL. 1310. *Monaſterienſe* VI. Concilium ſub Ludovico Epiſc. Unum ſtatutum ſervavit *Schatenius*. 1310. *Moguntinum* Concilium Provinciale LII. ſub Petro Archiep. conſtat Libris IV. diſtinctis in Capitula CLXVI. iuxtà Codicem MS. Bibliothecae Iuliae. §. 2. Templariorum cauſa ventilata in eodem Concilio. 1312. *Viennenſe* in Gallia Concilium Generale XV. Kal. Octobris inchoatur. Ad illud omnes Archiepp. et Epp. Germaniae invitantur a Clemente V. anno IV. et V. Pontificatus, Encyclicis ſcriptis. IIdo invitatur ſpeciatim Coloniae Archiep. ad examen cauſae Templariorum. Commiſſarii pro Germania invitantur ſpecialibus litteris a Papa. IIItio damnantur Beguini et Begardi in Alemannia vagantes: Capit. ad noſtrum de Haereticis L. V. Plura alia ibidem actitata. Haec tria ſolum ad Germanicas Eccleſias ſpectant e Viennenſi Concilio. 1311. *Cameraci XI.* Concilii Statuta. Cameracenſis Epiſc. Monitiones. 1311. *Mindenſis VII.* ſub Godefrido Epiſc. Statutum. De Praebendis dandis ſuo tempore Canonicis a Praepoſito, ſub iactura officii. 1311. *Argentinenſe* IX. Concil. ſub Ioanne Ochſenſteinio. 1312. *Cameraci* XII. Concilii Statuta. 1313. *Hildesheimenſis* Epiſc. Statuta, Facultas donandi Eccleſiis. 1313. *Mindenſis VIII.* Concilii Statuta ſub Godefrido Epiſc. De reſidentia Beneficiatorum, ac illegitimis non admittendis; prohibitio Altaris portatilis. 1313. *Mindenſis IX.* ſub Godefrido Epiſc. ſtatutum: de vita Clericorum: de non alienandis bonis Eccleſiae. 1313. *Cameracenſe XII.* Concil. De reverentia Eccleſiarum, iurisdictione, et libertate earum. Additiones ad ſtatuta Synodalia Cameracenſia anni 1311. 1313. *Magdeburgenſe XII.* Concil. Provinciale ſub Borchardo II. Archiep. Statuta IX. 1314. *Herbipolenſe XIII.* Concilium ſub Andrea Epiſc. Statuta XXI. 1315. *Came-*

Digitized by Google

Cameracenſe XIII. Concil. 1316. *Cameracenſe XIV.* Concilium. 1316. *Monaſterienſe VII.* Concil. ſub Ludovico Epiſc. 1316. *Wormatienſe* XLIII. ſub Emerico Epiſc. 1316. *Moguntinum* LIII. ſub Petro Archiep. Conſtitutiones pro Regularibus. 1317. *Moguntiae* LIV. Provincialis Concilii mentio. 1317. *Mindenſe* X. Statutum de pane praebendali. 1317. *Cameracenſe* XV. Concilium ſub Petro Epiſc. varia Statuta. 1318. *Moguntinum LV.* Concilium ſub Petro Archiep. Statuta X. 1318. *Monaſterienſe VIII.* ſub Ludovico Epiſc. 1318. *Traiectenſe* ad Rhenum XIII. Concilium ſub Friderico Epiſc. Statuta IX. 1319. *Olomucenſe I.* Concilium ſub Conrado Epiſc. Canones XXVII. 1319. *Lubecenſe I.* Concilium ſub Henrico Epiſc. Statuta XXII. 1320. *Magdeburgicae Hallae* XIII. Concilium. 1320. *Leodienſe* XVIII. Concilium ſub Adolpho Epiſc. 1321. *Colonienſis* XXXVIII. Concilii ſub Henrico II. Archiep. Canones VI. 1322. *Moguntini* LVI. Synodica *Erfordiae* ſcripta, de Bulla Ioannis XXII. ex Avenione Kal. Auguſti, contra errores fratris Ioannis de Polliaco. 1322. *Pomeſanenſe* in Pruſſia I. Concil. 1322. *Magdeburgenſe* XIV. Concil. ſub Borchardo Archiep. 1322. *Colonienſe* IXL. Concilium Provinciale ſub Henrico II. Archiep. Dioeceſana Statuta Engelberti fiunt Provincialia Statuta. 1323. *Norimbergae* in Conventu Appellatio Ludovici IV. Regis Roman. ad Concil. futurum. 1324. *Paderbornenſe* XIII. Concilium ſub Bernardo Epiſc. De ordine divini officii. 1324. *Cameracenſe* XV. ſub Henrico II. Statuta Petri Epiſc. confirmantur. 1324. *Colonienſe XL.* Singulare Statutum Henrici II. Moderatio ſtatutorum. 1324. *Halberſtadii* IX. Concilium. 1327. *Coloniae XLI.* Concilium ſub Henrico II. Archiep. Statuta tria. 1327. *Conſtantienſis* in Alſatia I. Concilii Indictio. 1327. *Moguntini* XLVII. Concilii mentio. 1328. *Bremenſis III.* Concilii mentio ſub Burchardo Epiſc. 1328. *Colonienſe* XLII. Concil. ſub Henrico Archiep. Moderatio ſtatutorum Provincialium. 1328. *Aſchaffenburgenſis* III. Concilii Capitula II. 1328. *Halberſtadii* X. Concilii varians lectio.

lectio. 1330. *Herbipolenſe* XIV. Concil. ſub Wolframo Epiſc. Capitula VII. 1330. *Lubecenſe* II. Concilium ſub Henrico Epiſc. ſtatutum. 1330. *Coloniae* XLIII. Concil. ſub Henrico Archiep. Statuta XVI. 1331. *Vratislaviae* V. Concil. ſub Nankero Epiſc. Alterum eodem anno. 1331. *Paderborn.* XIV. Synodus ſub Bernardo Epiſc. 1331. *Wormatienſis* XLIV. Synodus ſub Gerlaco Epiſc. 1332. *Verdenſe* I. Concil. de quantitate maioris et minoris Decimae. 1333. *Colonienſe* XLIV. Concil. autumnale ſub Walramo Archiep. Statuta V. 1335. *Colonienſe* XLV. vernum, XLVI. autumnale Concilium. Statuta IV. 1336. *Tridentina I.* Synodus ſub Henrico II. Statuta XVIII. 1336. *Coloniae* XLVII. vernum, XLVIII. autumnale Concilium ſub Walramo Archiep. 1337. *Treverenſe* XXXIII. Concil. ſub Balduino Archiep. Renovatio Statutorum veterum. 1338. *Coloniae* XLVIII. XLIX. Autumnales Synodi ſub Walramo Archiep. 1338. *Francofurti* XIII. Convent. Electores mittunt Legatos ad Papam et ei ſe ſubmittunt. 1338. *Spirenſibus in Comitiis I.* Ludovici Regis Profeſſio catholicae Fidei, et Reſponſio ad obiecta ſuae perſonae. 1338. *Spirae II. Conventus Electorum*, Ludovici Imp. obſequia Papae offerentium. 1338. *Notificatio ex Rhenſe;* Conſtitutio Electorum Imperii Rom. de ſuo et electi Regis Romanorum iure. 1338. *Francofurtenſi in Conventu* Declaratio Imperatoris et Electorum Imperii, de iure electi Regis immediate a ſolo Deo deſcendente. VIII. Aug. 1338. *Electorum et Principum Imperii Epiſtola* ad Benedictum XII. Pp. pro revocandis Sententiis a Ioanne XXII. latis. 1339. *Coloniae L.* Synodus ſub Walramo Archiep. Statuta IV. 1339. *Trevirenſe* XXXVI. Concil. Statuta VI. 1340. *Saltzburgi* XXI. Concil. contra Radulphum Presbyterum ſacrilegum. 1342. *Lubecenſe II.* Concilium ſub Ioanne IV. Epiſc. 1342. *Olomucenſe II.* Concil. ſub Ioanne Epiſc. Capitula XXII. 1342. *Pragenſem Eccleſiam Clemens VI. P. P. Metropoli Moguntinae ſubtrahit*, et eximit. 1343. *Traiectini* XIII. ſub Ioanne Arckelio Synodica Epiſtola I. 1343. *Leodienſis* XIX. Concil. Eccleſiae correctiones, et additiones ad Statuta Curiae Leodienſis. 1344. *Traiectini XIV.* Concil. ſub Ioanne Epiſc.

Digitized by Google

Epiſc. Canones IV. ex eadem Epiſtola Canonica. 1344. *Magdeburgi XV.* Concil. Provinciale ſub Ottone Archiep. 1344. *Coloniae LI.* Autumnalis Synodus ſub Walramo Archiepiſc. Statutum I. 1344. *Avenione* Clementis VI. Pp. Declaratoria et ampliatoria Archiepiſcopatus Pragenſis. 1344. *Treverici* XXXVII. Concil. Mauritianum. Statutum de feriarum vindemialium quantitate. 1345. *Traiectini XV.* Concilii Canonica Epiſtola III. 1346. *Traiectini XVI.* Concilii Epiſtola IV. Synodalis. 1346. *Colonienſis LII.* Autumnalis Concilii Statutum. 1347. *Ultraiectini* XVII. Concil. Epiſtola V. Synodica. 1348. *Colonienſe LIII.* Autumnale Concil. ſub Walramo Archiep. 1348. *Traiectini XVIII.* Concil. ſub Ioanne Arckelio Epiſtola VI. Synodica. 1349. *Treverenſe XXXV.* Concil. Statuta VI. 1349. *Avenione* Clementis VI. Pp. Epiſtola ad Moguntinum Archiep. contra Flagellatores haereticos. 1350. *Naumburgenſe I.* Concil. ſub Ioanne Epiſc. 1350. *Moguntino* Archiep. Gerlaco ſcriptae litterae a Carolo IV. Imp. de Cleri moribus in Synodo corrigendis. 1350. *Bremenſis II.* Synodus ſub Godefrido Archiep. de Oeconomis Eccleſiarum. 1351. *Colonienſe LIV.* Concil. vernum ſub Wilhelmo Archiep. 1351. *Traiectenſe XIX.* Concilium ſub Ioanne de Arckel. Epiſtola Synodica VIIma. 1351. *Traiectinum XX.* Synodica octava, nona. 1352. *Colonienſe LV.* Vernum, LVI. Autumnale Concilium ſub Wilhelmo Archiep. 1353. *Coloniae* LVII. LVIII. Concil. Vernum et Autumnale ſub Wilhelmo Archiep. 1353. *Traiectenſis* XXI. Concilii ſub Ioanne Arkelio Epiſc. Epiſtola IX. X. XI. XII. XIII. XIV. 1354. *Colonienſe* LIX. Concil. Vernum ſub Wilhelmo Archiep. Statuta IV. 1354. *Moguntini* LVIII. Concilii ſub Gerlaco Archiep. declarante ſtatuta Conciliorum ſub Petro Moguntino Archiep. anteceſſore. 1354. *Eichſtettenſis I.* Synodus ſub Bertholdo Epiſc. Eiusdem Bertholdi Statutum de Feſto Inſigniorum Chriſti. 1355. *Ultraiectinum* XXII. Concilium ſub Ioanne Epiſc. Statuta II. Eiusdem Epiſtola Synodalis XVI. de immunitate Eccleſiaſtica. 1355. *Pragenſe I.* Provinciale Con-

G Con-

Digitized by Google

Concilium ſub Erneſto Archiep. Capp. LXVIII. II. Statutum Synodale, conſtans IX. Canonibus. 1356. *Spirenſe III.* Concilium ſub Gerardo Epiſc. Damnatur Bertholdus haereticus Beguardus. 1356. *Lubecenſe III.* Concilium ſub Bertramo Epiſc. contra luxum veſtium et IV. Compaternitates Eccleſiaſticorum, eodem anno. 1356. *Colonienſe LX.* Vernum Concil. ſub Wilhelmo Archiep. 1357. *Colonienſe LXI.* Vernum; LXII. Autumnale Concilium ſub Wilhelmo Archiep. Statuta XIV. 1358. *Caminenſis I.* Concilii mentio. 1358. *Spirenſis IV.* Concilii mentio. 1360. *Colonienſe LXIII.* Autumnale Concilium ſub Wilhelmo Archiep. Bulla Innocentii VI. promulgata. 1362. *Colonienſe LXIV.* Concilium Autumnale ſub Wilhelmo Archiep. 1362. *Magdeburgenſe XVI.* Concil. ſub Theodorico Archiep. 1364. *Aichſtettenſe II.* Concilium ſub Bertholdo Epiſc. Capitula LI. 1370. *Coloniae LXV.* Concilium Autumnale. 1370. *Magdeburgi* XVII. Concil. ſub Alberto Archiep. Capitula XXXIV. 1370. *Francofordiae* XIV. Concilium. 1370. *Monaſterienſe VIII.* Concil. ſub Florentio Epiſc. Statutum alterum et tertium. 1371. *Coloniae LXVI.* Concilium ſub Friderico III. Archiep. Capitula XX. 1372. *Coloniae LXVII.* Concilium ſub Friderico III. Archiep. Capitula XI. 1373. *Romae* Urbani IV. Pp. Epiſtola ad Archiepiſc. Colonienſem: contra Antipapam Clementem nuntiatoria damnatoria. 1373. *Herbipolenſe XV.* Concilium ſub Alberto Epiſc. Statuta III. 1375. *Colonienſe LXVIII.* Concilium ſub Friderico Archiep. 1377. *Auguſtani II.* Concilii mentio. 1380. *Brandenburgenſis I.* Concilii mentio. 1380. *Saltzburgi* XXII. Concil. Provinciale ſub Piligrino Archiep. 1380. *Aquisgrani* XXX. Conventus Imperatoris et Principum, acceptantium Urbanum VI. Pp. 1380. *Olomucenſis III.* Concilii ſub Ioanne Epiſc. Epiſtola Synodica. 1381. *Pragae III.* Concilium Provinciale ſub Ioanne Archiep. Statuta VII. 1383. *Cameraci XVI.* Concilium. 1384. *Wormatiae XXV.* Synodus ſub Eccardo Epiſc. 1384. *Pragenſis* IV. Concilii ad h. a. mentio. 1386. *Salisburgi* XXIII. Concilium ſub Piligrino

grino Archiep. Statuta XVII. 1387. *Moguntini LIX.* Concilii mentio ſub Conrado II. Archiep. 1390. *Coloniae LXIX.* Concilium. Viſitatio Eccleſiae, et ſubiuncta decreta Synodalia XVII. 1392. *Pragenſis V.* Synodus ſub Archiepiſc. 1392. *Ultraiectina XXI.* Synodus ſub Florentio Epiſcopo: de Pſeudo-Epiſcopis. 1393. *Monaſterienſe IX.* Concilium ſub Ottone Epiſc. 1393. *Monaſterii X.* eodem anno ibid. 1396. *Halberſtadenſis X.* Synodi mentio. 1398. *Monaſterienſe XI.* Concilium ſub Ottone Epiſc. 1400. *Colonienſe LXX.* Concilium, Capitula XXXV.

Finem imponit Operi *Digreſſio ad Saeculum XIV.* in qua ſunt: §. I. De Canoniſtis Germanis huius Saeculi. §. II. De Fratricellis et erroribus circa paupertatem Chriſti, et S. Franciſci Regulae. §. III. De Beghinis et Beguardis, utrorumque origine, differentia, haereſi, vel innocentia, Bullae Clementis V. §. IV. De Pſeudo-Epiſcopis Livoniae. §. V. De Secta Flagellatorum. Bulla Clementis VI. contra eosdem. §. VI. De Haereſi Lollardorum. §. VII. De erroribus Echardi. Bulla Ioannis XXII. contra eundem. §. VIII. De feſto die inſtituto Lanceae et clavorum Chriſti. §. IX. De duabus Bullis Clementis Pp. revocandis. §. X. De duplici gladio a magnis Canoniſtis ante Bonifacium VIII. adhibito. §. XI. Wenceslaum quindecennem non fuiſſe electum Regem Romanorum conditionibus a Papa praeſcriptis, oſtendit Cl. Pagi contra Spondanum.

VINDICIAE LIBERTATIS CIVITATUM Imperii circa Receptionem Cancellariae Equeſtris, eiusque Conſectaria. Opus in partes Hiſtoricam, Politicam, et Polemicam diſtributum: iubente Senatu civitatis Heilbronnenſis, ante biennium fere conſcriptum, et probatum: nunc autem, premente caſu, auctoritate publica formis excuſum.

Stutgardiae cura Ioh. Benedicti Mezleri. 1. Alph. plagg. 17. in 8.

Inter illuſtres, et ſaepe acriterque agitatas Iuris Publici Imperii Rom. Germanici controverſias, ea etiam praecipuum locum obtinere videtur, quae cum in univerſum iura ac praerogativas Nobilitatis Germanicae immediatae exponit atque illuſtrat; tum inprimis haec iura, et has praerogativas, ex nonnullorum ſententia amplificare, ex aliorum conſilio minuere ſolet. Eminet vero veluti inter has dubias huius ſplendidi ordinis equeſtris praerogativas, iurisdictio ordinaria in ſuos officiales, ſive miniſtros, (nam ratione officii res extra dubitationem poſita eſt,) quam ſibi ſoli vindicavit, ſive ut dicunt privative, immediata nobilitas Germaniae, repugnantibus, et ſibi eam iurisdictionem aſſerentibus Dominis vel poſſeſſoribus territorii. Variis temporibus de hac iurisdictione ordinaria, valde dubia, lites ſunt exortae; nuper vero haec lis, ſopita pauliſper, occaſione aliqua oblata, iterum in civitate Heilbronnenſi excitata, et diverſa plane ratione, cum diſſertatione in Academia Göttingenſi habita, tum reſponſo Facultatis iuridicae Göttingenſis, denique ſententia viri perilluſtris, Friderici Caroli Moſeri, diiudicata fuit. Defenderat *Feltmannus*, iam pie defunctus, in diſſertatione: *de privilegiata iurisdictione ſplendido nobilitatis immediatae corpori in eius officiales, ſalvo alias cuiuscunque iure territoriali, privative competente*, Göttingae 1758, iura nobilitatis immediatae Germanicae, et eam iurisdictionem ordinariam dubiam ac incertam in officiales, omnino ad ordinem equeſtrem, nullo modo ad liberas imperii civitates pertinere, variis argumentis, et copioſa oratione oſtenderat. Cum vero deinceps ipſa Facultas Iuridica Academiae Göttingenſis de hac ipſa cauſſa graviſſimi momenti interrogaretur, eandem ſententiam, reſponſo ea de re dato, propoſuit ac declaravit, quam Feltmannus in commemorata diſſertatione tueri et obtinere omni modo elaboraverat. Longe ab hac ſententia diſceſſit Vir perilluſtris, Carolus Fridericus Moſerus, et iura civitatum imperii ſtabilienda, hancque ipſam iurisdictionem ordinariam, de cuius iactura ſaepenumero conqueſtae ſunt, iis vindicandam,

Digitized by Google

dam, contraria vero ex parte ordini equeſtri in ſuos miniſtros denegandam eſſe, reſponſo, quod ab eo poſtulabatur, oſtendit ac demonſtravit. In hac ſententia viri perilluſtris uberius explicanda, et in ſtabiliendis luculentiori oratione iuribus civitatum imperii, verſatus eſt conſultiſſimus et excellentiſſimus Auctor huius libri, *Orthius*, civitatis Heilbronnenſis Conſul, (quo modo nobis narratum fuit,) qui hanc operam non ex ſtudio inanis gloriae ſibi comparandae, ſed amore in rempublicam ſuſcepit. Diligenter vero et accurate illius libro perlecto, profecto dubius haereas, utrum magis prudentiam Viri in republica gerenda, et iuris publici cognitionem, an elegantiam dicendi, pulchritudinemque orationis admirari debeas. Age vero indicemus argumenta libri Lectoribus, ita vero, ut iis in cauſſa, cuius defenſio, ſive impugnatio, gratiam pariter ac odium nobis conciliaret, liberum iudicandi relinquamus arbitrium.

In tres partes, quemadmodum iam diximus, univerſa huius argumenti tractatio diviſa eſt, in partem Hiſtoricam, Politicam, atque Polemicam; deinde vero illi tractationi, ad magis confirmandam defenſionem cauſſae, adiecta ſunt, cum *litterae reverſales*, ſicuti dicunt, ordinis equeſtris loci in Suevia Chreichovici, de anno MDCXX, tum ſeptem Decreta, ſive ut dicunt concluſa iudicii aulici de annis MDCCXLVII, et MDCCXLVIII, in quibus iuriſdictio ordinaria in officiales ordinis equeſtris, Senatui et civitati Heilbronnenſi vindicatur. Conſideremus vero primum partem Hiſtoricam, quae in IV. Segmenta tributa eſt. Primum Segmentum continet §§. XXX.

In univerſum Paragraphis XI. de origine officialium ordinis equeſtris, et Directorii, ſermo inſtituitur. Ordo equeſtris, ait conſultiſſimus A. (§. 2.) primum in pagos et provincias deſcriptus, proximis abhinc Saeculis in formulam arctiſſimae ſocietatis coiit. Quamquam vero ille (§. 3. 4. 5.) excepta ſola cauſſa Feudi, nullum ſuperiorem niſi Caeſarem agnoſcat, et poſt conſtituta imperii tribunalia, lites eius vel ad Caeſaris comitatum, vel ad auguſtam Came-

 ram

ram deferri neceſſe ſit; tamen non ſpeciem ſolidi ſtatus imitatur. His explicatis, §. 6. et 7. deinceps oſtenditur, quomodo immediata nobilitas Germaniae, initio, nihil circa res agendas habuerit ſtatarium; tandem vero curſu rerum, et propter eventorum momenta, perpetuum ac ſtabile pago praeſidium conſtituerit, et illi eruditos rerum expediendarum adminiſtros cum amanuenſibus adiunxerit. Hunc igitur ſenatum, qui praefecturam pagi gereret, Directorii nomen proceſſione temporis accepiſſe (§. 8.) demonſtratur. Illi, qui huic ſenatui (§. 9.) ab actis eſſent, nominabantur miniſtri ac officiales, atque diutius eorum familia intra ſyndicum et aliquot ſcribas ſtetit. Quamvis vero deinceps (§. 10. et 11.) materia formandi regiminis generalis omnium provinciarum, ſive circulorum, felici deſtituta fuerit exitu; tamen nihilominus cuiusque provinciae pagi ſibi peculiare directorium generale praefecerunt, cuius norma in ſyſtemate conſtitutionum equeſtrium accurate definita eſt. His in univerſum commemoratis, tractatio argumenti (§. 12.) ad pagum Ottenwaldicum ſeſe deflectit, et ſingularia ac praecipua illius, quoad Directorium, breviter enarrantur. Ita (§. 13.) obſervat Vir excell. in iuris iurandi formula, quod praeſtant miniſtri, nullum homagii, nullum neque poſtulatae, neque agnitae iurisdictionis veſtigium reperiri; et inde ex eo conſentaneum eſſe colligit, miniſtrum, ſive officialem, nullo alio, quam officii vinculo, equeſtri ordini irretiri. Huius rei veritatem exemplo confirmat, (§. 14.) et ait: quod ſi aliquis miniſter, in vico ad ſui pagi, vel alius nobilem pertinente, domicilium fixerit, officii cauſſa Directorium, iurisdictio vero ordinaria nobilem iſtum reſpectutura ſit. His omnibus veluti in tranſitu notatis, progreſſus horum Directoriorum (§. 15. et 16.) oſtenditur, adeo ut in iuſtarum curiarum amplitudinem excreverint, et deinde (§. 17.) brevi quidem, ſed gravi, et forſitan nimis libertatem dicendi indicante oratione, demonſtratur: ordinem equeſtrem illuſtriorem hodie, quam unquam antea, in imperio tueri locum. Hanc, ut putat, praeiudicatam opinionem

Digitized by Google

nionem, omnis libertatis dicendi atris oſoribus eripere conatur A. (§. 18. et 19.). Dolet deinde ingenue (§. 20.) nimiam, quam ſibi vindicavit, potentiam illud Directorium, adeo ut et ipſum nova plane ac ſingulari via ad immedietatem graſſari haud obſcuris indiciis manifeſtum ſit. Conqueritur porro (§§. 21. 22. 23. 24. 25.) de nonnullorum horum *officialium*, ſive miniſtrorum, animi impotentia, odio, et virulentia in magiſtratus; indicat, multa ab eo tempore, quo haec controverſia mota fuit, Senatum civitatis Heilbronnenſis ab iis perpeſſum fuiſſe; vivis veluti coloribus depingit faſtum eorum; celebrat admirabilem patientiam civitatis Heilbronnenſis; et denique *Feltmanum* graviter vituperat. Inde vero (§. 26.) multis laudibus extollit illuſtriſſimi Praeſidis pagi Ottenwaldici magnificum exemplum, qui non ſolum miniſtris omne alienarum litium contra magiſtratum patrocinium interdixit; ſed etiam ne ipſum in equeſtribus cauſſis, aut mordacibus dicteriis, aut malignis opprobriis proſcinderent, ſummopere prohibuit. Quamvis vero illi in maiorem (§. 27.) ſemper exardeſcerent iram, et in his contentionibus palaeſtram veluti poſuiſſe viderentur; tamen (§. 28.) ſemper civitatis Heilbronnenſis Senatus tot inulta ludibria, tot alia perpeſſu aſpera, patientiſſime tulit. Denique (§. 29.) acerba profecto oratione graviſſimus ille libertatis patriae vindex, *Feltmannum* denuo, et reſponſum Facultatis Iuridicae Göttingenſis, proſequitur, et ultima huius Segmenti §. 30. ad originem controverſiae explicandam ſeſe parat. Segmentum II. continet §. 21.

Anno MDCXX. (§. 1.) pagi Chreichgovici primores viri, *tabulario publico*, et aerario equeſtri tutiorem aliquanto, quam in caſtris ſuis, quaerentes receptum, comiter petiere, ut in conductitia quadam urbis Heilbronnenſis domo, ſub tutela publica, eadem aſſervare, nec non equeſtres conventus ibi loci agere permitteretur. Senatus (§. 2.) ſub certis conditionibus huic petitioni annuit. Itaque primo loco (§. 3.) decennalem terminum ſtatui placuit, deinde

inde litteris praecaventibus (reverſalibus) ultro promiſit nobilitas, nullum ex ordine ſuo, vel ex miniſtris, locum unquam iniuriae daturum eſſe, et ſi ab uno horum, vel pluribus, intra muros civitatis, et in territorio (in der Stadt Ringmauer und Gemarckung,) ſecus quidquam admiſſum fuerit, Senatui in eosdem iure ſuo, (Regalien, Jurisdiction, und Obrigkeit,) uti, ſalvum integrumque relinqui. Commemorantur (§. 4) quaedam exempla de annis MDCLXXVIII. et MDCC. quibus Senatus iurisdictione ſua in hos miniſtros uſus eſt; (§. 5) mox controverſia quaedam ob haereditatem Syndici ordinis equeſtris, inter Senatum et nobilitatem exorta, et ad ſupremum imperii tribunal delata, enarratur. Anno MDCCXXI. (§. 6.) pagi Ottenwaldici Nobilitas, ſub iisdem conditionibus, et legibus, quibus de Chreichgovica ſancitum erat, ſuam Cancellariam cum miniſterio in urbem tranſtulit. Omnia (§ 7.) ait A. interim per quatuordecim annos tranquilla et in tuto viſa ſunt; donec a Syndico nobilitatis Chreichovicae de induſtria, nihil tale cogitante Senatu, controverſia mota, et tempeſtas excitata fuit. Is nimirum anno poſt trigeſimum ſeptimo (§ 8.) cum caupone et macellario egerat, ut cuiusdam aedificii, commentitia emtione comparati, dominium, nova, eademque furtiva venditione, in eum transferrent. Sic aliud (§. 9.) publicis litteris conſignatum, aliud per adulterinam Syngrapham transactum erat. Paulo poſt (§. 10.) in hoc aedificio exſtruitur atrium concameratum, huicque imponendis conclavibus manus admovetur: quid? caementarius fundamento operis memoriale aliquid inſerere iuſſus, imperata exſequitur. Hinc Senatus (§. 11.) calliditate hac intellecta, fundamentum aperiri, et vas vitreum inde extractum in curiam portari iubet. In eo (§. 12) reperta eſt ſcheda latine conſcripta, in qua rei geſtae et dedicationis ſumma poſteris commendata continebatur. In hac inſcriptione enarranda, ſimulque vero in graviter notandis miniſtris, qui ſibi in ea ſummas dignitates, et ſuperiorum titulos vindicaverant, verſantur argumenta §§. 13. 14. et 15.

Digitized by Google

et 15. Quo modo Senatus inſidioſum contractum examinaverit, antiquaverit, facinus mulcta vindicaverit, et novum opus fieri ſevere prohibuerit, indicatur §. 16. Quamquam vero Senatus eodem modo in equeſtrem Syndicum, violati territorii reum (§. 17.) animadvertere potuiſſet, tamen tantum litteris d. 21. Iunii 1738. nobilitati hanc rem expoſuit, cauſſaeque reſiduum in ipſius arbitratum coniecit. Paulo *poſt* (§. 18.) reſpondit Nobilitas, et ſummam harum litterarum refert A. ex quibus hoc patet: Nobilitatem ne quidem excuſatione dignatam fuiſſe factum, potius ex nonnullis allatis exemplis iuſtitiam rei demonſtrare voluiſſe. Moderate ad has litteras (§. 19.) a Senatu fuit reſcriptum; et harum litterarum argumenta ab Auctore expountur.

Neutiquam vero, (§. 20.) licet Senatus graviſſimis argumentis, et refutatis exemplis, ab omni impugnatione liberaſſet hanc iurisdictionem, mutata fuit ſententia Nobilitatis, ſed ut A. ait, parce ac frigide reſponſum fuit. Interim amica iterum demonſtratione Senatus uſus eſt, cuius praecipua capita in §. 21. ultima huius Segmenti referuntur. In hac controverſia uberiori oratione enarranda, et examinanda, verſatur Segmentum tertium Partis hiſtoricae, quod §§. 53. abſolvitur. Ad amicam (§. 1.) demonſtrationem Senatus §. 21. Segmenti I. indicatam, non reſpondit Nobilitas, ita ut integro poſtea ſeptennio controverſia non continuata, ſed pax reſtituta eſſe videretur. Interim Senatus, non ſolum equeſtris aerarii praefecto, ut aedes illas inhabitaret, haud difficulter conceſſit, ſed etiam memoratis civibus, promiſſo prius obſequio, mulctae ſemiſſem indulſit. Ad hanc formulam agendi Senatus, defendendam, inprimis vero ad liberandam ab omni adfectatae oppoſitionis accuſatione, ratione promiſſi obſequii, argumenta §§. 2. 3. 4. ſeſe referunt. At enim vero (§. 5.) facinoris Auctor, qui ſpe rem calliditate conficiendi iamiam exciderat, univerſam cauſſam ad apertam et publicam dimicationem deduxit. Illud vero (§. 6.) ei ultro anno 1745. contigit, ut occaſione aliqua oblata, Senatui utramque nobilitatem, mutuis

operis inter ſe colligatam, immitteret. Illo anno (§. 7.) menſe Novembri Syndicus nobilitatis Ottenwaldicae viam invenit, qua ordinaria Senatus in equeſtres miniſtros iurisdictio turbata, recens iſta lis conflata, poſtea veluti per manus tradita, (licet exſtincto dudum auctore,) continuata fuit. Virtutes et vitia huius Syndici, et reliqua animi indoles, in tabula veluti exprimuntur §. 8. Enarratur vero illa nova controverſia, (§. 9.) cuius ſumma haec eſt: Exegerat domo ſua Syndicus iuvenem pauperculum, vicinae ditionis Würtembergicae, pretium pro venditis piſcibus depoſcentem. Hic homo agendi neſcius, cum rem ad Praefectum detuliſſet, confeſtim cum litteris ſubſidiariis ad Senatum remiſſus eſt, quibus ille inſpectis collegio illi, quod de contractibus et iniuriis realibus iudicat, in mandatis dedit, ut cognitionem huius cauſſae ſuſciperet, attamen ut imperatam in eo caſu a legibus ſeveritatem decentiſſimae comitatis mixtura temperaret. Dicitur igitur reo (§. 10.) dies, qua ſe iudicio ſiſteret: hic nullum civitati in ſe ius eſſe renunciari iuſſit, ſtatimque et ſcripto, et voce, ad S. C. Maieſtatem provocavit. Interea (§. 11.) iudex cauſſarum perſonalium iterum atque iterum obſequium urget, reus vero pagi Praeſidio auctor fuit, ut iſtam provocationem in ſe transferret, qua per notarium et teſtes iisdem diebus praetori urbano ſignificata, contumacem ſe porro gerere, et imperium detrectare perſeveravit. Noluit Senatus (§. 12.) vel auctoritatem ſuam diutius offerre contumeliae, vel iure ſuo in refractarium uti: igitur (§. 13) conſultum habuit de iudicii perſecutione Caeſareae Maieſtatis voluntatem experiri. Hunc in finem C. M. menſe Auguſto, anni MDCCXLVI. exhibitus eſt ſupplex libellus, (§. 14.) in quo Senatus humillime petiit, ut iuſtiſſimis C. M. vindiciis vexantium comprimeretur iniquitas. Eodem vero tempore, (§. 15.) quo ad C. M. provocatum velle a Praeſidio Ottenwaldico denunciatum fuerat, parte alia ſupervenere a Chreichovico pago litterae. Harum litterarum argumentum ſatis copioſum indicatur a §. 16. usque ad §. 25. ex quo in univer-

Digitized by Google

univerſum hoc breviter monemus: eo pertinuiſſe, ut controverſia de emta domo, iam a nobis commemorata, multa exemplorum enarratione defenderetur, atque iuſtitia cauſſae demonſtraretur. Auctor harum litterarum, ut audax, callidus, et manifeſtas contradictiones proferens, accuſatur §. 26. Inde vero reſponſio, et defenſio Senatus Heilbronnenſis, quibus ille tum temporis iurisdictionem ſuam contra has litteras defendit, a §. 27. usque ad §. 53. commemoratur. Haec defenſio ita comparata eſt, ut primum cauſſa rei iterum explicetur, et hoc facinus non contra notiſſima ſolum iura, ſed inprimis etiam contra Heilbronnenſis civitatis Inſtit. P. VII. Tit. 3 commiſſum fuiſſe doceatur; deinde vero etiam ad ſingulas rationes, in litteris propoſitas reſpondeatur, atque earum ſpecioſa gravitas debilitetur, ac infirmetur. Segmentum IV. §. 49. abſolvitur.

Poſteaquam (§. 1.) A. lectoribus huius copioſae explicationis, Parti Hiſtoricae inſertae, rationem reddidit, pergit §. 2. Datis illuſtri Synedrio hiſce litteris, compertum interea fuit, equeſtris aerarii praefectum, cui illas aedes inhabitare a Senatu conceſſum fuerat, clanculum rurſus res novas moliri, nec mandatis hactenus obtemperatum eſſe; appellatis ideo civibus, ut mulctae periculo domum legitime elocatam eſſe exhibita formula demonſtrent, ſin recuſaverit ille, ipſi hoſpitium renuncient, et de eventu indicium ſine mora profiteantur. Cum igitur (§. 3.) hi in eo eſſent, ut iuſſa conficerent, ſupervenerunt a Praeſidio litterae, in quibus uſusfructus, et ex eo poſſeſſio, confingeretur. Inde (§. 4.) a Senatu fit Decretum, quo equeſtris aerarii praefectus, de conducendis aedibus intra octiduum cum poſſeſſoribus civibus iuſte contrahere, et id legitime docere; ni paruiſſet, domo intra eundem terminum decedere, nec aſperioribus remediis locum facere iubebatur. Interiectis aliquot diebus, (§. 5.) nomine illuſtris praeſidii, per notarium et teſtes, tradita ſcheda, et voce atque ſcripto appellatio nunciata fuit. Inde Senatus ſupplicationis libellum ad Auguſtiſſimum Imperatorem detulit, cuius argumen-

tum breviter (§. 6.) enarratur. Paulo ante (§. 7.) quam ad ſupremum C. M. et Imperii Senatum haec quaerimonia deferebatur, iam exhibitus fuerat partis adverſae libellus appellationis, cuius ſumma indicatur §. 8. Tandem anno MDCCXLVIII. a ſupremo C. M. et Imperii Senatu (§. 9.) de hac controverſia ſententia lata fuit. Illud vero Decretum, ſive Concluſum, in latinam linguam translatum, ex cuius argumento penes Senatum victoria ſtetit, inſertum eſt §. 10. Quo modo etiam in controverſia Syndici nobilitatis Ottenwaldicae, antea commemorata, Reſcripto Caeſareo d. 31. Iulii anni MDCCXLVII. iuſtitia Senatus Heilbronnenſis cognita et comprobata fuerit, oſtendit A. §. 11. et ſummam illius, qua Syndicus in praeſenti cauſſa magiſtratus decreto parere, et coram ipſo litem conteſtari iuſſus fuerit, §. 12. refert. Hoc clariſſimum reſcriptum (§. 13.) ita interpretati ſunt miniſtri, ut ſemper ad priſtinam contentionem reditus daretur. Etenim primo dicebant, non definiendi, verum providendi modo pronunciatum: ſecundo magiſtratui poteſtatem in ius vocandi Syndicum equeſtrem minime factam, potius nobilitati tributum ut compellat, hanc itaque rogandam: tertio in praeſenti ſolum cauſſa hoc conſtitutum eſſe. Omnes illae rationes refutantur §. 14. Merito igitur Senatus (§. 15) decretoriae huic ſanctioni acceptam fert iurisdictionis ordinariae in miniſtros equeſtres ſolidationem; licet ei multum ſane poſtea partis adverſae inobedientia detractum fuerit. Etenim (§. 16.) Syndicus Ottenwaldicus, poſthac in iudicium adductus, decreto nihilo plus obtemperavit. Acceſſit inſuper illud, quod eiusdem pagi miniſtri, penſionis annuae clientelaris ſolutione denegata, quaeſtores huius urbis ad aerarium remitterent. Conſtitutum vero a ſupremo Imperatoris et Imperii Senatu fuit: debere nobilitatem curare, ut ſine longiori cunctatione a moroſis reſiduum expediatur, quod alioquin impetrans magiſtratus reprehendi nequeat, ſi quibus pollet exſequendi mediis, ipſe deinceps uſurus ſit. Ita (§. 17.) Senatui poteſtas moroſis ſolutionem exprimendi perſpicue adiudicata eſt;

tamen

tamen, depenſa ſaltem ob imminentem executionem pecunia illa, de caetero iudicem adeo deſtituit Syndicus ille Ottenwaldicus, ut ne quidem ſecutis poſtea tribus ſententiis, a ſupremo tribunali ad parendum latis, vel ipſe dicto audiens fuerit, vel nobilitas eius imperata fecerit. Quapropter Senatus iudici, ſententiae contra refractarium in contumaciam ferendae, poteſtatem fecit; qua tandem, cum iam inſtaret executio, actori per cauponem iſtum conciliatorem de pretio piſcium reliquoque expenſo ſatisfactum eſt; quod Senatus non ſolum fieri permiſit, ſed etiam mulctam pecuniariam in modeſtam reprehenſionem transformavit. Ita etiam (§. 18) Nobilitas Creichovica, a Reſcripto Caeſareo adeo diverſum tenuit, ut ad transactionem denuo provocaret: qua a Senatu repudiata, maluit eadem huc usque ſtataria locatione carere, quam eo modo nanciſci, quem cognita cauſſa ſupremum tribunal praefiniverat. Interim Senatus (§. 19.) iurisdictionis ordinariae in miniſtros equeſtres tuitionem ſtrenue ſervare, et in facinoroſos ſecundum ius et iuſtitiam animadvertere, non deſtitit; cuius rei nonnulla exempla indicantur. Non pauca vero (§. 20.), licet ad Senatum relata, ne ſemper aſperioribus remediis res gerenda eſſet, humaniſſima diſſimulatione praetermiſſa ſunt. Liquido vero deinde conſtitit, (§. 21.) nihil aliud quam tutam improbitatem eos quaeſiviſſe, tolerante Senatu in vulnera et caedes procul dubio exituram. Ita, quamvis (§. 22.) non cognita ſolum, ſed etiam terminata cauſſa eſſet, tamen Nobilitas Ottenwaldica, trito ex induſtria tempore, IV. die demum Maji anno MDCCLII. in ſupremo Iudicio Aulico ſic dictas exceptiones ſub- et obreptionis exhibuit, atque in his ad revocationem ſuperioris Edicti d. 31. Sept. 1749. flagrantiſſime egit. Dicit porro Auctor: ſi etiam aliquid dubitationis circa hoc Reſcriptum ſupereſſet, id omne tamen per ſententiam anni 1748. in Chreichovicos latam plene atque perfecte diſcuſſum fuiſſe. Clariſſima etenim eius ſententiae verba ſunt: *Quemlibet miniſtrum equeſtrem ſolum in rebus officii, neutiquam vero ultra, nobilitatis iurisdictioni ſubiici.*

Auctorem harum exceptionum (§. 23.) vehementer, et fere nimium vituperare videtur A. Poterat quidem (§. 24.) hos conatus ſecure deſpicere Senatus: tamen peculiari ſupplicatione C. M. veneratus eſt, uti re iam iudicata, iuribus ſuis civitati frui liceat. Haud tamen (§. 25.) valuere hae preces, quamquam iuſtiſſimae. Apparuit vero, neutiquam ab Auguſto Caeſaris et Imperii Senatu hoc agi, ut iura civitatis minuerentur; potius utilitatis publicae cogitatio Imperatorem in eiusmodi compoſitionis argumentum converterat. Anſam huic rei dederant miniſtri, qui commoda, quae ex eorum inquilinatu redundarent in civitatem Heilbronnenſem, valde depraedicaverant, pariterque magiſtratum, cui poſthabita civitatis ſalute, iniquus tantum potentatus curae cordique eſſet, valde traduxerant. Cum porro (§. 26.) huius artificii vim, ſparſis appoſite de diſceſſu minis, haud leviter extuliſſent, ſevere d. 28. Septemb. e. a. magiſtratui primum, deinde nobilitati imperatum eſt, ut intra duos menſes mandatum ad tranſigendum, denominato ſimul procuratore, utrinque produceretur. Solius deinde (§. 27.) obſequii gloria relicta Senatui; et cum tandem die condicta ſermo ea de re conferretur, civitasque Heilbronnenſis conditiones quasdam a nobilitate proponendas praeſtolaretur; tamen (§. 28.) nihilominus nobilitati in mentem venit, ut certa quadam definita norma pax coiret. Itaque negotium illud exitu quoque caruit. Interim (§. 29.) anno MDCCLIV. a tribus ordinibus civitatis deliberatum fuit, num conſultum eſſe videatur, C. M. dubitationem eximere, quam adverſarii, inani ſua praedicatione emolumentorum, ei iniecerant. Omnibus ſententiis (§. 30.) comprobatum, et peculiari ſcripto ſignificatum fuit, hunc inquilinatum nullo modo augendae civium felicitati inſervire, potius aerario, ob anniverſarias lites, graviſſimum huc usque fuiſſe. Haec ipſa res (§. 31) in parte Politica uberius ab A. demonſtratur. Compoſitionis vero (§. 32.) illius negotio confidentius adhuc abſtinuerunt Nobiles, iactantes affatim ſe lucratos, quod cauſſae nobilitatis ſuſpenſi iudicii (Litispendentiam

dentiam vocant) ſpeciem reddidiſſent. Interea Senatus (§. 33.) anno MDCCLV. indulſit, ut aedificium quoddam huius urbis ampliſſimum, perpetua quaſi locatione, adiecta ſolum in quosque viginti annos renovationis lege, ad uſum Cancellariae, miniſtrorumque Nobilitatis Ottenwaldicae, tranſiret, atque ab ipſa multiplicaretur. At enim vero, (§. 34.) triſte haec civitas experimentum fecit, difficulter iis amorem extorqueri, quibus ſemel decretum eſt odiſſe. Nempe his ſucceſſibus, poſt breves inducias, a. 1757. intervenit triſtiſſimum tempus, quod Senatum ſumma formidine perculit. Deceſſerat eo tempore ex vita (§. 35.) Tabularii *Equeſtris* cuſtos, extra urbem in matrimonio collocata quae filia eius et haeres dicebatur. Senatus igitur haereditatis iudex, vi et auctoritate Territorii, miſit delegatos, qui defuncti res mobiles conſueto more obſignarent; reddito tamen antea certiore praeſidio Ottenwaldico, comiterque rogato, ut, ſi quid rei equeſtris haereditati forſitan immixtum ſit, ſegregari illud iubere velit. Reſponſum fuit, (§. 36.) imperante nobilitate iamiam obſignatum eſſe; Senatus tamen (§. 37.) mitiorem viam non deſeruit. Iuſſis quippe exſequi obſignationem delegatis, porro edixit, caverent vehementer, ne vel equeſtrium, vel ad officium pertinentium rerum, quidquam attrectarent. Hi igitur (§. 38.) hoc ſervato moderamine, civitatis ſignum appoſuerunt: cum vero in incepto pergere vellent, non ſolum Syndicus nobiltatis medium ſe oppoſuit, ſed etiam ſuperveniens Synedrus, ſingulas ceras ſua manu diſturbavit, et ciſtas conclavi, in quo bibliotheca equeſtris publica aſſervatur, importari iuſſit. Poſtero die (§. 39.), delegatis, ut officium peragerent, adhibita militari manu, adhibitoque cum teſtibus tabellione publico, iniunctum eſt. Itaque cum rerum aſportarum ſpontanea reſtitutio denegaretur, conclavi illo per ferarium fabrum aperto, proteſtante Syndico nobilitatis, res ad priorem locum reportatae, et denuo obſignatae ſunt; reliquae vero, quia commode concludi non poterant, poſt confectam a notario deſcriptionem, famulae

famulae fidei curaeque ſunt permiſſae. Denique ad tuendum civitatis ſigillum, cuſtodia militaris fuit relicta. Interea (§. 40.) defuncti gener advenerat, ſeque haereditati immiſcuerat, et ſecundum legem de manifeſtando iurare tenebatur. Hoc cum ob interdictum Synedri recuſaret, in cuſtodia eſſe iuſſus, paulo poſt tamen, ne exequiae impedirentur, ea liberatus fuit. Reſtabat, ut in defuncti dormitorio, quo, ſecundum iuratum ancillae indicium, reconditae res haereditariae, quo tamen niſi per bibliothecam aditus non dabatur, obſignarentur. Miſſus igitur ad Synedrum eſt, qui cum Senatus nomine rogaret, ut illud dormitorium recluderetur. Cum vero ille nihil pacati reſponderet (§. 41.), res haereditariae propriae defuncti conſarcinatae, et ſigillo obſignatae, in curiam transportatae ſunt. Deinde etiam fabri opera dormitorium apertum fuit, ſed praeter nonnullas leviores res, manifeſto rerum interim amotarum indicio, nihil repertum eſt, illae vero etiam in curiam transportatae ſunt. His ita peractis, (§. 42.) Senatus conſultum habuit, rei ad veritatem expreſſam effigiem d. 19. Decembr. e. a. C. M. proponere. Sed ab Imperatore (§. 43.) latum fuit interdictum, ſummae ſeveritatis, quo Senatus, denunciata in eventum poena, ex privilegiis Caeſareae nobilitati conceſſis, omnia ab equeſtris miniſtri morte acta reſcindere, aſportata reſtituere, et impoſterum his conatibus abſtinere, duorum menſium ſpatio ad humillime docendum obſequium praefinito, ſerio iubebatur. Cauſſam, quae commovit Imperatorem ad tam ſeverum Edictum, profert A. (§. 44.) et eam eſſe docet, quod Senatus anno 1749. Syndico mortuo, ſibi neque ius haereditatem obſignandi, neque inventarium conficiendi, vindicaverit. Hanc rationem ita infirmare conatur, ut dicat, ex iure Civitatis Heilbronnenſis, atque Franconiae, (unde hi coniuges huc advenissent,) viduam bonorum omnium uſumfructum, et legitimam liberorum tutelam, quamdiu non ſecundas celebrarit nuptias, obtinere. Ita etiam Senatus (§. 45.) Imperatori a. 1758. rem peculiari imploratione, exceptionibus ſub-

ſub- et obreptionis appoſitis, expoſuit. Repudiata (§. 46.) haec imploratio, et ſententia ad parendum menſe Februario a. 1758. a Senatu ſupremo Imperatoris atque Imperii lata fuit. Inde recognitionis Actorum, Conſtitutionibus Imperii conceſſum beneficium, Senatus amplexus fuit, eoque conſilio in iudicio ſupremo d. 12. Iunii e. a. per procuratorem ſupplicationem exhibuit. Ita controverſia comparata fuit, (§. 47.) cum Feltmannus ſuam opinionem de illa exponeret, et defenderet, cuius manes iterum vehementer perſequitur conſultiſſimus A. Denique (§. 48.) ait: ſupereſt meliora ſperandi copia, poſtquam humillime petita cauſſae recognitio d. 5. Decembr. e. a. decreta, et ſportulae ad ſemiſſem redactae ſunt. Exclamat igitur A. §. 49: *In veſtigio adhuc pugnat Senatus, et impoſterum ita pugnabit, ut ſi ſit altior conſilus ruina, ignaviae vel negligentiae ſuſpicionem neceſſitatis imperio purgare, et vel ſic ſaltem ſine dedecore cadere queat!* Quo copioſiori oratione in argumentis Partis Hiſtoricae enarrandis, quae et gravia ſunt, et rem in univerſum docte illuſtrant, uſi ſumus; eo magis in reliquis partibus huius libri praeſtantiſſimi indicandis, brevitati, et quidem ita inſervire poterimus, ut lectorum cupiditati ſatisfaciamus, neque tamen multa iam dicta repetendo iis nauſeam excitemus.

Pars Politica igitur abſolvitur Segmentis VI. Segmentum I. continet §§. 24. Dolet et conqueritur excellentiſſimus A. a §. 1. usque ad finem §. 15. perverſam rationem eorum in excolendo et tractando Iure publico I. R. G. qui novas et inuſitatas ſententias proferunt, qui ſingulari plane ratione leges Imperii, Conſuetudines, Privilegia denique Caeſarea, et ita quidem explicant, ut ſumma inde damna in univerſos Imperii Status redundare debeant. Nos, quamquam omnibus doctoribus iuris publici adeſſe, eorumque cauſſam defendere, iure et merito dubitamus: tamen, noſtra tempora cum iis comparando, quibus *Ioh. Petrus* de *Ludewig* dominabatur, qui leges potius promulgare, quam docere videbatur; porro, inquirendo in ipſa fata et progreſſum doctrinarum, quarum diligens cultura maiorem uti-

Digitized by Google

litatem et veritatem addit Iuri publico I. R. G. magis profecto noſtris temporibus gratulari, quam de oppreſſo et perverſe tractato ſtudio Iuris publici conqueri, conſultum habemus. Inde nobis nimis dura, neque a ſtudio partium aliena eſſe videtur ea ſententia, quam A. §. 16. contra Academiam Goettingenſem nimis graviter pronunciat, cum ait: *Auſim itaque dicere, ſi ſic pergant ICti Goettingenſes, ut ſe ipſam Germania dediſcat opus fore: num praeterea, ſi ad ſummum Regio Electorale Regimen ob eam rem querela deferatur, proſpere ceſſurum ſit ea agentibus, quae ad deſtructionem Academiae tendunt, mitto quaerere.* Dubitamus reliqua verba V. doct. addere, ne iram atque odium magis augere, quam minuere videamur; licet nobis perſuadeamus, Academiam Goettingenſem, ob gloriam exquiſitae doctrinae hiſtoriarum, et Iuris publici, quam eius doctores adhuc feliciter obtinuerunt, hanc iratam forſitan Auctoris mentem aequo animo ferre poſſe. In §. 17. usque ad finem §. 21. oſtendit A. nullam utilitatem, ſed ſumma potius damna ex hac propoſita Nobilitatis defenſione, redundare in ordinem Equeſtrem. A § 22. denique usque ad finem huius Segmenti oſtenditur, haec et talia neque conſcientia univerſi ordinis equeſtris, neque conſentientibus aut rem approbantibus omnibus miniſtris, fieri atque moveri. In Segmento II. huius partis Politicae, quod eodem numero §§ ut primum conſtat, origo horum miniſtrorum, eorum nimia potentia, faſtus, denique ſuperbia, luculenta et eleganti oratione enarrantur. Segmentum III. attentione lectorum diligenti inprimis dignum eſſe videtur. Continet vero illud §§. 30. Primum ibi a §. 1—15. docet, miniſtros hanc iurisdictionem ordinariam in ſe transferre, et illam veterem, ſecundum privilegia a nobilitate in officiales ratione officii exercendam, diſſolvere velle. Deinde a §. 16—23. rem ita exemplo illuſtrat: ſi civitati iurisdictio ordinaria in miniſtros nobilitatis denegetur, ſequi ex eo, nobiles hanc iurisdictionem ordinariam in miniſtros, in ſuis pagis habitantes, nullo etiam modo exercere poſſe. Colligit inde,

quantis

Digitized by Google

quantis commodis, iuribus, et emolumentis priventur ſinguli nobiles, dummodo leviſſima quaedam commoda concilientur univerſo ordini equeſtri. Deſcribit inde et deplorat, a §. 24. usque ad ultimam huius Segmenti, tumultus, ex erepta civitatibus imperialibus iurisdictione ordinaria, certiſſime exorituros. Tam gravi autem et eleganti oratione eam rem ante oculos poſuit, ut ea, inſtar torrentis, facile in ſuas partes et ſententiam rapiat lectorum animos. In Segmento IV. quod §§. 18. habet, ad arcem cauſſae ſeſe convertit, ita ut demonſtret, ex hoc inquilinatu nobilitatis nullam utilitatem civitatem Heilbronnenſem ſperare poſſe. Propoſuit vero in hoc Segmento tantum univerſales quasdam regulas, quibus definitur, qua ratione civitas e praeſentia peregrinorum veram utilitatem capere poſſit. Has generales deinceps regulas, in Segmento V. quod §§. 22. exhibet, transfert ad civitatem Heilbronnenſem, atque oſtendit, peregrinorum quidem fortunae augendae, atque amplificandae; nullo modo vero civium, inſervire hanc Ordinis Equeſtris in urbe praeſentiam. In Segmento VI. quod §§. 24. continet, primum a §. 1. usque ad initium §. 6. refert, omnia officia humanitatis a Senatu Heilbronnenſi Nobilitati exhibita atque demonſtrata fuiſſe; ſimulque dolet, ex tot beneficiis nullam Senatum collegiſſe gratiam, neque in his omnibus praeſidii quidquam illi reliquum manſiſſe. Denique in reliqua parte §. 6. usque ad finem §. 24. docet, quam perniciosam ICti Goettingenſes propoſuerint doctrinam: primum cum liberis Imperii Civitatibus Territorii clauſtrum adimerent; deinde cum miniſtris nobilitatis iura Legatorum affingere auderent.

Partis Polemicae, ultimae huius libri, oeconomiam, breviter indicabimus lectoribus, propterea quod ita pertractata atque elaborata eſt, ut luculentam Auctoris orationem in capita quaedam redigere nullo modo poſſimus. Etenim primum capita diſſertationis Feltmannianae exhibuit, deinde haec ſingula capita refutare conatus eſt. Continet vero Feltmanni diſſertatio capita tria. Primum abſolvitur §. 10. alterum porro §. 9.

tertium denique §. 20. Ita vero hanc refutationem inſtituit V. Cl. primum ut quamque §. diſſertationis lectorum oculis ſubiiciat, deinde ſtatim ad eam reſpondeat, et argumenta Feltmanni debilitare, refellere, falſamque argumentandi rationem oſtendere conetur. Coronidis loco in Appendice, cuius iam alio loco mentionem fecimus, exſtant Auctoris Animadverſiones, Germanorum lingua conſcriptae, quibus Reſponſum Facultatis Iuridicae Goettingenſis confutatur.

Ita rem ſuam magno ſtudio confecit celeberrimus Auctor; lectores profecto illi, cum ob gravitatem rei, tum ob tractationem difficillimi argumenti, diſtincte, eleganter, diligenter atque docte expoſiti, gratiam multam referent, et forſitan optimum atque uberrimum diligentiae in hoc libro conſcribendo collocatae fructum, victoriam illi et civitati, cuius felicitatem diutiſſime ſtabiliat, augeat, confirmet, exoptabunt. Nos diligenter perlectis, et Auctoris, et aliorum de hac re ſententiis, ab omni ſtudio partium alieni, utrisque, et Civitati, et Ordini Equeſtri felicitatem adprecamur, hoc eſt, benevolam et amicam reconciliationem!

Beyträge zu einem richtigen Syſtem der hebräiſchen Philologie.

h. e.

ADPARATUS AD SYSTEMA PHILOLOGIAE Hebraicae, ex mente illuſtris Michaelis congeſtus a FRIDER. EBERHARDO BOYSEN, Celſiſſ. Abbatiſſae Quedlinburgenſi a Conſil. eccleſ. et Gymnaſii Inſpectore.

Chemnicii apud heredes Io. Dav. Stoeſſel, Alph. 1. plagg. 6. 1762. in 8.

Saepius viros in litteris ſummos conqueſtos legimus, litteras Hebraicas, in flore Lat. Graecarumque, incultas et neglectas iacere, neminemque eſſe, qui, quam ſuperioribus

ribus Seculis *Caſauboni*, *Scaligeri*, *Heinſii*, *Graevii*, *Burmanni* etc. lucem ſcriptoribus Graecis latinisque, diligentiſſime omnia excutiendo, attulerant, eadem accurata κρίσει Hebraicas litteras illuſtrare conaretur. Sed illuxit tandem illa dies, et depulſa barbarie, quae Lexica et interpretandi rationem obſederat, vidimus *Michaeles*, *Simones*, *Boyſios*, *Fiſcheros*, nobilitatem illam amiſſam Hebraicis artibus reſtituturos eſſe: cuius quidem rei nobis doctiſſimus elegantiſſimusque *Boyſen*, in Commentationibus ſuis Philologicis egregium ſpecimen exhibuit, cuius deſcriptionem lectoribus noſtris non ingratam, et fortaſſe etiam non inutilem futuram exiſtimamus. Praemiſſa eſt libro dedicatio ad Regem Danorum, et Praefatio quae in commemoratione cauſſarum verſatur, cur Auctor quas habuerat ad Hebraicam linguam obſervationes, non in Lexicon coniicere, ſed potius ad modum Speciminis proponere voluerit: nimirum ut poſteritas invitata fortaſſe altius inquirendi, haberet quaſi viam qua ſit procedendum, et Lexici numeris ſuis abſoluti conficiendi materiem; qua de cauſſa primam harum Commentationum partem tres aliae excipient, quarum priores duae in eodem argumento verſabuntur, tertia autem fundamenta linguae Hebraicae et Accentuationis complectetur, cum diſſertationibus quibusdam, et Κρίσει in *Houbigantii Biblia*, quae quaſi complementi loco collectionem variarum lectionum adiunctam habebit. Age igitur librum ipſum in cenſum vocemus! Tantam autem meſſem propoſitam nobis videmus, ut idem nobis, quod Ciceroni in defenſione cuiusdam cauſſae, accidiſſe intelligamus, qui ait ſe non tam inopia, quam argumentorum copia laboraſſe. Hoc autem praevie lectores monemus, Auctorem ven. in definiendis verborum ſignificationibus, ſemper auctoritatem Arabum ſequi, et inprimis, ut fecerunt multi recentiores Critici, Etymologiae confidere: quod cum a multis in quibusdam vocabulis iure reprehenſum nobis videatur, ſuo loco monere, et noſtrum pace quidem Viri Eruditiſſimi iudicium ad-

 dere

Digitized by Google

dere ſuſtinebimus. אָבַב ab Arabum עַב *Herba crevit, adolevit,* deſcendere, et ita optime verba Ezech. III, 15. תֵּל אָבִיב explicari poſſe exiſtimat. Scilicet תֵּל ortum eſt ex Arabico תַּאל *vertigines habere, vacillare,* et אָבִיב ex אָבַב quod in quinta Coniugatione vim ſummae admirationis exprimit. *Caeterum cum Interpretes Alex. habeant μετέωρος, non tam vim verbi Arabici, quam ſenſum verborum exprimere voluiſſe videntur.* אָבַר porro linguae Arabicae ope explicat, quae habet verbum הבר *carnoſum, pingue* eſſe: Hebraicum אבר Ala non ab hoc verbo, ſed ab alio וָבַר hirtum, villoſum eſſe, deſcendit: unde אֶבְרָה eſt ala plumoſa, quare verba Iob. 39, 13. אִם אֶבְרָה חֲסִידָה וְנֹצָה ita interpretatur: num habet alas plumoſas, ut ad modum ciconiae evolare poſſit? *Sed veremur ne hic vir doctus nubes captet, et emphaſes conſectetur.* Meliora ſunt et veriora, quae habet de verbo אָהַב. verba Pſ. 116, 1. אָהַבְתִּי כִּי יִשְׁמַע יְהוָה difficultatem habent, quare אהבתי ex lingua Arabica explicatur, ita ut ſit *paratus ſum* (ſcil. ad preces). Caeterum, quae contra Simonem V. C. in voce מַאֲוַי diſputantur et Pſ. 140, 9. non *deſiderium,* ſed *obiectum deſiderii notare, nota ſunt, neque afferri debebant, quia πίστις, δικαιοσύνη,* צדקה *ſaepius ita ſumuntur: quod quemque συνάφεια orationis docere debet.* אחר Arabico אָחַר *continuare,* pergere explicatur, ita ut verba Geneſ. 11, 1. דְּבָרִים אֲחָדִים ſint *ſermo perpetuus.* Hebr. אח de omni neceſſitudine dicitur, quia ex opinione auctoris originem debet Arabum אחי coniunctum eſſe cum aliquo. Verbi בָּגַד novae quaedam ſignificationes ex Arabum בָּגַד demonſtrantur; ex hac ratione Pſ. 73, 15. eſt *indicare, declarare,* et Proverb 23, 28. amore alicuius teneri. In voce בְּגוֹי *aliam ſignificationem ſeſe attuliſſe Auctor dicit, idque tum auctoritate linguae Arabicae, tum contextis demonſtrare conatur. Sed contextus ibi aperte repugnat, imo* גוים *ſunt hoſtes, ut docuit Cel. Tellerus in Animadv. ad Cram. Pſal.* p. 45. *Caeterum οἱ ὁ cum laudato loco habeant οἱ καταφέροντες* הַבֹּזִים *legiſſe videntur. Ad explicationem autem loci Hoſ. II, 6. auctoritate linguae Arabicae*

pugnare

pugnare ſupervacaneum erat, cum in illo loco Ionathan habeat גִּבָּרִין *proceres.* Longus eſt Ven. Auctor in definienda ſignificatione verbi בּוֹא inprimis Eſ. 60, 1. ſed putamus tamen multa pro defenſione veterum interpretum afferri poſſe, quae autem a nobis cenſum libri agentibus praetermittenda ſunt. בְּהֵמָה porro ab obſoleto בּוּם, altum eſſe, deſcendere docetur, adeoque vi Etymologiae notare animal excelſi corporis; unde בָּמָה loca montana, aut colles in quibus Iudaei diis alienis ſacrificarunt, in Scriptura Sacra commemorantur, et בִּימָה altare quod οἱ ό Ierem. VII, 31. ſcite βωμὸν exprimunt. *Quae de vocabulo* βῆμα *ſubiiciuntur, longe nimis repetita videntur. Equidem libentius, ſi notatio conſectanda eſt, a* βαίνειν *deduxerim, quia conſtat, tribunalia habuiſſe gradus; unde apud Suet. Eſcendere in tribunal.* Lectu digna ſunt, quae de vocabulo בֵּין afferuntur, illo ſcilicet notari ſpatium, rimam; *miramurque, Auctorem Ven. non laudare Cel. Fiſcheri Clav. reliq. Verſ. qui de hoc vocabulo egregie diſſeruit, et Aquilae interpretationem* ἐκποδῶν *docte defendit.* בָּטָא ſignificationem Arabum בַּט proſternere, vulneribus conficere, habere, deinde promittere, polliceri ſignificare Levit. V, 4. oſtenditur. Sed interpretatio τῶν ό Prov. XII, 18. εἰσίν οἱ λέγοντες τιτρώσκουσι μαχαίρᾳ male reprehenditur, nam μαχαίρᾳ eſt Dat. Inſtrumenti, et λέγοντες vim habet Gerundii in Do: imo εἰσὶν οἱ λέγοντες οἵτινες τιτρώσκουσιν ὡς μαχαίραι, ut Auctor verba refingit, non graecum eſt. גָּאַל notat colligere, et expreſſum eſt ad rationem Arabici גָּאַל, deinde notat imputare, vindictam ſumere. גּוּר habet quasdam ſignificationes in nullo Lexico notatas: 1) Iniuriam inferre alicui Pſ. 59, 4. 2) Vaſtare, Proſternere, 3) Hoſtem aggredi, 4) Perfidum eſſe, quam notionem hauſtam exiſtimat ex Arabum גָּרַר et גָּהַר. גָּזַז notat 1) Secare, Exſecare, et hoc ſenſu eſt ipſum Arabicum גַּז. 2) frangere, evellere, quod exprimit Arabum גָּדַד. דָּבַב ſignificat ad modum Arab. דָּבַב ſuſpenſo pede incedere, manare, repere. Hoc ſenſu Cantic. VII, 9. de vino dicitur. דָּבַק ſemel in Scriptura Sacra legitur Eſ. VI, 4. eſtque verbum apud Hebr. obſoletum,

tum, cuius memoriam Arabes nobis ſervarunt, qui habent דָּבַג ornare, figuris diſtinguere, unde כרבכין דיאבן l. l. Eſrae ſunt lapides quibus figurae et imagines inſcriptae ſunt. דָּבַר notat 1) rixari, recuſare, repugnare, Ezech. XXXII, 3. Tob. XIX, 18. 2) Agnoſcere, Iob. XLII, 4. 3) Sequi, in alterius locum ſuccedere, quia Arabum דבר notat pone aliquem eſſe, ſequi aliquem, Mich. VII, 4. 4) Perdere, iacturam facere, unde דָּבַר quare οἱ ό egregie reddant 2. Chron. XX, 10. וַתְּדַבֵּר καὶ ἀπώλεσε.

הָבַל in lingua Arabum notat: 1) foenerari, victum quaerere. Sic eſt Pſ LXII, 11. ubi οἱ ό bene μὴ ἐπιποθεῖτε, unde הֶבֶל eſt lucrum male quaeſitum. 2) Inducere aliquem, vide Ier. XXIII, 16. et Iob. XXVII, 12. הָוָה notat elidere, diruere, et inprimis הָיָה dictum pro הָוָה hanc ſignificationem habet: unde verba 1. Sam. I, 18. וּפָנֶיהָ לֹא־הָיוּ לָהּ עוֹד intelligi poſſe exiſtimat, et laudat interpretationem τῶν ό, qui habent καὶ τὸ πρόσωπον ἀυτῆς ὀυ συνέπεσεν ἀυτῇ ἔτι. *Alex. Interpretes quidem bene, quoad ſenſum, ſed ſi graece loqui volebant, debebant dicere σκύθρωπος. In verbis Hebr. mihi potius λιτοτης optimis ſcriptoribus uſitata eſſe videtur, et tangere* v. c. *pro devorare, mutare apud Liv. mutantur corpora* h. e. *putreſcunt, et apud Virg. fuimus Troes* h. e. *actum eſt de Troianis: Thucydides et alii qui eum imitantur Scriptores verbum μεταλαττειν late dicunt: vid. Abreſchii Dilucid. Thucyd.* Porro חָלַךְ in lingua Arabica dupliciter dicitur, notatque 1) interire, perire, vide Pſ. CIX, 23. בְּחֶלְכָּתִי 2) celare, abſcondere, Iob. XXII, 14.

זָבַד explicatur ingenio verbi Arabici זָבַד munuſculo afficere, unde זֶבֶד munuſculum: Lea cum ſextum peperiſſet, dicit Geneſ. XXX, 20. זְבָדַנִי munuſculo me affecit. זוֹנָה praeter ſignificationem proſtibuli, hoſpitae, et cibi, 1 Regg. XXII, 38. de ornamentis dicitur, quem locum lectoribus noſtris diligenter legendum commendamus. הָדַל verbum Arabum ח־ל notat de via aberrare: quae ſignificatio convenit loco Iud. V, 6. חדלו ארחות 2) Deſerere aliquem Ieſ. LIII, 3. 3) Debilem, male affectum eſſe, Pſ. XLIX,

Digitized by Google

XLIX, 9. 4) Pingueſcere, 1 Sam. II, 5. חָרַשׁ notat Accedere Eſ. XLII, 9. deinde nimbo cinctum eſſe, 2 Sam. XXI, 16. quae ſignificatio omnes Lexicographos fugit. Ductae ſunt iſtae ſignificationes ab Arabico חרח, חָיָה Praeter notiones ab aliis notatas, ſignificat vigere, viribus inſtructum eſſe, quam vim habet Arabum חַיִי, quare Geneſ. XIIX, 10. בָּעֵת חַיָּה eſt Sara florente aetate: 2) pudore affici, Pſ. XXII, 30. חַיָּה ad modum Arabum חיי, tribum, familiam ſignificat 2 Sam. XXIII, 11. 13. Pſ. LXIIX, 11. 3) turbam, multitudinem inprimis vehementem, et ardentem cupiditatem exprimit Iob. XXXIII, 20. deinde improbas *ferarum, ut cum Phaedro loquamur*, fauces, Iob. XXXIIX, 39. ſignificat.

טול. Arabum טול notat non ſolum porrectum eſſe, ſed etiam manere in ſtatu, non deiici de conditione, durare, continuare, Pſ. XXXVII, 24. et Ion. I, 4. הֵטִיל רוּחַ גְּדֹלָה אֶל־הַיָּם. יָאַל praeter incipiendi et redintegrandi notionem, ſignificat etiam properare, ad formam Arabum וַאַל in Coniugat. ſecunda. vid. Hoſ. V, 11. Porro cum in Niphal ſit debile eſſe, iudicium praecipitare, v. c. Ieſ. *XIX*, 13. Ier. L, 36. hanc ſignificationem ſumſit ab Arabum נַהַל timidum eſſe, offendere in aliqua re. יָדַע multas habere ſignificationes Auctor ait, nondum explicatas, quae ope linguarum cognatarum demonſtrandae ſint. Aethiopum יָדַע in Coniug. IV. notat praedicare, nuntiare, quam ſignificationem ידע in Hiphil habet. Praeterea ad modum Arabum וַדַע et וַצַע ſignificat proſternere, Ezech. XIX, 13. aliquid reponere et condere Iob. V, 27. Porro abiicere aliquid taedii cauſa Iob. IX, 21. Ira ſaevire Iud. *VIII*, 16. יָכֹל multas habet ſignificationes ab Arabibus petitas. Scilicet notat 1) Niti aliqua re Ezech. XLII, 5. 2) Confidere alicui Hoſ. XI, 4. 3) Iubere, Thren. IV, 14.

כָּאָה habet praeter notatas a Lexicographis notiones, ſignificationem etiam timoris, quia Arabum כַּאַא ſignificat timore perculſum eſſe. v. Pſ. CIX, 16. נִכְאֵה לֵבָב eſt timidus, fracti animi. כָּבַד habet notionem Arabum כַּבַד

et כָּבַת quod in Coniug. I. III. V. ſignificat in cacumine eſſe, unde Ieſ. I, 4. עַם כֶּבֶד עָוֺן eſt populus ſummae improbitatis, et ibid. XXXII. סֶלַע כָּבֵד eſt ſaxum eminens. לָאַט naturam ſumſit Arabum לָאַט feſtinare, ſimulare te aliquid non videre. Unde 2 Sam. XIIX, 5. לְאַט לִי לַנַּעַר לְאַבְשָׁלוֹם ſenſus eſt, ſimulate vos Abſalomum non videre, quod etiam ut Hiſtoria docet, factum eſt, niſi a Joabo interfectus fuiſſet. לָבַשׁ non ſolum veſtes induere, ſed etiam 1) Cunctari ſignificat, Ezech. VII, 27. וְנָשִׂיא יִלְבַּשׁ ab Arab. לָבַת. 2) Miſcere ab Arab. לבס quod in Coniug. II. hanc ſignificationem habet. לוֹ eſt aut Adi. aut Particip. Paul a radice לָוָה ex Arab. לוי favere, et לוֹ dictum eſt pro לָוִוי ad formam קָם. לוּץ ſignificat 1) corrumpere, Proverb. XIX, 28. יָלִיץ מִשְׁפָּט corrumpit ius: 2) Guſtare, lambere, Prov. XX, 1. לֵץ הַיַּיִן. 3) Recuſare, quod facere debebas Pſ. I, 1. לֵצִים qui non tribuunt deo, quae ei tribuere debebant. Lectu digna eſt explicatio vocabuli לְחִי non maxillam, ſed potius clavam, fuſtem notare, quia לַחִי Arab. eſt *ligna putare*, adeoque לְחִי חֲמֹר eſt baculus quo aſini adiguntur. מָאַס ſignificat Ezech. XXI, 18. caedere, abiicere: 2) Patulum eſſe, patere, Iob. VII, 5. 3) Nauſeam concipere. 4) Inſolenter, arroganter facere: *quae de vocabuli* שֵׁבֶט *ſignificatione adduntur, ea etiam a Clar. Tellero* Animadv. *ad Crameri* Pſal. *Interpr. p.* 27. *obſervata vidimus, nobisque ſane opportune locus Homeri* Il. β. v. 197. *in mentem venit, ubi σκῆπτρον hoc ſenſu dicitur:*

Τὸν σκήπτρῳ ἐλασάσκεν, ὁμοκλήσασκε τε μύθῳ.

נָבַל. Huius radix Arabica diverſas habet ſignificationes, quae vocabulo Hebraico conveniunt. 1) Abigere, eiicere, Geneſ. XI, 7. 2) Opprimere, ſubito capere, in Coniug. VIII. Ier. IV, 21. 3) Prudentia, ſapientia aliquem ſuperare Mich. VIII, 6. כִּי בֵן מְנַבֵּל אָב quia filius ſe ſapientiorem patre eſſe exiſtimat. 4) Tela coniicere, telis aliquem vulnerare. 5) dirimere, Iob. XIV, 18. 6) Manubias militibus dare Ieſ. XXIV, 4. נָבַק vocabulum quo omnia Lexica carent,

Digitized by Google

carent, legitur Ieſ. XIX, 3. ubi notat exire, ut Chaldaeo-Syriacum נְפַק aut Arabicum נְבַק docet. נָגַע Arabum נגע notat proſperos eventus habere, unde נֶגַע ſecunda fortuna Ieſ. LIII, 6. נָגַשׂ haec radix diverſas ab Arabibus mutuatas ſignificationes habet; verbum Arabum נגז notat 1) pugnare, unde נִגַּשׂ eſt adoriri aliquem, Ieſ. III, 5. 2) נֹגֵשׂ apud Arabes eſt creditoris, qui creditam pecuniam exigit, Ieſ. LIII, 7. 3) נָגַשׂ venari, conſectari feras, Iob. III, 18. XXXIX, 17. unde נֹגֵשׂ venator. סָאַן ſemel legitur Ieſ. IX, 4. כִּי כָל־סְאוֹן סֹאֵן et varie ab interpretibus tentatum eſt. Schultenſius ope Arabici שאן, res ſuas curare interpretatur, ſed ſignificatio Arabum צָאַב mutare veſtes, ſervare, melius huc quadrare videtur. סָבַב 1 Sam. XXII, 17. notat caedere, et habet etiam ſignificationem Arabum סַב convitiis proſcindere, Pſal. CVIII, 12. סָגַר Arabum סָגַר notat obeſum eſſe, turgere pinguedine, laſcivire: hanc ſignificationem habet Pſ. XVII, 10. 2) Arabum שָׁגַר in III. Coniug. notat repugnare, in omnia alia ire, unde Hebr. סָגַר ſic dictum invenimus Ieſ. XXII, 22. 3) תָּגַר rimas reſarcire vide Iob. XLI, 7. 4) סָגַר Glaucoma obiicere alicui. 5) Experiri. עוּד notat, ducta ex Arabum lingua ſignificatione, 1) conſueſcere Deuter. XXII, 30. 2) Favere Iob. XXIX, 11. unde עַד et עֵדָה violatio, a lege aberratio, ad modum Arabum צָדָא violare. צוּד ſignificat venari, deinde commeatu inſtruere, quia Arabum צָאַד notat venari, praedam agere, ſuperbire, et זָאַד commeatu inſtruere, unde צַיִד venatio, ferae, ſuperbia.

קָבַר. Arabum קָבַר exiguum eſſe, unde intelligitur Iob. XXVII, 15. שְׂרִידָיו בַּמָּוֶת יִקָּבֵרוּ. קֶבֶר praeter ſepulcri notionem, ſignificat etiam nobilitatem et praeſtantiam Ieſ. XIV, 19. וְאַתָּה הָשְׁלַכְתָּ מִקִּבְרְךָ. קוּם Arabum קאם ſignificat in IV. Coniug. pergere Ier. XXIX, 15. 2) In II. Coniug. Emendare, caſtigando corrigere Iob. XIX, 18. 3) Valere, dignum pretio eſſe Geneſ. XXIII, 17. וַיָּקָם שָׂדֶה et venit, conſtitit ager. רָאָה notat ut Arabum רָאָה huc et illuc movere 2 Sam. XXII, 11. 2) Con-

Digitized by Google

ſulere alicui 1 Regg. XII, 16. 3) Loco ſuo movere Iob. XL, 11. 12. שאל Arabum סאל notat conſulere aliquem, petere ab aliquo aliquid unde שאל. Sed שאול deſcendit ab obſoleta radice שאל quae haud dubie ſignificationem Arabum תאל aut תאל in IV. Coniug. excitare pulverem habuit. שבר quae ſignificet indicat Arabum תבר 1) abducere, abigere Pſ. CIV, 11. 2) Interdicere, retinere Iob. XXXIIX, 15. 3) Aperire. Haec fere ſunt, quae in illo egregio libello, pleno eruditionis orientalis, notanda exiſtimavimus. Multa, certum eſt, egregie in eo diſputata eſſe, et ſi Etymologiis confidendum eſſet, diceremus nihil eo praeſtantius eſſe. Scimus certe auctoritate doctorum virorum, Golium, qui ſaepius laudatur, non habere poſſe eam in conſtituenda verborum poteſtate vim, ut eius teſtimonium ſit certiſſimum. Interdum etiam Auctorem Ven. in definienda verborum ſignificatione v. c. p. 260. 274. 278. 249. plus ratiunculis quam uſui loquendi tribuiſſe vidimus. Veruntamen haec levia ſunt, ſi quis comparaverit, quam egregie multa loca Scripturae Sacrae explicata, atque nobilitati ſuae reſtituta ſint. Qui enim huic ſe diſciplinarum generi immiſerit, in Oceano quodam nobis quaſi verſari videtur, in quo cum non ſatis conſtet, quomodo curſus tuto ſit dirigendus, omnia praeſens periculum minantur. Linguam Arabicam obſtetriciam veluti operam linguae Hebraicae praeſtare, certiſſimum eſt, ſed habere hanc operam ſuum modum, neque ſemper omnibus ſanandis vulneribus adhiberi poſſe, conſtat, quod ubi non diligenter ſervatum fuerit, plus detrimenti quam utilitatis afferre videtur. Significationes etiam vocabulorum Arabicorum ſaepe praegnantes invenimus, quod quamvis ſciamus lat. hebr. graecaeque linguae, ut v. c. in illo Act. VI. ἐνώθησαν, et ſaepius apud Theophr. ut docuit Cel. Fiſcherus, non eſſe inſolens, tamen hoc haud dubie certum eſt, iſtas ſignificationes eſſe paullo rariores.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

CLARISSIMIS LITTERARUM CULTORIBUS
Leonardus Venturini, Typographus Lucenſis S. P. D.

Neminem in Literaria Republica eſſe arbitror, qui veterum Inſcriptionum utilitatem ac praeſtantiam non ſentiat: atque ut Ciceronis verbis utar de Divinat. ſ. 40. *Quis autem eſt, quem non moveat clariſſimis monumentis teſtata conſignataque antiquitas?* Siquidem in more poſitum erat apud omnes Gentes foedera, leges, caſus Principum, Imperatorumque res geſtas, ut aeternitati mandarentur, in marmoribus, in tabulis aereis, in numiſmatibus gemmisque exarare. Unde alterum egregium Tullii dictum Phil. XIV. *Inciſae literae divinae virtutis teſtes ſempiternae.* Cui conſonat Tertull. in Apologetico ad Ethnicos C. XLV. *Et titulos incidistis ad aeternitatem.* Hos enim titulos, poſt tot ſaeculorum lapſum autographos, in huiusmodi monumentis non librariorum oſcitantia vitiatos, accepimus, tantaeque ſunt eruditionis, utilitatis, ac pretii, ut iis Hiſtoria cum ſacra, tum profana, Geographia item, Theologia, caeteraeque diſciplinae, magnum lucis incrementum acceptum referre debeant. Quapropter, cum earum novam ſyllogen elucubratam eſſe a D. Abb. *Sebaſtiano Donato*, Academiar. Lucenſ. Hetruſcae, Cortonenſis, Columbariae Florentinae, Tholoſanae in Gallia etc. Socio, compertum mihi fuerit, operae pretium duxi, hanc ad eorum utilitatem, qui in nobilioribus hiſce ſtudiis ſeſe exercent, meis typis publica luce donare. Opus vero inſcribitur:

AD NOVUM THESAURUM VETERUM INSCRIPTIONUM CL. V. LUDOV. ANTONII MURATORII SUPPLEMENTUM.

Singula Volumina in fol. ut vocant, ordine, nec non accuratiſſimis indicibus, uti in Muratoriana editione, prodibunt; ſed eorum poſtremum omnes Graecas epigraphes continebit.

Collectio autem eas tantum complectitur epigraphes Gentilium ac Chriſtianorum, quae poſt Clar. Vir. *Ian. Gru-*

terum, *Th. Reineſium*, *Fabrettum*, *Gudium*, poſtremo *Muratorium* emerſerant, vel ab eis fuerant praetermiſſae. Praeterea ex Muratorianis non paucas, nonnullas etiam aliorum Collectorum integras reddidit, caſtigavitque noſter Auctor, atque adnotationibus interdum illuſtravit.

Collectionem praecedent in primo Vol. Cl. Viri *Scipionis Maffrii March. Artis Criticae Lapidariae quae exſtant* nondum edita, ex autographo non ſine magno labore et ſtudio ab Eruditiſſ. *Io. Franc. Seguierio* Nemauſenſi fideliter ſcripta.

Erunt et in hoc Supplemento Graecum Marmor Sandvicenſe, Athenis repertum A. Aer. V. 1739. cum Latina verſione, Marmor Atticum Riccardianum, aeneae Tabulae Heracleenſes, hodie in Regio Muſeo Herculanenſi adſervatae, altera aenea Ianuae in aula Magiſtratus Patrum Communis extans, Traiana Tabula ex aere inſignis pro Alimentariis Reip. Velleiatium, Cenotaphia Piſana, ſive Decreta funeralia ob mortem Caii et Lucii Caeſſ. hucusque non ſine mendis vulgata, vetera Monumenta ad Claſſem Ravennatem nuper eruta, Marmora Salonitana, Albana, Herculanenſia, Panormitana, Vetuſtum Kalendarium Neapolitanum in marmore, celeberrima Canuſina Tabula aere inciſa, cum doctiſſimo Commentario Cl. V. *Ioh. Lamii* de literis optime meriti, ac in omni eruditionis genere verſati.

Huius Noviſſimi Syntagmatis divitias augebunt omnes illae a *Muratorio* inſcriptiones, atque ab aliis laudatis Collectoribus omiſſae, vel aliter editae, et excerptae ex *Sponii* Miſcellaneis, caeterisque eius Operibus, ex Goriana Collectione Inſcriptionum Etruriae, ex Muſeo Veronenſi, Taurinenſi, et Vindobonenſi, ex Antinoriano Florentino, Guarnacciano Volaterrano, Tuſculano olim Eminentiſſ. Cardinalis *Dominici Paſſionei*, Florentinio Lucenſi, ex Coemeterio Piſano, ex Theſauro Inſcript. Beneventanarum C. V. *Ioh.* de *Vita*, ex Nov. Actis Erudit. Lipſ., ex Transactionibus Anglicanis, ex quamplurimis Ephemeridibus et Diariis Literariis Italicis, et exteris, ex Shawii opere, cui titulus: *Voyages dans pluſieurs Provinces de la Barbarie*, *et du Levant* etc. ex Libro Bernae edito 1760. qui inſcribitur: *Recueil des Antiquit. trouvées à Aven-*

Aventhes, *à Culm*, *et en d'autres Lieux de la Suiſſe, par Mr. Schmidt*, atque non paucae e Schedis CC. VV. *Phil.* de *Stoſch* Lib. Bar. Reverendiſſ. Abbatis D. Petri Aloyſii Galletti Caſſinenſis, et D. Abbatis Petri Gnocchi, qui Brixiae, eiusque agri ex autographis, omnes veteres titulos accurate exſcripſit.

Huc contulerunt ſuam ſymbolam Literatiſſ. et Clariſſ. Viri, *Samuel. Schmidt* P. B. *Seguierius*, *Antonius Roſchmannus* I. C. Bibliothecae Caeſareo-Reg. Pub. Praefectus, Tabularii Aulici Propraefect. et Ordd. Provinciae Hiſtoricus Oeniponti, D. *Gabriel Lancellottus* Caſtello Panormitanus, et Princeps Turrismutiae, *Eraſmus Froelichius* S. I. *Carolus Schlaegerus* Ducis Saxo-Gothae Conſiliarius, et Protobibliothecar. etc. D. *Ioh. Strange* Nobilis Anglus, Dominus *Dorbeſſan* Praefectus Senatus Toloſani in Gallia, Dominus *Martinus de Saint Amand* Toloſanae Academiae Quaeſtor perpetuus, etc. Reverendiſſ. P. *Bonellius* Tridentinus, Reverendiſſ. P. Abb. D. *Mich. Ang. Monſacrati*, *Dominic. Ma. Manni*, et alii plures doctiſſimi homines Italiae, et extra, in Praefatione Operis grati animi et honoris cauſſa a Collectore nominandi.

Accedent itidem animadverſiones in Nov. Theſ. Muratorianum CC. VV. *Henr. Leichii* Lipſienſis, *Hagenbuchii* Tigurinenſis, et *Chriſtophori Saxii*, et alius (quae hucusque ineditae erant) Eruditiſſimi Viri.

Pro coronide tandem Siglarum Interpretatio, literarum ordine diſpoſita, non raro in marmoribus, numiſmatibus, aliisve veteribus monumentis occurrentium, perutiliter apponitur, una cum Notarum Graecarum Indice Cl. V. *Eduardi Corſini*, Schol. Piar. Regul. Ex-Praep. Gen. et Publ. Profeſſ. in Piſano Athenaeo.

Magno autem in pretio huiusmodi Supplementum habendum eſſe, teſtis eſt *Muratorius* ipſe, immortalis memoriae Vir, qui ſummis votis exoptaverat, ut aliquando prodiret: *Poſtremo* (ait in Praef. Nov. Theſauri) *tandem loco monitum hoc volo, me non exiguo labore hactenus collegiſſe*, *quot-*

quot

Digitized by Google

quot marmora potui. Alia tamen complura ſunt, quae inquiſitionem meam effugiſſe arbitror; neque enim Hiſtoriae librique omnes, in queis eiusmodi merces conſueverunt exponi, praeſto mihi fuere; neque mihi licuit e patria efferre pedem, ut plura inde operi meo ſubſidia compararem. Verum ſi comes vita erit, nihil antiquius ducam, quam caetera expiſcari marmora, tum huc usque edita, tum identidem ab Eruditis evulganda, atque additamentum, prout res feret, inde confectum parare praelo, ne quid deſit amatoribus huiuſce eruditionis. Conſilium vero meum ſi mors intercipiet, aliquis, ut ſpero, poſt me exurget, qui laborem meum, et fortaſſis etiam felicioribus auſpiciis, continuandum ſuſcipiet.

Vos itaque rogo, praeſtantiſſimi Viri, ut ſuppellectilem huiusmodi quam poſſidetis, mihi vel Collectori, transmittere pro veſtra humanitate ne gravemini; fidemque damus, veſtro Nomini non inviſuros, atque adeo tanti erga nos officii magnitudinem palam profitebimur. Spero fore, ut quamprimum inita mecum ſocietate nomen veſtrum conferatis.

Monendum ſupereſt, quamvis ab *Iacobo Iuſti*, alio Typographo Lucenſi, Sociis data fuerit fides, ſingulorum voluminum pretium non exceſſurum XX. Iulios Romanos, ſolventibus antequam exierit menſis Maius Anno 1760. tamen, cum expenſae auctae fuerint, aliquantulum auctum eſſe quoque pretium. Collecta enim ſunt quamplurima alia monumenta, de quibus ſupra diximus, poſt editionem primi programmatis, et ſuſcepta varia itinera a Collectore, ut non paucas epigraphes ex Marmoribus exſcriberet. Quae cum ita ſint, ſociis non minoris Iuliis Romanis XXV. ſtabit unumquodque Volumen, ſi nomen dederint hoc Anno 1763. et eos ſolvent cum primum acceperint, atque ita deinceps. Aliis vero non minoris XXXII. Iuliis venundabitur. Valete. *Lucae* 1763.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Martii Anno MDCCLXIII.

Pars I.

Nachleſe in den Reichs-Geſchichten, beſtehend in einer neuen Sammlung von ungedruckten Reichs-Tags- und insbeſondere Reichs-Städtiſchen Collegial-Handlungen unter der Regierung Kaiſer Friederich des IIIten.

i. e.

GUSTAVI GEORGII KOENIG AB KOENIGSTHAL, Collectio Actorum Comitialium ſub Imperio Friderici III. COLLECTIO I. et II.

Francofurti ad Moen. 1759. Alph. 1. plagg. 17. in 4.

Inter illa facta, rerumque geſtarum narrationem, in quibus explicandis Hiſtoria I. R. G. verſatur, ea inprimis diligentiori conſideratione digna eſſe videntur, quae naturam conditionemque Comitiorum, ab Imperatoribus Statibusque Germaniae celebratorum, illuſtrant. Etenim diligentior illa rerum in Comitiis geſtarum deſcriptio, formam antiquiſſimam et conditionem Imperii Germanici nos non ſolum docet, ſed etiam ipſa iura, poteſtas, auctoritas, praerogativae denique, cum Imperatoris, tum Statuum Germaniae, ſaepe ex nulla re melius, quam ex recte inſtituta rerum in Comitiis geſtarum diiudicatione, explicantur.

Digitized by Google

tur. Quapropter egregie profecto de Hiſtoria I. R. G. illi viri, ut *Müllerus*, et Ill. Baro a *Senkenberg*, meriti ſunt, qui conſtitutiones in Comitiis ſancitas in lucem conſpectumque protulerunt. Inter illos merito etiam referendum eſſe exiſtimamus Virum excellentiſſimum de Koenigsthal, qui hac utiliſſima collectione, in qua multa antea non edita continentur, rebus ſub Friderico III. Imperatore geſtis, in nonnullis rebus novam veluti lucem addidit, et variarum rerum commemorationem ab oblivione feliciter vindicavit.

Age vero, indicemus lectoribus univerſam oeconomiam huius Collectionis, ut eo clarius utilitatem, ex hac edita Sylloge non ſolum in Hiſtoriam I. R. G., ſed etiam in Ius publicum certiſſime redundaturam, perſpiciant.

Collectio prima continet (Num. I.): *Relationem de expeditione Romana, benedictione nuptiali, et coronatione Friderici III. Imperatoris, Germanorum lingua conſcriptam.* Habet hanc inſcriptionem: Kayſer Friederichs Römer-Zug. Ediderat quidem iam Müllerus in Theatro Comitiali, (Reichs-Tags-Theatro) Parte prima p. 380—397. de hac ipſa expeditione narrationem; comparando vero eam cum hac noſtra, a V. C. ex Manuſcripto edita, luculenter patet, hanc longe accuratiorem et copioſorem illa eſſe. Deſcripta ea expeditio fuit a legato aliquo civitatis liberae Imperii, qui ipſum Imperatorem comitabatur. Inde nonnullae res enarrantur, quae neque a *Mullero* l. c. neque ab *Aenea Sylvio in Hiſtoria rerum Friderici III. Imp.* neque a *Nicolao* de *Falkenſtein in Hiſtoria deſponſationis Friderici III.* etc. *apud Freherum Script. rer. Germ. Tom. II.* p. 51 ſq. *edit. Struv.*, traditae fuerunt. Ita inter alia in hac relatione p. 5. plures nominantur, quos Imperator Piſam miſit, ut Sponſam ſuam comitarentur; inter hos *Leopoldum Hallerum* relatum legimus. Porro p. 11. de oſculo a Friderico III. Pontifici ſummo dato ſermo inſtituitur, ſimulque narratur, regem *Ladislaum*, *Albertum* ducem, aliosque potentes principes pedem dextramque pontificis ſummi exoſculatos fuiſſe. Deinde p. 17 ſq. illi principes, comites, et reliqui domini nominan-

Digitized by Google

minantur, qui ab Imperatore in ponte Tiberino cingulo militari donati fuerunt.

Denique pag. 23. accuratiſſimum indicem illorum, qui Imperatorem in hac expeditione Romana comitati fuerunt, animadvertimus. Num. II. exhibet binas orationes, quarum prima habita fuit ad *Alphonſum* Regem Luſitaniae, altera ad ſororem illius *Eleonoram*, deſponſandam Friderico III. Imperatori. Has orationes habuit M. *Iacobus Motzius*, Legatus Imperatoris, cui, ut illud negotium perficeret, demandatum fuerat, et qui latino ſermone eas conſcripſerat, et recitaverat. Latinas iam olim evulgavit *Freherus*, in collectione Scriptorum rerum Germanicarum Tom. II. p. 31 ſq. editionis Struvianae; haec vero noſtra in linguam Germanicam translatio eodem tempore elaborata eſſe videtur. Inde etiam haec in linguam Germanicam converſio noſtra attentione inprimis eam ob cauſſam digna eſſe videtur, quod miſeram eloquentiam Germanicam illorum temporum mirifice illuſtrat. Ita vero ipſe Auctor p. 26. ait: daß er zwo Nächte bey Lichte ſizend daran geweben hab, um ſie auf das geneuweſte zu teutſchen. Profecto vero neque *Uhſianos* aut *Neukirchianos*, neque veros et elegantes Germaniae oratores, huic quidem Auctori multam gratiam relaturos eſſe, certiſſime nobis perſuademus. In Num. III. exſtant *Acta Comitiorum Caeſareorum, Ratisbonae anno MCCCCLIV. celebratorum.* Cum nempe anno MCCCCLIII. Turcae, expugnata Conſtantinopoli, ſecunda nimis uterentur fortuna, factum eſt, ut ſequenti anno haec Comitia indicerentur. Illorum Comitiorum hiſtoriam iam quidem *Müllerus* in Theatro comitiali c. II. §. 48 ſq. p. 430. deſcripſerat; ipſa vero Acta Comitialia, tantummodo in epiſtola *Aeneae Sylvii* ad amicum breviter indicata, in nulla collectione Receſſuum Imperii commemorata, nunc tandem primum ab excellentiſſimo Auctore edita ſunt. Ipſe Imperator his Comitiis non intererat, ſed tantum miſerat legatos. Ita vero, et propter abſentiam Imperatoris, haec Comitia, quoad ſummam rerum agendarum, felici deſtituta

fuerunt exitu. Videamus vero paulo diligentius ſumma capita horum Actorum Comitialium. Pag. 33. Propoſitionem legatorum Imperatoris legimus, in qua primum Epiſcopos et reliquos Praelatos diligenter adhortantur, ut in mores vitamque ſuorum ſubditorum, tam laicorum, quam clericorum, inquirant, eosque emendent; deinde conſilia quaedam, de exercitu viginti millium hominum contra Turcas conducendo, proponuntur; porro, ut ea res bene ſuccedat, pacem publicam ad quinque annos eſſe ſanciendam, docetur; denique haec propoſitio legatorum ſic peroratur, ut dicant, haec omnia, Ratisbonae propoſita, demum in Comitiis, proxime Francofurti habendis, a Statibus Germaniae confirmanda eſſe. Ad hanc Legatorum propoſitionem, cum ſuo ipſius, tum reliquorum Principum nomine, reſpondit *Albertus* Marchio Brandenburgicus; ſumma eius ſententiae, ſive voti, p. 39. exponitur. Commendabat Imperio ſanctionem pacis publicae; quod ad exercitum attineret, vix eum per annum ſuſtentari poſſe iudicabat; denique diem Comitiorum Francofurtenſium, usque ad Feſtum Michaelis differendum eſſe ſuadebat. Poſt Albertum p. 42, verba fecit, nomine Ducis Burgundiae, Iohannes Epiſcopus Tullenſis, et omnia promiſit diligentiſſime eum eſſe facturum, quae ullo modo ad ſalutem, quietem, et felicitatem Germaniae vel conſervandam, vel ſtabiliendam, pertinerent. Profecto omnia, quae in his, et Francofurtanis Comitiis facta confirmataque fuerunt, maxima ex parte amori huius Ducis in patriam, conſiliis eius, et fortitudini animi tribuenda ſunt. Inde p. 45. Legatus ſummi Pontificis haec conſilia ſummis laudibus, et gratisſima animi ſignificatione proſecutus eſt, cuius exemplum Legati Imperatoris p. 47. imitati ſunt, et denique Albertus p. 47. habita etiam gratiarum actione, his Comitiis finem impoſuit. Paulo poſt Num. IV. Acta comitialia Francofurtenſia leguntur. Imperator, qui iterum his Comitiis non praeerat, eo miſerat ſummum illa aetate oratorem, *Aeneam Sylvium*, cum *Antiſtite Gurcenſi*, ut et Marchionibus Bran-

Brandeburgico et Badenſi. Aeneas Sylvius orationem luculentam in his Comitiis recitavit, quam, una cum epiſtolis ab exteris Principibus ob haec comitia conſcriptis, Mullerus Theatro Comitiali c. I. c. IV. p. 473 ſq. inſeruit, atque ita ab oblivione vindicavit. Ipſum vero Decretum illorum comitiorum, neque ab eo, neque ab alio Actorum Publicorum collectore, litteris mandatum fuerat. Igitur neceſſe eſt ut illud eo diligentius proponamus, et eo magis ſummam gratiam habeamus excellentiſſimo *Koenigsthalio*, qui primus illud in lucem protulit. Pagina 48. itaque ſumma huius Decreti comitialis, quo auxilium, ab Imperio Hungaris, contra Turcas mittendum, promittitur, exſtat; §. 4. et 5. vero Conſilium proponitur de exercitu conſcribendo; §. 6. et 7. porro de Comitiis in urbe Neoſtadio habendis, et de convocandis ad haec ipſa comitia civitatibus imperialibus, decernitur; poſtea §. 8. de convocando ad haec comitia Rege Ladislao, §. 9. Duce Burgundiae, §. 10. et 11. legato ſummi pontificis, exponitur; §. 12. et 15. de auxilio a Rege Galliarum aliisque Regibus petendo conſilium capitur. His expoſitis §§. 13. et 14. pacem publicam intra belli tempus eſſe ſanciendam proponitur; deinde vero de privilegiis ab Imperatore iis concedendis, qui hanc expeditionem ſuſcipient §. 16. denique §. 17. de Epiſcopis, ut diligenter populum ad bona opera intra belli tempus peragenda adhortentur, exponitur. Pagina 51. ipſum numerum exercitus legimus, ſive ut dicunt Matriculam Imperii, et in univerſum hoc monemus, Civitatibus liberis Imperii fuiſſe impoſitum, ut duo millia equitum, et ſex millia peditum conſcriberent. Cum vero legatis illarum hoc nimis grave eſſe videretur, illi, antequam e comitiis Francofurtanis diſcederent, hoc conſtituerunt, nimirum, ut ob cauſſam commemoratam, Civitates Imperii omnino intereſſent comitiis Neoſtadenſibus. Praeterea vero referuntur Num. V. aliae ſanctiones horum legatorum, illo ipſo tempore factae: v. g. §. 3. et 4. de moneta, §. 5. de iudiciis provincialibus, denique §. 6. de diffidationibus.

Digitized by Google

nibus. Num. VI. Comitia Neoſtadenſia de a. MCCCCLV. enarrantur. Varia quidem iam a Mullero in Theatro Comitiali, parte prima, de his ipſis Comitiis explicata atque illuſtrata ſunt; ipſae tamen ſanctiones, cum ob expeditionem in Turcas, tum ob pacem publicam, tantummodo breviter expoſitae fuerunt, nunc vero ab Auctore excellentiſſimo omnia, quae hoic loci nunc reperiuntur, oblivioni erepta, primum cum lectoribus communicantur. Videamus igitur illa. Pag. 71. exhibentur binae commemorationes, Regiſtraturas vulgo dicunt; quarum prima ea refert, quae in collegio Electorali facta ſunt, altera pag. 88. Acta collegii Civitatum liberarum Imperii exponit. Pag. 75. contentio de praecedentia inter electorales legatos, et legatum Regis Arragoniae et Poloniae, exponitur. Pag. 78. XXXI. civitates imperiales nominantur, quae his comitiis per legatos ſuos interfuerunt. Pag. 90. et 91. adhortatio Imperatoris per Albertum Marchionem Brandeburgicum ad civitates imperiales, ne a comitiis diſcederent, facta, legitur. Num. VII. Acta Conventus Mantuani de anno MCCCCLIX. indicantur. Mullerus in Theatro Comitiali Sectione III. c. XIII. §. 47. p. 660. varia de hoc Conventu narravit atque expoſuit; ipſa vero Acta huius Conventus nunc demum a Viro celeberrimo publicantur. Summa capita haec ſunt: Pag. 119. Propoſitionem legatorum Imperatoris, et pag. 121. reſponſionem legatorum Principum ad eam, legimus: deinde ſumma ſententiae, ab Imperatoris et Principum legatis Pontifici ſummo Pio II. indicatae, p. 123. proponitur, denique p. 124. litterae pontificis ſummi, ad Conſules et reliquum Senatum Norimbergenſem, cum propter comitia Norimbergae hoc anno, tum propter comitia Viennae proximo anno habenda, conſcriptae, enarrantur. Comitia Norimbergenſia celebrabantur quidem; ita vero eorum Decretum comparatum erat, ut neque Imperatori, neque Pontifici ſummo illud probaretur. Haec omnia a Mullero l. c. c. XXIV. p. 748 ſq. et c. XXVIII. p. 772 ſq. diligenter illuſtrata ſunt. Nihil fere aberat, quin etiam comitia

Viennae

Viennae anno MCCCCLX. habita felici deſtituerentur exitu. Ea omnia in his Comitiis peracta, quae partim a Mullero in c. l. c. XXIX. et c. XXXI. partim ab Auctore novae collectionis Receſſum imperii, Parte I. N. XLIX p. 190—198. commemorata ſunt, non repetiit Auctor; contraria vero ex parte nonnulla antea non edita, ad haec comitia pertinentia, primus indicat atque in lucem profert. Primum, Protocollum Collegii Principum, deinde Gravamina civitatum imperii legimus. Rogant in his civitates Imperatorem, ut antiquam conſuetudinem, ex qua legatis ſuis litteras credentiales, non ſingularia mandata, tradidiſſent, retinere poſſint. Multas orationes legatorum, reſponſionesque ad eas animadvertimus; denique p. 150. exſtat luculenta et copioſa oratio a legato Pontificis ſummi ad reliquos Electorum et Principum oratores recitata. Ex diligenti huius orationis lectione hoc etiam patet, ſententiam huius legati, quam illuſtr. liber Baro a Senckenberg *Selectis Iuris et Hiſtoriarum* Tomo IV. p. 357 ſq. inſeruit, ex hac oratione eſſe deſumtam.

Huic primae collectioni Index rerum memorabilium, et copioſus, et accuratus, adiectus eſt. Collectio ſecunda, quae ſeriem rerum ab anno MCCCCLXVI. usque ad annum MCCCCLXXIV. exponit, gravitate rerum atque varietate, primam Collectionem plane adaequat. Decretum comitiorum Norimbergenſium anno MCCCCLXVI. propter irruptionem Turcarum habitorum, a Mullero Theatri Comitialis, Parti II. Sectioni IV. Cap. XXXV. inſertum legimus; novum vero Supplementum Num. IX. ſub (a) p. 1. Auctor edidit; deinceps accuratiſſimum indicem, cum ipſorum Principum, qui his Comitiis intererant, tum legatorum, adiecit. Hunc Indicem longe accuratiorem et copioſiorem eo eſſe, qui in Mulleri c. l. p. 216. et 217. et in noviſſima Collectione Receſſuum Imperii p. 215. et 216. exſtat, comparando eum cum illis, bene intelleximus. Acta Comitialia Norimbergenſia anni MCCCCLXVII. Mullerus c. l. Parte II. Sectione IV. C. XL. §. 2. p. 274. et Auctor noviſ-
ſimae

Digitized by Google

ſimae Collectionis Receſſuum Imperii N. LIV. p. 216. litteris mandaverunt; haec ipſa tamen comitia ab Auctore excellentiſſimo mirifice illuſtrata ſunt.

Etenim primum in Num. X. ſub (a) p. 9. novam plane editionem ſententiae, ſive ut dicunt voti, cum Electorum, tum Principum, protulit, quae inſigni copia rerum enarratarum editionem Mullerianam et Auctoris C. R. I. longiſſime ſuperat. Ita etiam ſub (b) p. 16. longe accuratiorem Indicem militum viginti millium, qui Hungaris contra Turcas mitterentur, ut et indicem apparatus bellici ſub (c) p. 20. edidit pleniorem, quam qui apud Mullerum c. l. p. 283 ſq. et 286 ſq. ut et apud Auctorem n. C. R. I. c. l. p. 219 ſq. et 223. reperitur. Rerum antea plane ignotarum memoriam conſervat N. XI. Etenim poſt pacem publicam ſancitam, et ut ea hoc felicius obtineretur, inprimis vero ob turbas in Bohemia exortas anno MCCCCLXVII. formula foederis inter Imperatorem et nonnullos Principes eccleſiaſticos atque ſaeculares, ut et nonnullas civitates liberas Imperii, ſanciendi, propoſita fuit, (confer pag. 24 ſq. ſub a) quae tamen res, quo modo ex reſponſione p. 29. (ſub b) colligi poteſt, felici deſtituta fuit exitu. Num. XII. exhibet fragmenta inedita conſtitutionum in comitiis Electoralibus Ratisbonenſibus anno MCCCCLXIX. factarum. Ita p. 30. formula foederis inter Imperatorem, Dominos Bavariae, Saxoniae, Brandenburgiae, (vnd Herren von Baiern, Sachſen, Branndemburg) et Ducem Auſtriae Sigismundum ineundi, legitur: ſub (b) porro p. 32. enarrantur conſilia Procuratorum Imperatoris et Pontificis ſummi (der Bebſtlichen vnd Kayſerlichen Anwelte), ad expeditionem contra Haereticos in Bohemia ſuſcipiendam pertinentia; denique reſponſiones ad ea legatorum Electoralium, Principum, Civitatum Imperii, ſub (c d e f g h) exhibentur. Comitia ob irruptionem Turcarum in Germaniam factam, Norimbergae anno MCCCCLXX. habita, vix per aliquot hebdomades continuata fuerunt, indeque rerum ibi geſtarum memoriam diuturna oppreſſit oblivio. Illa vero horum

horum Comitiorum Acta, quae Auctor N. XIII. edidit, ita comparata ſunt, ut rerum ibi peractarum naturam et conditionem facile perſpicere poſſimus. Primum ſub (a) p. 53. exſtant litterae Imperatoris, indictionem horum comitiorum ſpectantes; ſub (b c d) p. 54 ſq. vero deliberationes inter legatos Imperatoris, Principum, et civitatum liberarum Imperii inſtitutae; ſub (e) p. 60 ſq. commemorantur ad ultimum omnes legati miſſi ad haec comitia. In Num. XIV. lectorum diligenti attentione digna eſſe videntur, partim ſub (a) p. 65. Protocolla et Acta Comitiorum anno MCCCCLXXI. habitorum, inprimis ſub (b) p. 69 ſq. Protocollum Collegii Civitatum Imperii; partim quae ſub (c) p. 69 ſq. Conſilia de expeditione contra haereticos in Bohemia ſuſcipienda, propoſita ſunt.

Ita etiam Num. XV. nobis maximi momenti eſſe videtur. Exhibetur ibi ſub (a) p. 153. Decretum Comitiorum Francofurti a Civitatibus Imperialibus tantummodo habitorum; porro ſub (b c d e) p. 158 ſq. omnia Acta haec Comitia illuſtrantia; denique ſub (f g) p. 166 ſq. enarrantur Gravamina Civitatum Imperii, quae tam communes ſumtus (Matriculam Imperii vocant), quam pacem publicam ſpectant. Abſolvitur denique haec praeſtantiſſima Collectio N. XVI. Exhibentur in univerſum Acta Comitiorum Auguſtae Vindelicorum anno MCCCCLXIV. habitorum. Illa vero haec ſunt: primum ſub (a) p. 173 ſq. legitur Reſcriptum Imperatoris ad Ludovicum Ducem Bavariae, vi cuius illi munus Commiſſarii, poſtulandi et conquirendi communis nummi cauſſa, in Epiſcopatibus Paſſavienſi et Ratisbonenſi, defertur, (zu Vollführung des Anſchlags vom gemeinen Pfenning): ad ultimum exſtant ſub (b) p. 176 ſq. Litterae, Generale dicunt, Marci Cardinalis, et Sedis Apoſtolicae per Germaniam Legati, ad Principes Germaniae eorumque ſubditos conſcriptae, in quibus ad communes ſumtus faciendos (zu Vollziehung des Anſchlags vom gemeinen Pfenning), diligentiſſime monentur.

Huic etiam Collectioni Indicem addidit Auctor. Supervacaneum profecto eſſet, et operam atque tempus jure perdere videremur, ſi hanc praeſtantiſſimam, et novitate varietateque rerum memorabilium vel maxime conſpicuam collectionem lectoribus operoſe commendaremus. Etenim diuturna, et eventu factorum ſummopere inſignis Hiſtoria Friderici III. Imperatoris, ea adeo illuſtratur, ut hac ſola ſummorum capitum indicatione, certiſſime omnes, quibus curae cordique ſunt ſtudia Iuris Publici et Hiſtoriarum, ad lectionem praeſtantiſſimi libri excitatos credamus. Ita etiam, ſive in doctrina excellentiſſimi de *Koenigsthal*, ſive in induſtria, ſive in luculenta hiſtoriarum cognitione collaudanda occuparemur, actum ageremus, cum eius in Iurisprudentiam univerſam, atque Hiſtoriam, inſignia merita, iam dudum a peritiſſimis harum rerum iudicibus ſummis celebrata fuerint laudibus.

BINAE EX NONNULLIS RARIORES MORborum hiſtoriae, quas ex Adverſariis ſuis deprompſit, iurisque publici, ſortem ſuam experturas, fecit ANTONIUS LIZZARI, Ph. et Med. Doct. Venetus.

OBSERVATIO PRIMA:

De hydrope peritonaei.

Fratrem Bonaventuram, Venerabilis Ordinis Praedicatorum antiquae Obſervantiae (1) Laicum, atque in Collegio Roſarii, quod quidem Venetiis extat, commorantem; quadraginta annos natum; temperamento ſanguineo-bilioſo praeditum; facie coloratiorem; gutta roſacea foedatum; impetiginem vagam (2), humidam aeque ac pruriginoſam, diu multumque perpeſſum; noviſſime vero evaneſcentem, animo hilarem, et ad cuncta paratum, ineunte Auguſto menſe febris acuta corripuit, ab aucto calore exordium capiens, vehementiſſima cephalalgia, et laſſitudine ulceroſa ſtipata. Protinus ac declinationem febris attigit,

git, tunditur in brachio dextro vena, demitur ſanguis ad uncias decem, inflammatorium corticem in inſulae ſuperficie, croceumque in ſero colorem, exhibens. Poſt nycthomeri (3) ſpatium apyrexia potitur aeger, cephalalgia miteſcit, laſſitudo alleviatur. Poſtridie neque renovata, neque exacerbata febre, eryſipelatis rudimenta tunc primum in *facie* apparent, quod mox quaquaverſum effunditur. Phlegmonodes (4) eryſipelas erat. Caput dumtaxat per quatriduum fatigans, tum febri, tum doloribus (5) finem impoſuit. Exinde e capite egrediens, et collum, et humeros, et dorſum, et pectus, et ventrem adortum, umbilico tenus deſcendens, ibi, prius alvo turbata, gradum ſiſtit. Recte *Hipp.* 6. Epid. ſec. 2. *ſuppurationum umbilicus terminus* (6).

Ex veſiculis (*ampullas* vocat *Hip.* l. 4. Epid. text. 56.) quae in obſeſſis ab eryſipelate partibus (7) excitabantur, nonnullae in ſumma cute exiſtentes ambuſtis non abſimiles, diaphanae erant, limpidum croceumque ſerum fundentes, areſcebant. Plurimae autem profundius demerſae, et adusque cellularem membranam pertingentes, abſceſſus naturae propius accedebant, ichoremque viſcidiuſculum corruptum inter et concoctum eructabant. Huiuſce novisſimae clasſis nullibi copioſiores, quam in abdomine, cernebantur, quo poſt brevem, imperfectam, atque ſuperficialem ſuppurationem, intus adactae, prorſus evaneſcebant. Tunc venter extemplo turbabatur, febricula praeſto erat, horror, ac ſudor identidem, atque vicisſim ſeſe excipientes, aegrum corripiebant, cum animi deliquio, frequentique, et alterno, non autem perenni extimarum partium algore. Qui tragicus morbi luſus ad usque vigeſimum diem protractus, in tumorem (8) abdominis mollem, atque indolentem, confeſtim deſiit, lympha in univerſo aqualiculo repente effuſa, nulloque in deſertis ab eryſipelate ſedibus veſtigio relicto.

Tumor hic in dies eousque crevit, donec hydropem aſcitem brevi aemularetur. Aſt ſitis aberat, urina probi

 coloris

coloris ſatis ſuperque fluebat, alvus compacta deiiciebat, nulla tusſis, neque difficilis reſpiratio, nullum inferiorum artuum oedema. De hydrope peritonaei nedum ſuſpicari (9), ſed ſigna certisſima haberi coeptum eſt. Eapropter paracenteſin in uſum revocare, cunctamque aquae molem ſimul et ſemel *Meadiana* methodo educere, ſancitum eſt. Expertisſimo Chirurgo *Caietano Manfrè* demandatur officium, qui collato munere egregie functus, quinque ſupra viginti ſeri turbidi, ſubiugalis, atque olidi libras, cui a brevi quiete oleoſum quid ſupereminebat, vigeſimo ſeptimo ab ingreſſu morbi die, unica vice extraxit, nulla animi defectione, nulla virium iactura debilitateve inſequentibus. Quinimo ſi quae aderat febricula, evanuit, ſtomacho robur accesſit, ſomnus rediit, ventrisque ſubſidente tumore, decubitus quaquaverſum facilior. Hinc e cubili aeger exiliit, ad munia ſolita redux, in renutritione aegre proficiens.

Per menſem, et ultra, valetudine ſecunda potitus, labente proximo menſe Septembri, in ephemeram notham, praegresſis torminibus, incidit, ſpatioque febris emenſo venter confeſtim intumuit. A quo, iterata paracenteſi ſecto, triginta plus minus aquae librae priori ſimiles, ſimul et ſemel, nullo fero ſymptomate inſequente, educuntur. Exinde ab hac epocha ſemel, poſtea bis, demum terque quaterque ſingulo menſe paracenteſeos opera renovatur, neque febre praeeunte, neque torminibus antecedentibus, neque ſiti vexante, neque ullo inferiorum artuum praeſente oedemate, neque ulla in lotio aut carentia, aut imminutione, aut in contentis exuberantia concomitante, ſed abdominis intumeſcentia ſenſim ſponteque periodice recurrente. Neque minor ſeri limpidi et inodori copia, quotiescumque paracenteſis iterata fuerat, extrahitur. Demum ille, qui ſeptem ſupra triginta ſectiones paſſus, noningentis et octoginta lymphae libris eductis, ab orci faucibus pluries atque iterum emerſus, ultra novem menſium periodum haud aegre vitam traducere potuit, Maio menſe ſequentis anni, repente oborta vehementisſima febre (10), quam

quam capitis eryſipelas ocyſsime eſt conſecutum, intra quatriduum fato conceſsit, tragoediamque, ſimiliter ac aperuit, clauſit.

Quum ſecandi cadaveris deſiderio flagraremus, ſtatim ac ab humanisſimis illius eximii Collegii Patribus voluntas noſtra explorata fuit, libera facultas nobis tradita eſt. Idcirco *Petri Santorini Protomedici* meritisſimi *Officii Salutis*, atque maximi illius, et per univerſam Europam famigeratisſimi Anatomici, *Iohannis Dominici filii*, induſtria non minus quam peritia uſi ſumus, adſcito in operis ſocietatem *Ioſepho Maſini* Chirurgo. Utrasque, reſecta calvaria, meninges *lividas*, cerebri corticem flavida lympha perfuſum, offendimus. Abdomen, inſalutato thorace, aperuimus, et primo peritonaeum a muſculis ſeiunctum, et veluti ad inteſtina propulſum, invenimus. Mox inteſtina cum peritonaeo arcte ipſis iuncto, fortiter verſus vertebras preſſa, et in ſpatium adeo anguſtum redacta erant, ut penitus conquasſata viderentur. Depoſitis inſuper mollitie atque laevitate inteſtina rugoſisſima cernebantur, atque contracta, nec non coriacea induta duritie, ubi cultro reſecarentur, crepitum, non ſecus ac ungues facere ſolent, edebant. Omentum exſuccum, diaphanum, et papyraceae conſiſtentiae, modica, eaque crocea, rancidaque perfuſum pinguedine, graveolebat, et putredine ferme corruptum videbatur. Meſenterium ſcirrhoſum. Renes, ureteres, veſica, a quacunque labe organica immunes. Splen turgidulus. Hepar vero in ſima facie hydatidibus, ſparſisque hinc inde lividis maculis, obſidebatur. Fellis veſicula collapſa, humoreque ſuo propemodum vacua. Quae cavitates inter haec ſpatia occurrebant, exigua, atque olida lymphae copia replebantur.

ANNOTATIONES.

(1) *Caſum, in omnibus, et per omnia huic ſimilem, neque ipſe legi, neque inter legendum inveni, neque a quocumque alio,*

 quod

quod ſciam, aut deſcriptum, aut tractatum audivi. De privatis hydropibus, a ſingulari cuiusdam liquidi, aut viſceris vitio obortis, nonnulli inter practicos obſervatores verba fecere; Peritonaei vero hydropem ferme praeterierunt. Apud NICOLAVM TVLPIVM *Obſ. Med. l. 4. c. 43. et* IOBVM MEKERANVM *c. 49. binae praefatae hydropis ſpeciei hiſtoriae occurrunt, quae in eſſentia morbi, in loco affecto, in phaenomenis, in curationis modo, ac eventu, haudquaquam cum praeſente conveniunt. Validiſſimum paracenteſeos praeſidium indicatum utique, atque ad praxin nonnumquam deductum, ſed memorata methodo in uſum revocatum nuſpiam legitur. Collector ipſe hiſtoriarum,* CORNELIVS STALPARTIVS VAN DER WIEL, *qui obſ. 28. p. 1. cent. 2. plurima ſuper hoc morbo monumenta congeſſit, de huiuſce auxilii praxi reticuit. Neque* DOVGLASSIVS, *cui germaniſſimam ideam de vera huiuſce affectus ſede atque ortu debemus, quicquam ſolidi de paracenteſeos vel inſtituendae, vel repetendae uſu, in praxi reliquit, utut ſecundos eventus de hocce remedio odoratus ſit. Facile huius rei veritatem comperiet, quisquis aequo attentoque animo hiſtoriam perpenderit. Placuit in obſervationis fronte potius, quam in receſſu ſpecialem Inſtituti regulam pandere, qua carnes, carniumque iura, ſolis lacticiniis, piſcibus, oleoſisque conceſſis, vetantur. Neque exigui in hiſce momenti procatarctica cauſa detegitur.*

(2) *Aſperior, rubicundior, maioresque puſtulas exhibens impetigo, alterius ſobolis erat, quae* λειχὴν *graece appellatur, atque in hoc dumtaxat diſcrepans, quod ichore potius, quam ſquamulis redundaret. Haec intus adacta laticem ſeroſum infecit, et altera ex remotis morbi cauſis extitit.*

(3) *Quoniam legitimam ſimpliciſſimamque ephemeram, quam curaſſe, quam noviſſe facilius eſt, quae prius nocere poteſt, quam ſciri, quaeque bilioſum hominem, negotiis deditum, et promptius et maiore cum periculo afficit, non cibi antecedit faſtidium, non ſpontanea corporis laſſitudo, ſed neque gravior ſomnus, multave oſcitatio, neque horror, verum repente tota ſimul accedit, nulloque graviore incommodo, ubi iam*

eſſe

eſſe coepit, moleſta eſt: item ſolvitur interdum ſine ſenſu manifeſtae inanitionis, ſaepius per copioſos tum halitus, tum madores, aut certe per ſudores, ut ſuaves, ſic minime multos, nemini perſuaſum puto, hanc me ut ephemeram legitimam ſalutaſſe, licet illo horrore, utrique eryſipelati communi, carentem.

(4) *Eryſipelas et Phlegmone magnam inter ſe cognationem habent; neque differunt niſi magnitudine molecularum obſtruentium, atque ſedis profunditate. In Eryſipelate ſerum ſanguinis cum pauco rubro intermiſto immeabile haeret. In Phlegmone pars rubra ſanguinis in vaſis diſtentis, et obſtructis, accumulatur. Eryſipelas integumenta corporis externa, vel et membranaceas partes externas obſidet. Phlegmone in membrana adipoſa potiſſimum haeret. Cum autem exquiſitum Eryſipelas ſolius cutis affectus ſit, in Phlegmonem degenerare poteſt dilatatis vaſis, maiorem copiam rubri ſanguinis admittentibus, maloque propagato ad membranam adipoſam oritur morbus, qui inter Eryſipelas et Phlegmonem ambigat, atque, compoſito ex utroque vocabulo, Eryſipelas Phlegmonodes a Medicis appellatur.*

(5) *Febri et doloribus finem utique attulit, aſt doloſe, non autem ſuperveniente ſalutari criſi. Igitur imperfectus abſceſſus, qui citra coctionis notas, abſque excretionibus morbi gravitate dignis, in die non critico, illuxit. Quoniam metaſtaſim et decubitum morbidae materiae haud ſuſtinuerit; ſeceſſum atque expulſionem a corpore non promoverat, reliquum erat, ut ex uno morbo in alium tranſitus fieret.* Mutantur autem, GALENO teſte, in abſceſſum et inflammationes quaedam, et Eryſipelatoſi Phlegmonodesque tumores non pauci.

(6) *Sub umbilico, aſſerente* IACOTIO, *inanitas quaedam, et frigidior locus, ubi non niſi hypochondriorum beneficio concoctio peragitur. Ob eamque cauſam ſcribit* HIPPOCRATES *in Epidemiis*, ſuppurationum umbilicum terminum eſſe. *Quo etiam loco ſignum addit, ex quo ſuppurationes ruptum iri coniicere oporteat.* Quibus enim, *inquit*, ſuppurationes erumpi debent, ventres turbantur.

(7) *Dictum fuit ſuperius, exquiſitum Eryſipelas ſolius cutis affectum*

Digitized by Google

fectum eſſe, quod dum phlegmonoſam naturam induit, membranae adipoſae inhaeret. Hinc iure duplicis indolis abſceſſus videre contigit, quorum uterque ſingularem offenſam reſpiceret.

(8) *Quum eryſipelatoſa materia proximam affectus cauſam conſtituens calida extiterit, atque in omentum adipis metropolim praeceps irruerit, ſacculis eius, quaſi tot promptuariis reſeratis, et pinguedine fuſa, billioſi ſeri maxima moles ſtataria caſtra inibi poſuit. Quod ubi inter peritonaeum, tendinesque muſculorum transverſorum, non vero inter duplicaturam, ſive inter duas laminas lateris anterioris peritonaei effuſum proruperit, hydropem, de quo dudum verba feci, produxit. Cuius rei luculentum exemplum ſerum prima vice eductum exhibuit.*

(9) *Rariſſima certe, aeque ac digna quae literis mandaretur, hydropis peritonaei ſpecies, quoniam a nemine aut viſa, aut ab alio accepta, neque ab ullo, auſim dicere, excogitata quidem. Ecquis unquam huiusmodi hydropis ſpecie laborantem tractandum ſuſcepit, non ſitientem, bene mingentem, nullibi niſi in alvo praetumidum, non excarnem, muniaque ſolita rite et recte obeuntem? In hiſce tribus, me iudice, raritas affectus conſiſtit: nimirum non ſitiendo, atque mingendo, tantam aquae molem colligere; toties indemnem paracenteſeos operam ſuſtinere; tam alacriter, tam ſtrenue, et ſine virium iactura, ſimul ac ſemel integram ſeri in aqualiculo contenti, contra ac ſenſere priores medici, eductionem perferre. Putarim, exhauſta in cellulari membrana pene univerſa pinguedine, externo humido, utut tenuiſſimo, moram faciente, depreſſa vaſorum exhalantium facultate, auctaque attractione abſorbentium, potuiſſe a venis bibulis, nunquam ab officio feriantibus, eam humidi copiam ab aere abſorberi, quae alendo praefato hydropi ſufficeret; non ſecus ac in quibusdam diabetis ſpeciebus uſu venire videmus. Potuiſſe per tot menſium ſpatium vitam traducere, neque in graviſſimam offenſam a tot repetitis acu puncturis incidiſſe, ultro evincit, ſeroſam proluviem, (ut cum* CAROLO PISONE *loquar,) inter muſculos abdominis, atque*

que peritonaeum, non autem inter huiuſce duplicaturam ſedem poſuiſſe. Demum lympha ſimul et ſemel per paracenteſin pluries educta oſtendit, quam lubrica ratione, inanique metu priores innixi, de operatione hac adeo expaverint, ut certum exitium, aut ob collapſum diaphragmatis, aut ob ſpirituum diſpendium, aut ob aliud quid male ſomniatum, ominati ſint.

(10) *Certe mors inde ſecuta, eiusque modus, tantum abfuit ut in paracenteſeos culpam detorqueri poſſent, quin imno ipſam ſuadere, quotieſcumque ſimilis morbus incidat, videantur. Neque tantum ſuadere, verum etiam audacter, memorato exemplo praeeunte, in uſum traducere: ſaepe enim, auctore* CELSO, *quos ratio non reſtituit, temeritas adiuvat.*

OBSERVATIO ALTERA.

Nobiliſſima Matrona athletici corporis habitus, ſtaturae procerae, coloris vergentis in pallidum (1), infoecunda (2), podagram nodoſam (3), nephritidem, bilioſam colicam, icterumque ſaepiſſime paſſa, dum ſextum ſupra ſexageſimum annum agens graviſſimo paroxiſmo podagrico premeretur, in moerorem animi vehementiſſimum (4) incidit. Ignis eam illico prehendit, atque podagrae ex regulari in anomalam (5) fit tranſitus. Pectus gravativo dolore dolet, ſpiritus offendens. Quum de vena ſecanda ageretur, urinae croceae minguntur, colorque (6) ictericius in cute apparet. Mox febris deferbuit, thorax levatur, podagra ſilet. Septimo dolores in ilia, inque ſiniſtrum renem (7) procumbunt. Decimo quarto apyrexia, indolentia. Colorem ictericium carnes exuunt, croceum urinae retinent, concoquuntur tamen, ac rubro-ſaturam hypoſtaſin habent. Oleum amygdalinum, ſerum lactis aſininum depuratum, nitrata, iuſcula plantis malvaceis alterata, hucusque profuerunt.

Exacta trigeſima die, pondus in ſiniſtro hypochondrio percipitur, lien intumuit (8), crus ſtupet, vomituritio.

N Inci-

Incidit ſuſpicio de calculis. Anorexia, ſitis. Pulſus in laevo carpo inordinatus (9) percipitur. Decubitus ſupra latus affectum placidus, ſupra oppoſitum vero non item. Spongiis in decoctione ex caepis, ſeminibus, radicibus, herbisque, laxante et anodyna facultate praeditis, facta, intinctis, latus fovetur, butyro recenti oleo amygdalino immixto exinde illinitur. Elápſo octiduo inter cruciatus, dirosque ſpaſmos, bini grandiores calculi una cum lotio excernuntur. A quorum exitu (10) urina clareſcit, croceumque colorem ſenſim deponit. Potatur ſerum lactis aſinini, ſumitur decoctum theiforme millefolii, julapio terebynthinae edulcoratum, aegra caetera renuit.

Interea tumor in ſiniſtro hypochondrio magis atque magis in dies augeſcit, donec ſub larva ſcyrrhoſi lienis (11) imponat. Quum veſica dolore, atque labore, lotio exeunte, angeretur, quumque de calculo eam obſidente ſuſpicio incidiſſet (12), idcirco praeſtantiſſimum, et in arte ſua celeberrimum *Caietanum Manfrè* ſuper hac re conſulere ſtatuit. Hic ubi eam inviſit, atque veſicam immiſſo cathetere exploravit, nullus dubitavit de calculo ibi latitante exiſtentiam explodere. Abdomine vero pertractato, ac tumore, (de quo dudum ſermonem habui,) in hypochondrio ſiniſtro deprehenſo, ſtatim pro ea humanitate, qua nos, noſtraque ſemper proſecutus eſt, lienem ſcyrrhode tumore obſideri admonuit, quod reprobavit eventus.

Nondum hebdomada finem attigit, cum urina olidisſima mingitur, atque ſubiugalis (13), paullatim reſidens, habensque hypoſtaſim viſcidam, cohaerentem, nariumque muco, aut ovi candido haud abſimilem. Ex quo talis urina apparuit, laevus ren dolet, humero (14) pectineque in morbi conſortium tractis. Aegra iterum vomiturit, nauſeaque ſuper cuiuscumque generis cibos corripitur. Non in ſplene, ſed in ſubiecto rene tragoedia abſolvitur. Immenſae molis abſceſſus detegitur, a podagra inibi coacervata alimentum, atque incrementum ſumens. Febris augetur (15) lenibus, iisque protractis rigoribus veſpere invadens, mane

vero

vero ſudoribus effuſis miteſcens. Lumbi dolent, atque pruriunt. Furtiva ſitis. Imperfecta diarrhoea bilioſa, ac torminoſa. Singultus. Ver erat, ſanguinis profluvii, et abſceſſus in renibus ferax.

Cuiuscunque generis potum, praeter aquam limoniorum ſucco ſaccharoque conditam, aegra refugit, nulli remediorum ſuppellectili addicta. Piſa recentia in pulmenti formam parata, fragaque ſine modo ac menſura comedit. Ruit in peius. Iam

Acer anhelantes incendit Syrius agros,

atque anni tempeſtas hydropotationi ſecunda feſtinat. Vocatur prius in conſilium eruditiſſimus ille Sanctus Stephani, Patriae et Seculi decus. Deinde vocatur et polyhiſtor Co. Iacobus de Scopulo, morum ſuavitate, animi candore, ſingulari in medendo peritia inſignis, atque Patavini Lycaei ſidus et ornamentum. Morbum in abſceſſu podagrico exiſtere, ſiniſtrumque renem tenere, ſancitum eſt. Suppurationem ocyſſime promovere, per commodiores expeditioresque vias pus educere, ulcus ſuperſtes detergere atque conſolidare decrevimus. In hunc finem clyſmata laxantia, ac oleoſa, fotus ex decoctione vegetabilium emollientium, linimenta ex butyro et adipe ſuillo, inter externa remedia ſelegimus. Hydromel; decoctum ex paſſulis exacinatis, radice glycyrrhizza; ſmilace aſpera; terebynthinam venetam cum aſellis praeparatis, gummi elemi, atque croco orientali in maſſam pilularem redactam; iuſculum ex ſarzaparilla, chynna, carneque vitulina praeparatum; circulatum ex viperis; lac aſininum aqua calcis ſecunda temperatum; balſamum Leucatellii, atque pareirae bravae; ſed praeſertim aquas thermeles Virginis, et Blandulae, iuxta exigentiam, anni tempora, atque opportunitates, et ſeorſim intus ſumenda praeſcripſimus. Diaetam ſerio inculcavimus, cum, *Hippocrate* auctore, *omne ulcus exſiccari deſideret;* opus non aliunde, quam a fame exſpectandum.

Aegra morbi diuturnitate pertaeſa, ac paene confecta, praecepta medica ſpernit, in immodico fructuum eſu tota

Digitized by Google

eſt. Nonnulla ex medicis praeſcriptis experitur, ſed in minima doſi, temporis iniquo tractu, peſſimoque accedente diaetae regimine. Caetera praetermittit. Septimeſtre ſpatium elabitur, ex quo olida urina, pureque reſperſa mingitur, tumorque in ſiniſtro latere ſubſidet, nullum ſui ipſius veſtigium relinquens.

Iam deſinente Septembri menſe praeſto erat autumnus, calculorum tempeſtas uberrima, cum novae morborum iliadis tragoedia aperitur. Diris cruciatibus antegreſſis, maximae molis calculus (16) exit. Lotium non amplius ſubiugale, neque olidum eſt, prorſus hypoſtaſi caret. At iecur (17) repente dolet, indureſcit, exinde icterus flavus, foeces alvinae albicant, urina crocea. Eminet anorexia, potusque cupiditas. Lenis colica identidem repetit. Praeter fotus ex puriſſima calida hypochondrio dextro adhibitos, et clyſteres ex oleo amygdalino, nil in uſum, aegra imperante, revocatur. Labente ab hac epocha menſe ſecundo tumor in hepate emollitur, color ictericius elanguet, urinae et foeces naturalem colorem induunt. Macies permanet, ſitis ſedatur, ſenſimque redit ciborum appetentia. Cutis inopinato circumtenditur (18), aſperatur, prurit. Cernuntur (19) exiguae puſtulae limpidiſſimo ſero turgidulae, ſcabioſis perquam ſimiles. Pruritus eo moleſtiae pervenit, ut acuminatis ligneis ſpathis cutim aſſidue ſcalpere cogeretur. Neque multo poſt univerſa fere epidermis laminatim decidit, non ſecus ac in anguibus evenit, dum vere exuvias deponunt,

Aſſiduo curata cuticula Sole.

Febricula praefatis ſymptomatis ſemper aſſidens, a ſanato pruritu, certiſſimo abſceſſu, in quem icterus deſiit, abſuit.

Dum nutritioni reparandae, et aegre reſtaurandae, omnis opera impendebatur, ſolis cibis eupeptis in uſum vocatis, et quibuslibet remediis proſcriptis, febris accenditur, macies augetur. Tunditur utriusque manus vena (20), exinde pulſus apyrexia perfecta potitur, nutritio inſtaurari incipit. Ab hiſce auctis quotidie ſalutaribus ſignis morborum

rum procellæ ſedari, et ſecunda valetudo in foribus eſſe videbatur. Sed ſpem fefellit eventus. Eminus a quocumque paralyſeos indicio memoria laeditur. In enunciandis rerum nominibus aegra deficit, ſed errati conſcientiam retinet, neque cavere, quin relabatur, poteſt (21). Febris, quae per ſemeſtre ſpatium abfuit, in ſcenam redit, non vehemens, neque periodica. Exardeſcit caput. Vigilia urget. Iterum ſecatur in brachio vena, ſedi admoventur hirudines. Epicratica purgatio inſtituitur. Juſcula viperata adhibentur. Ab hiſce remediis, licet perverſa methodo, et praepoſtero diaetae regimine adminiſtratis, dum triennium a morbi ingreſſu abſolveretur, aegra ex toto convaluit; neque ultimum diem, niſi ab hac epocha exacto decennio, ac dyſenteria cum febre acuta correpta, clauſit.

ANNOTATIONES.

(1) *Colores in pallidum vergentes, crudorum craſſorumque ſuccorum indicia ſunt. De his egit* HIP. *l. 2. Epid. ſect. 2. ſub hiſce verbis:* curandum iram inferre, et revocandi coloris cauſa, et effuſionis ſuccorum. *Impedit enim nimia humorum craſſities, ne ſanguis in exteriores corporis partes effundatur, floridumque colorem illis inducat. Etiam a coloribus indicium ſumere oportet ad curationes morborum rite inſtituendas, ut alibi Praeceptor docuit, videlicet in Epid. l. 2. ſect. 1. et Epid. l. 4. text. 105.*

(2) *Inter ſterilitatis cauſas, ex parte mulieris, reponit* HIPPOCRATES *l. de ſteril. craſſitiem uteri, atque humiditatem. Nunc ambarum concurſus foecunditatem arcuit. Erat enim aegra ventricoſa, atque uteri rheumatiſmo vix ex ephebis egreſſa laboravit.*

(3) Ubi craſſi et glutinoſi humores exuperant, morbi (GALENO *teſte)* erumpunt, qui in ea corporis parte ſedem figunt, qua liquidorum motus ſummopere languet. *Hoc in partibus in hiſtoria memoratis evenire, quotidiana experientia docemur.*

 (4) *Tri-*

Digitized by Google

(4) *Triſtitia et moeror ſtomachum petunt, ciborum appetentiam deprimunt, et concoctionem evertunt. Verum et calculum nephriticis, et hyſtericas paſſiones mulieribus movent; ataxia ſpiritibus inducta. Secretiones, incraſſando ſanguinem, cohibent, teſte* SCHELHAMERO *de hum. an. af. c. 12. Praecordia gravant, iuxta illud* VIRG. *in Aeneid. l. 6.* Frigidus Arcadibus coit in praecordia ſanguis. *Vitam brevem faciunt, ut in* PROVERB. Metus et triſtitia minuunt dies, et ante tempus ſenectam adducet cogitatus; *et rurſus:* animus gaudens longam iuventutem facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.

(5) *Podagra molimen naturae eſt, pura ab impuris ſecernentis, atque a nobilibus ad ignobiliores partes, velut artus ſunt, amandantis. Quoniam humores triſtitia coeunt, et ſolida laxantur, nil mirum, ſi deficientibus naturae viribus, podagroſus humor in artubus ſuſtineri nequeat; ſed in venas remeans fatales ſtaſes, huc illucque producat.*

(6) *Neque urinae croceae, neque cutis ictericius color ſanguinis miſſionem arcendi vim habuiſſent, niſi febris deferbuiſſet, et levaretur in pectore dolor.*

(7) *Si icterus verus legitimusque extitiſſet, in dextrum hypochondrium potius dolor procubuiſſet, quam in oppoſitum. Imperfectum, ac tranſitorium icterum, ſplene male ſe habente, ſubiectove rene, in praxi non ſemel vidimus. Lien etenim officina praeparatoria bilis eſt.*

(8) *Intumeſcentia ſplenis aequivoca haec erat. Hoc indicare videbatur cruris ſubiecti ſtupor, et nimis citum augmentum. Etiam anorexia haud familiare ſymptoma lienoſis.*

(9) *Hoc ſignum ex* ARETAEO *petitum eſt:* Pulſus namque in acutis renum paſſionibus initio rari ſunt, ac ſegnes: ſi malum plus urgeat, parvi fiunt, crebri, turbulenti, inordinati.

(10) *Haec eſt haud vulgaris obſervatio, qui fiat, ut exeuntibus binis calculis ex rene ſiniſtro, croceum urina colorem exuat.*

(11) *Eius molis, eiusque duritiei ren ſiniſter quotidie augebatur, ut humanum caput mole, ſaxum conſiſtentia referret.*

(12) *Gra-*

Digitized by Google

(12) *Gravitatis ſenſum, ad motum corporis increſcentem, et quandam veluti titillationem circa pubem et perinaeum, aegra percipiebat. Urinam cum aſſidua mictionis cupiditate reddebat. Nonnunquam fiebat quoddam quaſi ſtillicidium. Lotium modo affatim fluebat; mox intercipiebatur, modo guttatim ferebatur. Interea teneſmo laborabat alvus, et ſupina melius, quam in latera reclinata, mingebat.*

(13) *Subiugales urinae eae nuncupantur, quae clarae minguntur, et poſtea turbantur; quae turbidae mictae, exinde reſident, et clareſcunt; atque demum quae mictae turbidae, perpetuo tales manent. Noviſſimae caeteris deteriores, alterae calculoſis familiares.*

(14) *Vera ſymptomata calculi renem laevum obſidentis, et pathognomonica, uti dolor adusque medias coſtas pertingens, qui multis perinde ac ſi morbi lateralis eſſet impoſuit, eſt calculi in dextro rene hoſpitantis.*

(15) *A calculis et abſceſſus dignoſcendi ſunt, iuxta* ARETAEUM, ſi veſperi febres acceſſerint, et rigores, dolores circa lumbos, et pruritus. At ſi ruptus abſceſſus fuerit, grumi purulenti, carnisque formam repraeſentantes eiiciuntur. Quin etiam et albida ſanies excernitur.

(16) *En ſilentio minime praetereundum naturae miraculum! Quam raritatem repetitus paracenteſeos uſus in praecedenti obſervatione conſtituit, eandem in praeſenti ſuggerunt vel calculi eiectio, vel abſceſſus ſanatio, naturae potius, quam artis molimini deferendae. Nullis adiuta natura diureticis* (quae cum calida et acria ſint, *merito a* GALENO *lib. 6. de ſan. tuen. c. 11. carpuntur*), *ſponte calculos deturbavit, atque eiecit. Quinimo ipſa per ſe, et a nemine edocta, ſtagnantem in rene materiam ad concoctionem perduxit, abſceſſum aperuit, et evacuavit, ulcusque relictum ad cicatricem deduxit, epidictico exemplo, praecepta quoque aphoriſtica, quale eſt illud aph. 6. ſect. 6.* vitia renum, et omnes circa veſicam dolores, difficile ſanantur in ſenioribus; *et illud l. 6. Epid. ſect. 8.* Renum morbos, et veſicae, non vidi curatos ultra quinquageſimum annum: *ſua ſidera habere. Quid enim profuiſſet*

Digitized by Google

ſet, detergentia et conſolidantia aliunde quaerere, cum domi praeſto foret aeque pollens remedium? Purgat etenim, detergit, et eluit urina. Immo Lithotomi quidam, nec inepte, poſtquam detractus eſt lapis, detergentia et expurgantia medicamenta ulceri non indunt, quod urina illac profluens vicem illorum deterſiva ſua vi ſuppleat. Et dum in calculoſis ea temperatur urina, tantundem demitur de dotibus eius, quas in extergendo habet. Aſt quod fidem pene vincit non eſt, naturam absque remediorum ope tantum de morbo reportaſſe triumphum; ſed aſſidente peſſimo diaetae regimine nunquam potuiſſe ab opere deturbari, atque ex integro in hac parte viciſſe, iuxta illud HIP. *in 6. Epid. ſect. 3.* Omne ſuppurans eſt ſine recidiva. Haec enim concoctio, et criſis ſimul, et abſceſſus.

(17) *Novus morbus, neque ullam cum praecedente relationem habens. Niſi quod aegra relabi facillime in malum eius indolis poterat, quo antea ſaepiſſime cruciabatur.*

(18) *Iuxta illud* HIP. *in 6. Epid. ſect. 3.* Omnis extenuatio prius laxat cutem, deinde circumtenditur. Refectio contraria facit, cutis corrugatio concidentis, extenſio renutritae.

(19) *Genuinus abſceſſus, non vero morbus.* De genere acervatim fluentium, non autem ſemirepentium, *ut Epid. 2.* HIP. *loquitur. Criticus, non autem ſymptomaticus, quia ſuperaddito morbo finem impoſuit.*

(20) *Exemplo ex* HIP. *Epid. l. 5. petito, quod ſic ſe habet.* In Oeniadis vir morbo tenebatur, et tabeſcebat corpus, et conſumebatur, et non accedebat ei alimentum a cibis cum comediſſet, et ſubducebatur cibus pravus, et combuſtus. Hic pharmaca omnigena bibens nihil iuuabatur. Secta autem in utraque manu vena, uſquedum exanguis redderetur, deinde iuvatus eſt, et a febre liberatus.

(21) *Imperfecta linguae paralyſis, aut alicuius partis in cortice cerebri. Abuſus cibi euchymi, facile nimis replentis venas, atque vaſorum rigiditas, in cauſa eſſe potuerunt huius ſymptomatis. Oſtendit autem ſanatio.*

SAMUE-

Digitized by Google

SAMUELIS KLINGENSTIRNA, IN ACAD. Upſal. Prof. Math. Regiorum Principum Praeceptoris, Acad. Scient. Stockholm. Socii, Tentamen de definiendis et corrigendis aberrationibus radiorum Luminis in lentibus ſphaericis refracti, et de perficiendo teleſcopio dioptrico.

Diſſertatio ab Imperiali Acad. Scientiarum Petropolitana praemio affecta die 23. Sept. 1762.

Petropoli Typ. Academ. Scientiar. 1762. plagg. 13. c. tab. aen. in 4.

Quanquam Saeculum noſtrum magnae utilitatis inventis diſtinctum ſit, tum in philoſophia naturali, tum in omnibus Matheſeos partibus, adeo, ut ſingula eorum poſteris ſatis commendari nequeant: nemo tamen inficias ibit, quin Theoria nova perficiendorum Teleſcopiorum dioptricorum, in quam Geometrarum facile princeps, Eulerus, primus cogitando incidit, reliquis omnibus palmam praerepturа ſit. Cum enim experientia ſatis ſuperque docuerit, quantis inventis ab repertis horologiis oſcillatoriis, ac teleſcopiis dioptricis, magnis ſane atque omnino utiliſſimis, Aſtronomia ac reliquae inde pendentes ſcientiae locupletatae ſint; certiſſima ſpes affulget, fore, ut perfectis teleſcopiis dioptricis, in his ſcientiis nova, et adhuc incognita, indefeſſa obſervatorum diligentia in lucem protrahantur. Perfectio vero inſtrumentorum opticorum, uti cuivis harum rerum perito conſtat, in eo potiſſimum conſiſtit, ut obiecta, quantum fieri poteſt, aucta repraeſentent, et ſimul ea cum claritate atque diſtinctitate, quae oculo iudice ad perfectam viſionem requiruntur. Horum trium requiſitorum duo quidem priora ſatis ſunt in poteſtate. Amplificatio obtineri poteſt quaecunque, combinando lentes huic fini idoneas, et claritas ſimul habetur deſiderata, augendo latitudi-

Digitized by Google

nes vitrorum usque quo permittant magnitudines ſphaerarum, ad quas efformantur, et ſi ſimul procurari poſſet perfectus radiorum cuiusvis penicilli oculo illabentis parallelismus, unde repraeſentationis pendet diſtinctio, nihil profecto eſſet in artis Theoria, quod ad perfectionem inſtrumentorum opticorum deſiderari poſſet amplius. Duae vero potiſſimum cauſae hunc parallelismum turbant. Una quidem ſuperficierum ſphaericarum, ad quas efformantur lentes, natura minus idonea radiis luminis regulariter refringendis; altera vero diverſa radiorum, quam primus detexit Neutonus, refrangibilitas. Quarum primam, antequam altera cognita eſſet, nonnulli evitare conabantur ſuadendo ac praeſcribendo, ut loco formarum ſphaericarum vitris figurae ſectionum conicarum, quae omnes radios in unum punctum colligant poſt refractionem, inducerentur. Et cum artifices, ad figuram eiusmodi, vitra plane, ea perfectione, quam requirebant, formare non poſſent: Hugenius quidem in Dioptrica determinavit figuras lentium ſingularium, quae aberrationes minimas radiorum efficiant, et figuras lentium ocularium concavarum, quae, vitris obiectivis plano convexis iunctae, aberrationes radiorum ab eorum figura ortas corrigant; quo etiam referri poteſt duplicatio lentium ocularium convexarum, c. l. Prop. LI. deſcripta. Nemo tamen iuſtam harum aberrationum Theoriam, vel modum illas corrigendi, adhuc tradidit ac demonſtravit. Id potius quam certiſſimum eſt, ipſum Neutonum, Hugenium, reliquosque Dioptrices poſt viros hos ſummos promotores, cognita radiorum diverſa refrangibilitate, de corrigendis Inſtrumentorum opticorum vitiis deſperaſſe, cum non tantum ipſe Neutonus, ſed poſt eum omnes communi conſenſu decernerent, hanc diverſam radiorum refrangibilitatem plane nulla ratione tolli poſſe. Quare tanto maior Geometrae ſummi, Euleri, ingenii vis et acumen enitet, cum is primus abiecto illo communi praeiudicio, ex theoria altius repetita, non ſolum

Digitized by Google

ſolum Neutonianae theoriae contradixit, ſed et praecepta dedit conſtruendi Tubos dioptricos, in quibus vitia non ſolum ex figura ſphaerica, ſed etiam diverſa radiorum refrangibilitate orta, tollerentur. Iohannes Dollondus, peritiſſimus Inſtrumentorum opticorum artifex Londinenſis, tanti Viri auctoritate motus, primum quidem id agitabat, ut Neutoni ſententiam novis experimentis confirmaret, uti ex Diariis Academiae Scientiarum Boruſſicae conſtat: ſed his inſtitutis, tantum aberat ut ea iis confirmaretur, ut potius Euleri oppoſita extra omnem dubitationem poneretur. Variis itaque artificiis, ac prope herculeo labore, nova ex praeceptis Euleri Teleſcopia conſtruxit, et quidem talia, quorum obiectiva ex lentibus conſtarent, quae aquam intus claudebant. Sed cum illa, quamvis longe ordinaria et vulgaria antecellerent, expectationi tamen minus reſpondere intellexiſſet: tandem multiplicibus et certis experimentis edoctus eſt, varia dari vitrorum genera, quae, licet aequali propemodum facultate polleant refringendi luminis radios mediocriter refrangibiles, ſenſibiliter tamen differant in refringendis reliquis; unde fiat, ut ſeparatio vel diſſipatio radiorum coloratorum maior contingat in uno vitri genere, quam in alio, poſitis licet aequalibus incidentiae obliquitatibus in utrumque. Hinc iudicavit, vitium Teleſcopiorum, ex diverſa radiorum refrangibilitate in vitro obiectivo ortum, emendari poſſe, componendo obiectivum ex binis lentibus e vitris diverſi generis fabricatis, et determinatam quandam rationem diſtantiarum focalium habentibus, quae efficiat, ut una alterius effectum in radiis diſſipandis deſtruat, adeoque radii ſine diſſipatione ad focum tendant, ibique imaginem ſolito diſtinctiorem efforment. Et ſic ſublato imaginis vitio a diſſipatione radiorum oriundo, ſimul et amplificationem opticam et aperturam vitri obiectivi augeri poſſe, facile perſpexit; ſed ſimul etiam animadvertit, alteram illam luminis aberrationem, a figura vitrorum ſphaerica ortam, una cum

 latitu-

latitudine obiectivi vitri augeri, et in prioris locum ſuccedere, ita ut hac ratione parum proficiatur, niſi quoque alteri huic malo remedium afferatur, quod remedium petendum, ait, a certis proportionibus inter diametrum ſphaerarum, ad quas ſingulae facies binarum lentium obiectivarum ſint efformandae. Quanquam itaque Dollondus, ſecundum haec principia plurima Teleſcopia diverſarum longitudinum compoſuerit, quae ſolita eiusdem longitudinis plurimum antecellunt; eoque ipſo facto demonſtraverit, notas ſibi eſſe illas facierum binarum lentium obiectivarum ad id neceſſarias proportiones, eas tamen nunquam cum publico communicavit, multo minus earum Theoriam cognitam dedit. Academia itaque Imperialis Petropolitana quaeſtionem enodandam in annum 1762. Geometris propoſuit: quantum imperfectiones Tuborum opticorum et microſcopiorum, ex diverſa refrangibilitate radiorum, ac figura vitrorum ſphaerica ortae, per combinationes plurium lentium corrigi ac imminui queant? ſimul exigens, ut theoria praxi aptetur, ac per experimenta comprobetur. Ex omnibus, quae ea occaſione transmiſſae ſunt, reſolutionibus, hanc, quam proponimus, illuſtris Academia iudicavit dignam quae praemio afficeretur. In ipſo praeſtantiſſimo opere, ut brevem eius ideam adumbremus, ita verſatur A. Cl. ut primum radiorum in ſphaericam ſuperficiem dati centri incidentium ac refractorum, cum axe ſphaerae, poſito arcu ſatis parvo, univerſaliter determinet concurſum, atque legem aberrationis definiat. Eaque definita docet, quando ea aberratio, a figura ſphaerica orta, plane evaneſcat, et quomodo lens debeat eſſe comparata, ut haec aberratio ſit maxima vel minima, ipſamque hanc aberrationem maximam ac minimam definit, cum generali aberrationis formula comparat, ac poſt varias meditationes concludit, lentem vitream, ſive concavam, ſive convexam, ſimplicem, non eſſe idoneam ad radios luminis ſine aberratione refringendos, niſi habeat

habeat figuram meniſci, exiſtente radio faciei magis curvae ad radium faciei minus curvae in ratione non minori quam 11. ad 21. utrumque focorum coniugatorum ſemper cadere ad easdem lentis partes in caſu aberrationis nullius, et diſtantiam foci lenti propioris non poſſe eſſe ad diſtantiam remotioris in minori ratione quam 33. ad 52. quam proxime; hancque de lentibus ſimplicibus theoriam ingenioſa Geometrica figura quaſi totam oculis A. exhibet. Ad lentes compoſitas progrediendo, diſquirit, ſi quotcunque ſphaericae lentes, in linea recta, tanquam Axe communi diſpoſitae, habeant focos reſpective coniugatos, radiusque luminis in eas intrans ab omnibus refringatur, et poſt ſingulas refractiones occurrendo axi aberret, quanta futura ſit harum aberrationum magnitudo? eaque univerſaliter determinata, datis poſitionibus, et focorum principalium diſtantiis lentium quotcunque, invenire docet formas earum, quae efficiant, ut radii luminis, a dato in communi earum axe puncto advenientes, poſt refractiones colligantur in ultimo foco, ſi fieri poteſt, ſine aberratione. Hinc iam Teleſcopia, abſtractione facta a reliquis boni Teleſcopii requiſitis, ex duabus, ex tribus lentibus componere edocet, quae ſint ab aberratione libera, et lentium figuras ad ea determinat.

Alteri iam parti operis ſuſcepti ſe accingit §. 23. atque diſquirit, quomodo alteri aberrationis ſpeciei, quae ex radiorum diverſa refrangibilitate oritur, quae obiecta trans lentes viſa coloribus inficit, et eo ipſo non minimam confuſionis partem producit. Creditum hucusque communiter fuit, hoc vitium nulla arte emendari poſſe, dum Dollondus experimentis, ut iam notavimus, feliciter detegeret, varia vitrorum genera dari, quae, licet aequalibus fere refringendi viribus polleant, plurimum tamen differant facultate radios heterogeneos a ſe invicem ſeparandi. Qua ex re diſcimus, rationes refractionum radiorum diverſi generis nullatenus a ſe invicem dependere, ut adhuc fuit creditum;

 adeo-

adeoque fruſtra quaeri regulam, qua, ex datis refractionibus radiorum diverſi generis in uno aliquo medio, inveniantur refractiones eorundem in alio, vel qua, ex data refractione unius alicuius radii, in quovis medio inveniantur refractiones reliquorum in eodem medio. Exinde derivandus eſt modus corrigendi aberrationes, ex ſeparatione radiorum homogeneorum oriundas, componendo vitrum obiectivum ex duabus lentibus, una convexa, altera concava, quae ita ſint comparatae, ut una alterius effectum in radiis ſeparandis deſtruat, quemadmodum ipſe Dollondus in Transactionibus Philoſophicis expreſſe docet, atque in hoc libello uberius declaratur. Primum enim aſſumit Auctor Clar. lentem habentem radios facierum ſuarum datos, diſtantiam foci principalis radiorum mediocriter refrangibilium, et axem rectam lineam, conſtitutisque radiorum maxime refrangibilium ex aere in lentem, et radiorum maxime refrangibilium et radiorum minime refrangibilium rationibus, inquirit in rationem inter diſſipationes coniugatas in lente una. Idem deinde examen inſtituit aſſumtis eiusmodi lentibus quotcunque, et accurata aequatione rationem diſſipationum coniugatarum exprimit pro quovis lentium numero. Determinata hoc modo univerſaliter ratione diſſipationum coniugatarum, datis iam poſitionibus, lentium binarum, trium, vel quotcunque, in communi axe, una cum ſingularum rationibus refractionum et diſſipationum, invenire docet relationem inter diſtantias focorum principalium, quae efficiat, ut radii heterogenei, a quovis puncto advenientes, vel paralleli, poſt refractionem in omnibus lentibus emergant ſine diſſipatione, a diverſa refrangibilitate radiorum oriunda. Aequatione expreſſionem diſſipationis datae, multitudini lentium convenientem, nihilo aequalem ponit; quo ipſo eruit aequationem definientem relationem diſtantiarum focalium, requiſitam ad id, ut diſſipatio radiorum, e lente ultima emergentium, evaneſcat. Mox aſ-

ſumtis

Digitized by Google

ſumtis rationibus refractionis in vitro anglicano virideſcente, *Crown glaſs* dicto, et in vitro albo quod *Flint glaſs* appellatur, tabulam et abacum adiicit, ad prompte diſtantias eiusmodi focales idoneas computandas; interſperſisque bene multis, quae negotium eiusmodi arduum facilitare poſſunt, illuſtrationibus, docet vitrum obiectivum ex duabus lentibus, quarum prima ex Crown glaſs, altera ex Flint glaſs, et quae ſunt ſecundum totas facies ſuas obverſas contiguae, componere, quod ſit ab omni aberratione liberum. Cuiusmodi obiectivi duos caſus deinceps proponit, formas eorum ratiociniis demonſtrat, atque ampliſſimis calculis illuſtrat. Pari ratione vitrum obiectivum, aberrationis expers, ex tribus lentibus componere docet, quarum duae exteriores ſint ex anglicano vitro virideſcente, intermedia ex albo. Eiusmodi obiectivorum vitrorum quatuor exhibet exempla, ſingulorumque formas non ſolum ex ratiociniis deducit, ſed et accuratum et prolixum eorum computum ſubnectit. Tandem, cum hucusque Auctor Cl. tantum de eorum radiorum aberrationibus ſollicitus fuerit, quae principalem penicillum conſtituunt, et unicum ſolum obiecti punctum in axe inſtrumenti ſitum repraeſentant, tranſit ad penicillos obliquos, qui a punctis obiecti extra axem ſitis ad oculum tendunt, in quibus alterius generis aberratio locum habet, cuius in perfecta viſione impedienda non minimae ſunt partes. In eius naturam ac indolem meditatione inſtituta, pari felicitate remedia eam tollendi praeſcribit, atque, ut nihil intactum relinqueret, has elegantisſimas ac plane novas theorias ad Inſtrumenta optica perficienda applicat. Conſideratis dein Teleſcopiis a Dollondo, quae omnium ſunt ſimplicisſima, compoſitis, ac praemiſſa brevi, ſedaccurata explicatione rationis, quae inter diſtantias focales et intervalla lentium intercedere debet, una cum ratione amplificationis et effectus quem praeſtant: definit iam diſtantias focales et intervalla lentium ocularium, quibus corrigantur aberrationes, e radio-

Digitized by Google

radiorum ac penicillorum obliquorum refractionibus in his lentibus oriundae. Plura quidem adhuc, ac eiusdem ponderis momenta, ex praeclaro hoc libello excerpere poſſemus, ſed haec facile ſufficient ad edocendos lectores, quam egregias, quam plane novas et inexpectatas maxime meditationes, praeclarum hoc opus contineat, quae et Auctori glorioſae, et in hoc ipſo Libro iam adeo foecundae ſunt, ut certisſima ſpes affulgeat, fore, ut iis ulterius excultis, omnis Dioptrica novam fere formam, eamque multo auguſtiorem, induat.

D. CHRISTIANI WILHELMI KÜSTNERI Chreſtomathia Iuris Enniana, ſ. loci Ius Romanum illuſtrantes ex Ennio, cum notis adiectis.

Lipſiae 1762. 8. plagg. in 8vo.

Inſtitutum eorum, qui, ſtudioſae praeſertim iuventutis cauſſa, ſelectos ex optimis veterum ſcriptorum monumentis locos inſigniores ediderunt, habet omnino, quo non ſolum defendi, ſed etiam laudari recte poſſit. Ea enim re efficitur, ut, quae vel ob voluminum quantitatem, et carius eorum pretium, comparari a multis opera veterum integra, vel ob ingenii imbecillitatem, quae utilia ac pulcra in illis ſint, diiudicari a tironibus ac perſpici nequeunt, in compendium redacta, pluribus innoteſcant, atque intellectu faciliora reddantur. Ita etiam hoc nomine Cel. Küſtneri labor, quem Chreſtomathiae Iuris Ennianae conficiendae impendit, gratus eſſe et iucundus debet iis, qui Iurisprudentiam non e tenui ac ieiuno compendiolo, ſed potius ex ipſis optimorum auctorum fontibus hauriendam cenſent eſſe. Eo enim con-

Digitized by Google

conſilio elegantiſſimum, quem indicavimus, libellum conſcripſit Küſtnerus V. Cl. ut, quid per litteras, quae ab humanitate nominantur, adiuvari iurisprudentia poſſit, exemplis e fragmentis Ennii petitis demonſtraret. Quae quidem res cum et iucunditatis multum, atque utilitatis habeat; digna omnino videtur haec Chreſtomathia, quae paulo fuſius hoc loco recenſeatur. Praefixa eſt huic libello dedicatio ad patrem Auctoris D. Godofredum Wilhelmum Küſtnerum, virum, et de republica litteraria, et de civitate Lipſica meritiſſimum, nuper Conſulem fatis functum, directa, quam mox praefatio ſatis prolixa ſequitur, in qua ab A. in cauſſas potiſſimum inquiritur, cur hodie a multis iurium ſtudioſis, auctorum uti dicuntur claſſicorum lectio negligatur, ac deinde conſilium ſcribendae huius Chreſtomatiae uberius enarratur. Praeterea etiam ratio, cur ad ius illuſtrandum fragmenta Enniana inprimis apta ſint, ea eſſe praecipua dicitur, quod verbis illis antiquis et obſoletis, quibus Ennius uſus eſt, probe perſpectis, et L. XII. Tabb. et recentiorum quoque ICtorum ſcripta, atque adeo Leges Cod. Theod. et Iuſtin. mirifice intelligi, atque antiquitates iuris quamplurimae explicari posſint. Quod quidem ita ſe habere, et verba Ennii ipſa hoc libello prolata, et eruditae A. in ea Annotationes confirmant; de quibus iam nonnullas, ſpeciminis loco, commemorabimus, ut, quale ferendum de illis iudicium ſit, ſtatim omnibus appareat. Sic pag. 3. ſuper diſcrimine auſpicii atque augurii ſatis acute diſputatur. Nimirum, in auſpicio conſideratum olim eſſe, an ſit ſecunda avis, et praepes; in augurio vero locum magis ſpectatum, an praepes et pulchra avis regione conſtituta adpareat, pronuntiatur, atque inde elicitur, tum aves, tum loca fauſta, dici proprie praepetia. Sed num differentia iſthaec in ſcriptis veterum obſervata ſit, valde quidem dubitamus. Pagina 8. quid ſint *regni ſcamna ſolumque* apud Ennium, docte eruitur. So-

Digitized by Google

lum, uti recte monet Auctor, proprie terra dicitur, ac propterea etiam ſola terrarum plerumque coniunguntur. Scamnum autem, Columella teſte, crudum ſolum et immotum ab agricolis vocatur. Cum igitur ſolum ſcamni nomine veniat, ſcamna ſolumque per ἓν διὰ δυοῖν terrarum ſola ac regni ſola nuncupari exiſtimat K. atque e ICtorum ſcholis addit, ſolum eſſe aream, cui aedificium ſuperponitur, et ius ſoli ſequi aedificium; eſſe partem aedium l. 21. D. de Pign. act. l. 49. D. et l. 2. C. de rei vindic. Pagina 11. Verba Ennii: *Nec pol homo quisquam faciet impune animatus hoc, niſi tu*, de Romulo Remum, muros urbis tranſilientem, increpante explicat K. et quid de murorum ſanctitate legibus ſancitum ſit, indicat. Primum huius rei meminit Pomponius l. 11. D. de rer. diviſ. *Si quis violaverit muros, capite punitur, ſicuti ſi quis tranſcendet ſcalis admotis, vel alia qualibet ratione.* Origo huius legis ex hiſtoria Remi petenda omnino eſſe videtur, quippe qui non, quod urbi nomen imponere et imperare contenderit, necatus eſſe, ſed quod in fratris contemtum tranſiliiſſet muros, quos Romulus conſtituerat, omnium fere poetarum et hiſtoricorum auctoritate traditur. Pagina 14. Cel. Auct. per deos genitales Martem ac Venerem intelligi, e quibus originem ſuam deducebat Romulus, cum Heſſelio affirmat; genitales autem appellari natales, legibus comprobat. Sic genitales civitates l. 20. C. Theodoſ. XVI. 10. de paganis, ſolum genitale, cuius originalis eſt l. 1. C. Theod. V. 10. de inquilin. et colon. patria genitalis l. 13. C. de oper. publ. nominantur. Pagina 17. Vocabulum *corpus*, pro cadavere poſitum, e legibus etiam comprobatur, ac praeter alias illa praecipue affertur, quae huic rei maxime inſervit l. 14. §. 4. D. de relig. *Si quid ad corpus cuſtodiendum, vel etiam commendandum factum ſit impenſae.* Sunt, qui hoc loco legere velint

com-

commundandum, id eſt lavandum; ſed, uti ab Auctore recte pronuntiatur, lectio prior huic omnino praeferenda eſt, cum apud Paul. Sent. I. 21. 4. et Grut. Inſcript. pag. DCVII. corpora tantum ad tempus alicui loco commendantur et deponuntur, donec in ſepulcrum inferri poſſint l. 4. D. de relig. Pagina 21. Inſcriptio antiqua, quae apud Gruter. pag. CXIV. b. extat, magna probabilitatis ſpecie explicatur. Cum enim Guther. de offic. dom. Aug. III. 17. ibi *vectigal Foriculiarii* et *anſarii promercalium* legat, atque hoc de vectigali armorum promercalium intelligendum cenſeat, Cel. K. hoc potius de frugum minutarum, vini, tritici, atque olei pendendo explicandum, et propterea vectigal foricarii et anſarii, hoc eſt, vectigal in foro promercalium, quod pro certa mercede conducebant foricarii, legendum eſſe non male opinatur. Pagina 24. In verbis Ennii: *occaſus iuvat res*, vocabulum *occaſus*, contra Heſſelium, qui illud pro occaſione dictum cenſet, ab Auct. pro ſole occidente poſitum, eam praecipue ob cauſſam defenditur, quod in hoc cum Pyrrho certamine, cuius Ennius meminit, noctem finiiſſe proelium Eutropius Hiſtor. Rom. II, c. 11. teſtatur. Pagina 34. dictio Ennii: *rem repetere*, pro condicere ac vindicare uſurpata, e libris iuris illuſtratur, in quibus res pro lite ac cauſſa ſaepenumero occurrit, et repetere rem idem ſignificat quod petere, condicere. Sic v. g. in *l.* 3. §. 5. D. de condict. cauſ. dat. extat: *liber probatus an mihi condicere poſſit, quaeritur;* et Iulianus lib. XI. Digeſt. ſcribit: *competere manumiſſo repetitionem.* Pag. 38. ad verba Ennii: *poliendi agri*, ſuper lectione aliqua l. 52. §. D. pro Socio, erudite et probabiliter diſputatur. Cum enim Celſus lib. VII. Digeſt. ſcribit: *Socios inter ſe dolum et culpam praeſtare oportet, ſi in coeunda ſocietate artem operamve pollicitus eſt alter, veluti cum pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus in commune quaerendis*

dis fructibus, Clar. K. lectionem *politori*, quam editio Taurelliana habet, Haloandrinae *pollicitori*, ac vulgatae *pollicitatori*, praeferendam eſſe exiſtimat. Parum quidem placuit haec emendatio Cel. Bynckershoekio, qui politorem pro agricola haud legi putat, et reiecta littera *p olitori*, qui olera ſerit et vendit, potius emendat. Sed cum in laudata lege requiratur, ut ſocius operam praeſtet in excolendo agro, et augendis fructibus, plus ineſſe credit K. voci politoris quam agricolae, i. e. ut poliat, excolat, et inſtruat agrum; ideoque nihil difficultatis invenit, cur, quod voci polire et politum tribuitur, politori denegetur. Pagina 41. Vocabulum *peniculamentum*, quod Iof. Scaliger per tractas veſtium lacinias explicat, ab Auct. rectius veſtimentum, et quidem penula, cuius diminutivum penicula, ac deinde peniculamentum apud Lucil. Sat. XIX. audit, explicatur; quod penula, quae veſtis eſt ex craſſiore lana confecta, in itinere frigoris et pluviae arcendae cauſſa adhibita, auctore Vlpiano l. 23. D. de aur. arg. legat. inter communia veſtimenta, quibus promiſcue utatur mulier cum viro, refertur, et reliquum pedem pertegit. Pagina 58. verba Ennii, *pellis inaurata*, Auct. occaſionem praebuere explicandae l. 14. D. de contrah. emt. *ſi inauratum aliquid ſit, licet ego aureum putem, valet venditio.* Inauratum illud nimirum non per aes auro obductum, aut per aurichalcum ex aere et auro compoſitum, et omnibus metallis pretioſius, explicandum cenſet; ſed potius vas aliquod ex aere Corinthio conflatum eſſe exiſtimat, quod, cum ipſi aurum argentumque ineſſet, et teſte Plin. H. N. XXXIV. 2. mixtura tum auri tum argenti praevaleret, et ars pretioſior eſſet, et ad infinitum operae pretia creſcerent, exquiſito pretio, et auro pretioſius vendebatur; et quanquam magna ex parte ex aere conſtabat, inter aenea tamen haud referebatur l. 100.

§. 3.

§. 3. D. de legat. III. neque, cur alias aes pro auro vendi poſſit, ulla ſubeſſe ratio videtur. Pagina 60. exſtat obſervatio ſuper vocabulo *animadvertere*, quod non ſolum regum, ſed etiam praetorum et ius dicentium verbum erat, qui ſeſe animadverſuros pollicebantur, l. 1. §. 1. D. de minor. et l. 28. D. de probat. quoniam vero eorum cognitio non ſolum in civilibus negotiis, ſed etiam in delictis et quaeſtionibus verſabatur, l. 15. §. 25. D. de iniur. etiam eorum animadverſio locum habebat, quae ſi facta erat, et reus criminis obnoxius eſſet, ſequebatur interdum poena capitalis, et ultimi ſupplicii, quod ipſum animadvertere dicitur l. 2. §. 30. D. de origin. iur. l. 13. D. de offic. praeſ. l. 4. §. ult. D. ad L. Corn. de Sicar. et animadverſorum corpora, l. 1. D. de cadav. punit., uti etiam qui gladii poenam ſubire debebant, proprie animadvertebantur l. 8. §. 11. D. de poen. Pagina 67. Cel. K. in dictione Ennii: *vitam evitari* legere mavult *evivari*, cum analogia haud repugnet, et in ipſis legibus, quemadmodum l. 25. §. 5. D. de libert. leg. et l. 30. pr. D. de adim. legat. verbum *advivere* occurrat; neque alius commodus ſenſus τῷ *evitari* adſit, niſi paulo durior, quo evitare quid pro effugere dicimus. At nos hic recte habere lectionem vulgatam, atque huic novae praeferendam eſſe, propterea quod Ennius, ob repetitionem vocum, quam vehementer amat, e vocabulo *vita* formatum illud *evitare*, eo ſenſu adhibuit, quo per perire, aut vita eripi, optime explicari poſſe videtur, exiſtimamus.

Atque hae ſunt obſervationes nonnullae, e quibus, uti opinamur, ſatis omnino adparet, multa in illis reperiri, quae et Ius Romanum mirifice illuſtrent, et ex ipſis Criticae ac Grammaticae accuratioris principiis petita ſunt. Non dubitamus itaque eventurum, ut oppido magnam

 gnam

Digitized by Google

gnam, hac Chreſtomathia, apud diligentes praeſertim iuris ſtudioſos, ineat gratiam K. ac propterea etiam doctiſſimum huius libelli Auctorem rogamus, ut eas quoque, quas in Lucilii Satyras, aliosque bonos Auctores veteres meditatur annotationes, ad hunc modum dare pergat.

NOVA LITTERARIA.

OMNIBVS,

QVI HAC AETATE IVRISPRVDENTIAM SVIS MERITIS ORNANT,

VIRIS

ILLVSTRIBVS, AMPLISSIMIS, CELEBERRIMIS,

S. P. D.

IOHANNES FRIDERIC. IVGLERVS,

MAGNAE BRITANNIAE REGI A CONSILIIS, ET ACAD. EQVESTRIS LVNEBVRG. INSPECTOR.

Abſolutis haud ita pridem laboribus litterariis, ad alios iam tranſii, dudum promiſſos. Strenue ſcilicet occupatus ſum in componendis de omnium ICtorum vita, ſcriptisque, ſi his quidem inclaruerint, Commentariis. Quod ego negotium ita pertracto, uti anno 1741. Epiſtola quadam ad Auguſtin. Leyſerum, typis impreſſa, ſignificavi. Praecipuae inſtituti leges hae ſunt:

1) Vitam cuiuslibet ICti adcurate depingam, ingenium ipſius indolemque, quantum licebit, explorabo,

bo, quaeque obſervavi, anecdota, interſeram. Si quis notari forte carbone mereatur, faciam id quidem duce veritate, at comite ſemper modeſtia, iudicioque peritiorum munitus.

2) Ad ſcripta pergam, et, quo prodierunt, ordine, ſingula conſtituam, plagulis etiam eorundem, ſi ante oculos verſentur, numeratis, quod commodum fore non paucis Lectorum exiſtimo. Nec obliviſcar editionum praeſtantiorum, et occaſionis, quae hunc, vel illum, ingenii foetum produxit.

3) Pervolutabo reipublicae litterariae Annales, et, ne ignoret Lector, ubi de ſcriptis nonnullis dictum ſit, copioſius ipſa diligenter loca memorabo.

4) Exponam breviter, quas unus alterve liber excitavit controverſias.

5) Mentio abs me fiet methodi atque opinionum, quas aliquis vel elegit primum ac divulgavit, vel cum paucis communes habet.

6) Iuſtis denique laudibus eos proſequar, qui in Iurisprudentiae partibus, fracta glacie, commodiorem poſteris viam aperuerunt.

In campo autem tam amplo, Veſtris, Viri celeberrimi, conſiliis ſymboliſque opus eſt mihi; qua de cauſa Vos omnes, ad quos hae Litterae pervenient, ea, qua fas eſt, obſervantia rogo, ut iuvetis conatum, quocunque id modo fieri queat, et non ſolum ipſi vitae Veſtrae, laudabiliter peractae, hiſtoriam, maxime ſi eadem vel nunquam, vel non adcurate ſatis, edita ſit, una cum ſcripto-

ſcriptorum indice perfecto, communicetis mecum, ſed ea quoque ſuppeditetis benevole, quae de fatis aliorum, laboribusque eruditis, in memoria haerent.

Grata ſemper mente agnoſcam Veſtram humanitatem, eo certius abs me exſpectandam, quo ardentiore Vos ſtudio efficere ſoletis, quicquid ad litteras amplificandas conducit.

Omnia vero, quae ad me transmittere volueritis, ſingulis nundinis vel Lipſienſibus, vel Brunſuicenſibus, Bibliopola noſtras, mercatoresve Luneburgici, haud inviti recipient, niſi alia forſitan occaſio ſeſe obtulerit.

Valete, Viri ornatiſſimi, resque Veſtras porro feliciter agite!

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLXIII.

Pars II.

LAMBERTI BOS, LINGV. GR. IN ACAD. Franequ. Prof. Ellipſes Graecae, ſive de vocibus, quae in Sermone graeco per ellipſin ſupprimuntur, cum doctorum virorum CHRIST. SCHOETTGENII, IO. GE. SAM. BERNHOLDII, IO. FRIDR. LEISNERI, Obſervationibus, quibus et ſuas adiecit M. NICOLAUS SCHWEBELIUS, P. P. et G. N. R. Societatum Academiae Imperialis Roboretanae et Electoralis Bavaricae Scientiarum Collega.

Norimbergae typis et ſumtibus Ad. Ionath. Felſekeri. 1763. 8. mai. 2. Alph. 2. pl.

Admodum laudabili conſilio collegerat Lambertus Bos ellipſes Graecae Linguae, quarum ignoratio tirones ſaepiſſime morari videbatur, virosque doctos adeo interdum ad falſas interpretationes deducere. Erat igitur eiusmodi libellus perquam utilis, qui admonitionem contineret, qua vel lectio ſcriptorum redderetur facilis, vel cautior hac ex parte interpretandi ratio commendaretur. Sed ultra hoc conſilium admonendi talis libellus vix pervenire poſſe videtur, nec aliquid abſoluti exſpectari: quod primum ob innumera ellipſium genera; deinde in tanta exemplorum

cuiusque generis multitudine infinitum foret. Sed quibûs nimis exiguus viſus eſt exemplorum a Boſio collectorum numerus, ii ſubinde plura adiunxerunt, quae omnia et in hac editione repetita ſunt. Eodem modo Cl. *Schwebelius* permulta ſuperioribus addenda putavit, quae inter legendum obſervaſſet. Cum autem ne ſic quidem res abſoluta ſit, (quis enim dubitet, multa praeterita eſſe?) quamquam Viro doctiſſimo non propoſitum fuit opus abſolvere, ſed hanc ob cauſam quaeri poterat, an tironum uſibus, et Virorum doctorum votis ſatis conſuleretur, ſi, quem librum vellent eſſe admonitionis loco, eum ſubinde auctiorem fieri viderent, et ad magnam molem excreſcere, quae facile a perlegendo deterreret, efficeretque praeterea, ut non nunquam inſpiceretur, nec totus redderetur animo familiaris. In quo quam multa pereant, ab editoribus magno ſtudio collecta, facile intelligi poteſt, cum nemo poſſit ubique divinare, ab hoc libro, hoc in loco, quem tractat, auxilium peti poſſe. Accedit et hoc, quod qui ſemel ſunt admoniti, forte ſponte ſua videre diſcunt, ſi quid deſit. Has obiectiones Cl. Schwebelius in praefatione aliqua ex parte removit, ac primo negavit, tirones aut ſuo ingenio omnia videre poſſe, aut, quae didicerint exemplo, ad ſingula loca ſuo indicio transferre: non ergo fruſtra ſuſcipi operam ab eo, qui augendis exemplis planius demonſtraret, quid, et quomodo agendum eſſet. Quod quamquam recte dicitur, tamen, num in omnia eius additamenta conveniat, dubitari poteſt: quaedam enim, praeſertim ſi quis latina exempla ſpectet, ſunt expoſita et aperta, ut in verbis ἄγγελος, θυγάτηρ, ὁδὸς, πράγματα (p. 288.), ῥῆμα, τίμημα, in quibus neminem tironum, modo ſemel monitus ſit, caecutire poſſe putamus. Deinde, quia eſt non numquam a viris doctisſimis ellipſium ignoratione peccatum, vel hoc nomine non putavit augendi libri conſilium abiiciendum eſſe, et adſpergenda quaedam aut rariora, aut parum cognita: cuius generis plura exempla nos reperiſſe fatemur. Sed de totius libri ratione, quatenus ingenio et doctrina Cl. Schwebelii

belii

belli ornatus eſt, pluribus dicemus. Itaque ante omnia, ſuperiorum editorum obſervationes auxit, addendis locis graecorum latinorumque ſcriptorum, praeſertim his, in quibus formula plene dicitur; in quo lectio Herodoti ei multum profuit, quem conſtat in illa ſimplicitate dicendi multa uſurpaſſe plene, quae ſunt a ſequentibus Scriptoribus brevius dicta. Non poſſumus exemplorum delectu uti, ponemus ergo quaedam, in quae incidimus. Verbum ἀγάλματος dixerant omiſſum eſſe poſt διοπετὲς: ſed docuit accuratius e Dion. Hal. (II. p. 130.), ὅπλον intelligi, ubi de ancili ſermo ſit. Vere negavit, αἰτίαν omitti (Exod. VIII. 22.) in his: ἐφ' ἧς — — — ἐπ' αὐτῆς; ſed eſſe hoc ſimile hebraico, quod occurrit innumeris locis, ut in Actis Apoſt. (XV, 17.). In qua forma etſi aliquam emphaſin eſſe putat, aut rei certitudinem: tamen nos nullam intelligere poſſumus acceſſoriam notionem, quae a contextu pendeat, aut quam ſuadeat addere ſenſus frigidus, ortus ex propria ſignificatione. Nam ſi quis hebraica bene graece aut latine exprimat, nec in verbis haereat, verus ſenſus carebit ellipſi. Locus enim Ciceronis (ad. D. XV. 2. *Parthos — eos eſſe facturos*) huc non pertinet. Verbum διδασκάλου monuit omiſſum eſſe, cum Philoſophi κατ' ἐξοχὴν dixerunt ἡμέτερος. Conferri poſſunt ὀμνύειν, λέγειν, χεὶρ, οἶνος, οἶκος, et alia. Sed praeterea per totum librum auxit numerum vocabulorum, quae omitti ſolent in libris graecis, a ſuperioribus autem editoribus neglecta erant, ut αὐχὴν, κλάδος, κύκλος, νὺξ, τάλαντα, τράχηλος, ποταμὸς, γινώσκειν, διδάσκειν, ἥκειν, κομίζειν, et innumera alia. Horum pleraque quamquam ipſe obſervavit, confirmat enim hic quoque liber, quod iam ex *Onoſandri* editione pulcerrima et diligentiſſima viri docti intellexerunt, Cl. Schwebelium in Scriptoribus graecis in primis verſatum eſſe, et exquiſita graecarum literarum ſcientia inſtructum: tamen multa hauſit ex obſervationibus veterum et recentiorum Grammaticorum praeſtantiſſimorum, quorum collectionem, magno cum ſtudio factam, lectores grata mente agnoſcent.

Multa enim in his reperient, quae ad illuſtrationem ſingulorum locorum Novi Teſtamenti, Homeri, Heſiodi, Theocriti, et Apollonii Rhodii pertinent, nec a tironibus, qui interpretum et Scholiaſtarum enarrationibus deſtituuntur, indagari poſſunt, aut facile intelligi; quae quia in indice reperiri poſſunt, multa exempla non poſuimus. Vide v. c. γάλα et θυρεός. Quaedam potuiſſent fortaſſe ad unum verbum referri, ne numerus nimis augeretur, et pertinent ad verbum βέλος, quae ſunt in οἰστός; ad βίος, quae ſunt in ζῆν; ad σκεπτέον, ὁρᾷν et φοβεῖσθαι, quae ſunt in δείδειν; ad ναῦς, quae ſunt in λιμήν. Nunc nonnulla, quae addidit, ſeparatim ponemus. Cum legitur ἐπιδρομὴ τειχίσματι (Thuc. IV, 23.), omiſſum putat γενομένη (in γενόμενος), et cum αὐτὸς opponitur ſervis, addi vult κύριος, quo modo etiam dicere poſſemus, intelligi *ſummum omnium* vel *principem*, cum *ipſe* dicitur, qui eſt ſine controverſia ſummus, (*Ovid*. Met. II. 390. Horat. C. I. 12. 17.), aut πολίτας, cum αὐτοὶ opponuntur urbi (Hom. Od. I. 39.), aut *ceteros, qui parent*, cum opponitur ἡγεμὼν (Ap. Rhod. I. 706. αὐτοί, et 704. ἔστις ἡγεμονεύει.) quamquam in his omnibus malumus dicere, verba, quae videantur omiſſa, magis interpretationem τοῦ αὐτὸς videri, quam ellipſin, nimis enim multae ellipſes eſſent ponendae. Docet, omitti verbum ζῶντες poſt ἔτι οὐκ εἰσί. Cum vero οὐκ εἶναι dicantur non ſolum qui mortui ſunt, ſed etiam quae nondum ſunt creata (Xen. Mem. II. 2. 3. et aliquoties in N. T. ubi etiam occurrit οὐ φαίνεσθαι, οὐ βλέπεσθαι), videtur in his τὸ εἶναι potius ſignificare, adeſſe, eſſe in rerum natura. Cum γηγενεῖς dicuntur, intelligi putat nonnumquam γίγαντας, et πίστιν, ubi in N. T. εὐαγγελίζεσθαι abſolute ponitur, καρδίαν poſt δάκνεσθαι, omiſſo etiam κατά, quod tamen ſponte intelligitur tranſlate dici, et ad animum referri: nec quisquam putet, ſi quem beſtia momordiſſe dicatur, intelligi per ellipſin *quoad corpus*, alioquin omnia verba, quae de corpore proprie, de animo tranſlate dicuntur, erunt per ellipſin interpretanda. Πλήρης inter ἀνὴρ μεγάλης ἀρετῆς inſerit; πο-

λεμοῦσα

λεμοῦσα poſt verbum δύναμις addit, cum in re militari δύναμιν ἐξάγειν dicitur, quia Onoſander addidit (c. 4.), δύναμιν autem interpretatur vim, i. e. multitudinem. Intelligit etiam προσηλύτους, cum in N. T. φοβούμενοι τὸν Θεὸν commemorantur. Sed dubitamus, an umquam plene dicatur προσήλυτοι φοβούμενοι τὸν Θεόν: ſed vel proſelyti appellantur, vel (ἄνδρες) φοβούμενοι τὸν Θεόν, quae ſunt ſynonyma, alterumque alterius interpretatio videtur. Ὁμονοίας vocabulum in numis omiſſum docet, cum genitivus populi ſolus ponitur, ut Ἀθηναίων, Μιλησίων, cet. Ad haec duo genera exemplorum omnia additamenta Cl. Schwebelii referri poſſunt: quae ſi non omnia diligentiſſime delecta ſunt, tamen e contrario multa exquiſitiora occurrunt, quae lectionem Scriptorum ſaepe iuvare posſint; et ſi qua in re nos ab ipſius ſententia diſcesſimus, non debebit in malam partem accipere, nec enim negamus nos errare potuiſſe, nec animo iniquo aut repugnandi cupido aliquid diximus. Cumulate ſatisfecit Vir Doctisſimus ſtudio literis inſerviendi, et potuit profecto in tanta doctrina ſatisfacere.

Nam ſi hic liber augendus fuit, debuit a Viro graece doctisſimo fieri, quam laudem neminem putamus Clar. Schwebelio denegaturum eſſe.

I. L. E. PÜTTMANNI, I. V. D. INTERPRETATIONUM et Obſervationum, quibus difficiliora quaedam Iuris Romani capita explicantur, illuſtrantur, et ab emendationibus vindicantur.

LIBER SINGULARIS.

Lipſiae apud Io. Chriſt. Langenhemium. 1763.

Cum ita comparata ſit Iuris Romani compages, ut, quod de nave atque muliere dixit Plautus, numquam ſatis ornetur, neque ulla eius ornandae ſatietas ſit, operam profecto haud ludunt, ſed laudem merentur maximam, qui

in excolenda, indiesque magis exornanda Iuris doctrina Romani, vires ingenii periclitantur, omnique cura ac ſtudio in id incumbunt, ut, quam Cuiacius, quique illum ſecuti ſunt viri doctisſimi, ex lateritia marmoream, imo auream reddiderunt, ſine labe tandem Romana appareat iurisprudentia. Hanc ſane viam, cum noſtra, tum patrum memoria, inierunt multi viri egregii, eaque ad maximam nominis gloriam pervenerunt. Quem enim latent ſumma, Noodtii, Bynckershoekii, Wielingii, Voordae, Rückeri, aliorum, in Iuris Romani doctrinam merita, quae nulla umquam temporis iniuria obliterabit? Accidit autem haud raro, ut, quae in commodum artis huius cedere debebat, in eius perniciem potius verterit criticorum atque interpretum diligentia, adeo, ut dubium et anceps Herm. Noordkerkio Obſ. Cap. I. viſum ſit, num critica, quae in emendandis veterum libris verſatur, quaque ſtatim a renatis litteris laboranti iurisprudentiae ſuccurrere voluerunt viri optimi, arti legitimae magis profuerit, quam obfuerit, cumque damnis, quae dedit, an commoda compenſari queant. Bene igitur habet, quod pruriginoſis illis correctoribus ſe oppoſuerit Interpretationum et Obſervationum, quae nobis iam prae manibus ſunt, Auctor doctisſimus, recte monens, eo rem rediiſſe nimia criticorum aut diligentia, aut audacia, ut medicis ſaepe adverſus ipſam medicinam hodie opus ſit, neque tam cum librariorum lapſibus, quam cum criticorum emendationibus conflictandum eſſe videatur. Non eget elegantiſſimus, et ab omnibus, qui guſtum harum rerum habent, maxima cum voluptate ſuſceptus hic liber, laudibus noſtris, ſed ipſe ſua ſe ſatis pulchritudine commendat. Nihil igitur ſupereſt, niſi ut, quid illo contineatur, lectoribus noſtris indicemus breviter, ſimulque ſpecimina quaedam interpretationum ingenioſiſſimarum adiiciamus. Summa autem capitum, quemadmodum doctiſſimus Auctor ipſe eam expreſſit, haec eſt. Cap. I. Sine mutatione explicata L. 31. §. 1. D. de adim. vel transfer. legat. Fabri Arnaldiique criſes reiectae.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II. Modeſtinus in l. 45. D. ad Sctum. Trebell. Stoae immerito ſuſpectus. Cap. III. A verbis §. 18. l. de excuſat: manus critica removetur. Cap. IV. Inſcriptio L. 3. D. de Iurisdict. a ſuſpicione mendi liberata. Cap. V. L. 20. D. de damn. inf. ſine correctione explicata. Cap. VI. Ne vis fiat l. 195. §. 2. D. de V. S. l. 63. §. 1. D. de condit. et demonſtr. l. 11. §. 10. D. de don. int. V. et V. Ulpian. Fragm. Tit. 24. §. VI. l. 4. C. de crim. exp. her. interdicitur. Cap. VII. Proba recta eſſe verba l. 33. §. 1. D. de donat. int. V. et V. l. 2. §. 8. D. Si quis caut. l. 2. D. famil. herciſc. et l. 5. §. 1. D. de reb. eor. qui ſub tut. Cap. VIII. Anianus defenſus. Emendatio Heraldi atque Reinoldi in l. 84. D. de iure dot. exploſa. Paulus a criſi Roeveri vindicatus. Nihil deeſſe in l. 25. D. pro ſocio. Cap. IX. Praetor caballorum praedo. Iuvenalis locus a Lipſii et Gronovii criſi vindicatus. Cap. X. Agnatorum appellatione interdum ſuos etiam comprehendi, contra Arnaldium adſeritur, ſimul recepta nonnullorum iuris capitum lectio a vi maiore defenditur. Cap. XI. Mendo vacare §. 2. l. de her. qual. et diff. Quid ſit in arena honorari apud Ulpianum? in l. 1. §. 6. D. de poſtul. Nihil novandum in Nov. XXII. cap. 43. Cap. XII. Paulus in l. 1. §. 5. D. ad Leg. Falc. et Sentent. l. IV. T. 3. §. 4. ſecum ipſo conciliatus. Schultingii ſententia contra Roeverum Conradiumque defenſa. Cap. XIII. Qui ſint ii, qui ob loci religionem inde ſe movere non poſſunt, apud Ulpianum in l. 2. D. de in ius voc. Cap. XIV. Paulo in l. 12. §. 3. D. de adminiſtr. et peric. tutor. lux, eiusdemque auctoritas vindicata. Cap. XV. Nihil monſtri continere, nec emendatione indigere verba §. fin. I. de Nupt. Cap. XVI. Nihil quidquam in l. 1. C. ne fil. pro patr. mutandum eſſe, contra Donellum atque Reinoldum oſtenditur. Cap. XVII. Io. Guil. Hoffmanni emendationes quaedam exploſae. Cap. XVIII. Sana eſſe verba Pauli in l. 30. D. pro Soc. et male a Iac. Voorda intrudi verbum *male*. Cap. XIX. Io. Guil. Hoffmanni explicatio l. 34. D. de LL. reprobatur, ſimulque cautiones quaedam, in legibus ope inſcri-

ptionum

ptionum interpretandis adhibendae, ſuppeditantur. Cap. XX. Lectio l. 6. C. de Pagan. a criſi B. H. Reinoldi defenſa. Cap. XXI. Adverſa fronte pugnare l. 68. §. 3. D. de leg. I. et l. 65. §. 2. D. de leg. II. neque viam conciliationis a Io. Conr. Rückero tentatam pugnae componendae ſufficere. Cap. XXII. Interpretatio l. ult. §. 2. de curat. fur. et prod. contra Iac. Voordam: Cap. XXIII. L. 21. §. 1. D. de furtis, et l. 3. pr. D. ad L. Fab. nulla emendatione egere, contra H. G. van Vryhoff, oſtenditur. Cap. XXIV. Defenſa recepta lectio l. 3. §. 2. D. de adqu. vel amitt. poſſ. et l. 17. pro D. de Uſur. Corn. van Bynckerſhoek emendationes repudiatae. Cap. XXV. Diſputatio cum H. G. van Vryhoff ſuper Pauli L. V. Sent. T. 23. §. ult. Cap. XXVI. Ad l. 8. D. de adopt. et l. 5. §. 4. D. de his qui eff. vel dei. ab Abr. Wielingio parum recte explicatas. Cap. XXVII. Legi 27. C. de Teſtam. lux. Ad revocandum teſtamentum ſufficere ſeptem teſtes, nec neceſſarium eſſe lapſum decennii, contra Heineccium et Cannegieterum defenditur. Cap. XXVIII. Ἓν διὰ δυοῖν in l. 1. §. 1. D. de bon. poſſ. ſec. tab. obſervatum. Nova ratione declarantur verba poſtrema l. 52. §. 2. D. pro Soc. A l. 32. §. 13. D. de recept. arb. manus critica removetur. Cap. XXIX. Reinoldi explicatio partis poſterioris l. 27. C. de inoff. teſt. repudiata, receptaque verborum *maximis beneficiis* ſententia defenſa. Cap. XXX. Condictioni ad ſupplementum legitimae haud quinquennio, ſed triginta demum annis praeſcribi, contra Iac. Voordam oſtenditur. Cap. XXXI. Querelam inofficioſi teſtamenti nec hodie ſemper meram eſſe ab inteſtato hereditatis petitionem, adverſus Petrum de Toullieu defenditur. Cap. XXXII. Poſt l. ult. C. de Compenſat. an admittatur compenſatio ſpeciei ad quantitatem, ſeu corporis cum pecunia? Scripturam l. ult. C. commodat. probam rectam videri. Cap. XXXIII. de luctu viduarum nonnulla. Aliter, ac a Bynkerſhoeckio, Rückero, atque Reinoldo factum eſt, explicantur L. I. et L. II. §. 2. et 4. D. de his, qui not. inf. Cap. XXXIV. Ceſſare Falcidiam, ſi quis, ius ignorans, legata integra

integra ſolvit, neque condictione indebiti quadrantem repeti poſſe, contra Guil. Ranchinum evincitur. Cap. XXXV; Iuſtinianus in §. 4. I. de publ. iud. a culpa ἀνιστοργησίας defenſus: L. 18. C. de transact. an interpolata? Cap. XXXVI. Nihil eſſe ab adultera Triboniani manu in l. 20. §. 6. D. de her. pet. et l. 13. pr. D. de iur. fiſc. contra Heineccium Bachiumque defenditur.

Neque vero, cum omnia capita bonae frugis pleniſſima ſint, nullumque in iis reperiatur, quod locum ſuum non tueatur optime: opus eſt, ut, quid prae ceteris ſit commendabile, et ſpeciminis loco memorari poſſit, ſeligamus. En enim, quam elegans ſtatim ab initio eſt interpretatio *L. 31. §. 1. D. de adim. vel transf. leg.* Cap. I. propoſita. *Matri ſuae*, ait Scaevola, *heredi ex parte inſtitutae, quatuor praedia legavit, et fidei eius commiſit, ut ex his ſocero duo reſtitueret: deinde codicillis ſocero ademit fideicommiſſum. Quaeſitum eſt, an nihilominus ex praelegatione ad matrem pertinerent; Reſpondi, nihil proponi, cur ad matrem pertinerent.* Emendant verba poſtrema Faber atque Greg. d'Arnaud; quorum ille legit *nihil proponi, cur ad matrem non pertinerent,* hic contra *nihil proponi, quin ad matrem pertinerent,* idque propterea, quod, licet ſublatum ſit fideicommiſſum, legatum tamen adhuc ſubſiſtat, et, niſi mater, a qua fidei commiſſum eſt, heredibus praeferatur, contra Senatus voluntatem fiat, qui cenſuit, in fideicommiſſis potiorem cauſam habere eum, cuius fides electa eſt. Solvit autem hunc nodum Auctor ope *l. 17. D. de leg. II.* ubi Marcellus: *Si quis Titio*, inquit, *decem legaverit, et rogaverit ut ea reſtituat Maevio: Maeviusque fuerit mortuus: Titii commodo cedit, non heredis; niſi duntaxat ut miniſtrum Titium elegit*: ut igitur cenſeat, Scaevolae eiusmodi ſpeciem propoſitam fuiſſe, ubi quis matri, heredi ex parte inſtitutae, quatuor praedia legando, fideique eius committendo, ut ex his ſocero duo reſtitueret, quod ad haec duo praedia attinet, matrem duntaxat ut miniſtram elegerat, eoque voluntatem ſuam, ne illa ex praelegatione apud matrem remanerent, haud obſcure decla-

R

declaraverat. Atque profecto ita comparata eſt haec explicatio, ut nemo, niſi contradicendi libidine maxima teneatur, illi adſenſum ſuum ſit denegaturus.

Elegantiſſima porro, neque vulgaria ſunt, quae Cap. II. de Stoica veterum ICtorum Philoſophia diſputantur. Recte enim cenſet Auctor, caute admodum in hoc argumento verſari nos oportere, nec omnia, quae Stoicis etiam quondam placuiſſe legimus, ideo ſtatim Stoica inter δόγματα referenda eſſe. Eleganter huc refert illud Senecae: *Huiusmodi voces non eſt quod huius vel illius eſſe iudices: publicae ſunt*, idque exemplo Modeſtini in *l. 45. D. ad SCtum Trebell.* ab Henr. Brenckmanno in ſuſpicionem Philoſophiae Stoicorum, mendacia nonnunquam commendantium, nullo ſuo merito adducti, illuſtrat.

Cap. IV. vindicatur lectio Florentina *l. 3. D. de iurisd.* ubi memoratur Ulpiani liber ſecundus de Off. Quaeſt. et in quam criſin ſuam exercuerunt multi, propterea quod cum in inſcriptione *l. un. D. de Off. Quaeſt.* legatur *Ulpiani Liber ſingularis de Off. Quaeſt.* tum in indice Florentino, inter τὰ μονόβιβλα Ulpiani, liber eius de Off. Quaeſt. referatur. Docet autem V. C. optime haec ſimul ſtare poſſe, neque ideo alterutram inſcriptionem falſi poſtulandam eſſe: ſcripſiſſe autem Ulpianum de Officio Quaeſtoris non librum tantum ſingularem, ſed libros etiam duos, illum citari in inſcriptione *l. un. D. de off. Quaeſt.* et in indice Florentino, horum ſecundum in *l. 3. D. de iurisdict.* idque Ulpianum feciſſe exemplo aliorum ICtorum bene multorum, qui eandem materiam non libro tantum ſingulari, ſed mox etiam latius pluribus libris pertractarint.

Cap. IX. diſquiritur, cur Praetor apud Iuvenalem Sat. II. v. 193. caballorum praedo vocetur, ſimulque emendatio Gronovii, loco *praedo* legentis *praeda*, refellitur. Coniicit autem Auctor ingenioſiſſimus, Poetae ſermonem eſſe de cenſu aut transvectione equitum, notaque cenſoria, qua equitibus, quibus probri aliquid aut ignominiae ineſſet, interdum equus publicus adimebatur. Eamque coniecturam

tam

Digitized by Google

tam vero ſimilem reddidit, ut, etſi nobis olim aliud placuerit, non potuerimus tamen, quantumvis etiam vellemus, ipſi calculum noſtrum denegare.

Per porro nobis placuit cap. XIX. in quo utiliſſimae quaedam cautiones, in legibus, ope inſcriptionum interpretandis, adhibendae, ſuppeditantur: cap. item XXV. ubi contra H. G. van Vryhoff oſtenditur, id, quod Paulus *L. V. Sent. T. 23. §. ult.* ſcribit: *Si ex eo medicamine, quod ad ſalutem hominis, vel ad remedium datum erat, homo perierit, is, qui dederit, ſi honeſtior fuerit, in inſulam deportatur, humilior autem capite punitur*, de omnibus medicis, nec de iis tantum, qui magicum remedium dederint, intelligendum eſſe.

Cap. XXVIII. cum multa lectu dignisſima, tum novam continet interpretationem verborum poſtremorum *L. 52. §. 2. D. pro Soc. pretium enim operae artis eſt velamentum*, quae omnes fere interpretes cum maxime offenderunt.

Ea autem ſimplicisſima ratione ita explicat V. C. ac ſi, Celſus ſcripſiſſet: *pretium enim* (ſcilicet rei, quam alter confert Socius) *operae artisve velamentum* (ſeu penſatio) *eſt:* quam declarationem utique omnibus aliorum coniecturis et hariolationibus praeferendam putamus.

Neque vero haec tantum nobis placuerunt, ſed arriſerunt et perplacuerunt omnia, placebunt etiam, ni fallimur, qui de his rebus iudicare poſſunt, facile omnibus. Non enim ad ſcribendum ſe dedit Auctor doctisſimus, niſi omnibus iis inſtructus ſubſidiis, quae quidem ad leges Romanas recte atque ex arte interpretandas neceſſaria ſunt; neque adeo fieri poteſt, quin, cum hanc viam, quae ad perfecti laudem ICti fere unica eſt, elegerit tam feliciter, locus ipſi inter ICtos ſolidos et elegantiores, conſenſu peritorum aequorumque lectorum omnium, concedatur.

KALENDARIA ECCLESIAE UNIVERSAE, in quibus tum ex vetuſtis marmoribus, tum ex Codici-

bus, tabulis, parietinis, pictis, ſcriptis, ſcalptisve Sanctorum nomina, imagines, et feſti per annum dies Eccleſiarum Orientis et Occidentis, praemiſſis uniuscuiusque Eccleſiae originibus, recenſentur, deſcribuntur, notisque illuſtrantur, ſtudio et opera IOSEPHI SIMONII ASSEMANNI, Bibliothecae Vaticanae Praefecti, et Sacroſanctae Baſilicae Principis Apoſtolorum de urbe Canonici. TOMUS TERTIUS. Kalendaria Eccleſiae Slavicae, ſive Graeco-Moſchae.

Romae. 1755. Sumtibus Fauſti Amidei, Bibliopolae in Via Curſus. Alph. 2. plagg. 10. in 4.

Quem hic praeclari Libri cenſum agimus, eius oeconomiam primis duobus Tomis recenſendis, iam declaravimus. *Tomi Tertii*, qui, nunc eſt in manibus, haec eſt ratio. *Prima Pars* exponit de Sanctis *Cyrillo* et *Methodio*, Slavorum Apoſtolis, deque Chazaris, Bulgaris, et Moravis, ad Chriſti fidem converſis.

Caput I. De Sanctis Cyrillo ac Methodio, Chazarorum, Bulgarorum, et Moravorum Apoſtolis. I. *S.* Cyrillus, qui et Conſtantinus Philoſophus, reprehendit Photium, duas animas in quovis homine conſtituentem. II. Quo tempore S. Cyrillus id colloquium cum Photio habuerit: et quando in Chazariam miſſus ſit, et a quo? et an in Ruſſiam? III. Nomen, patria, parentes *S.* Cyrilli ſeu Conſtantini Philoſophi. IV. Acta *S. S.* Cyrilli ac Methodii, edita, et manu exarata. Utraque eorum vita ab Henſchenio evulgata expenditur. Item quae de iis Andreas Dandulus et Stredowskius ſcribunt. *V. S.* Cyrilli ad Chazaros evangelica expeditio. An etiam Methodio fratre comite? Definitur eius expeditionis tempus et occaſio. VI. Situs Chazariae. Sermo Chazarorum a Slavico diverſus. VII. Bulgaris primum, deinde Moravis, Cyrillus ac Methodius evangelicam doctrinam tradunt. VIII. Mittitur Cyrillus

cum

Digitized by Google

cum Methodio in Moraviam. Uterque Romam evocatur a S. Nicolao Papa, eoque mortuo, ab Hadriano II. honorifice excipiuntur. IX. Quomodo Bogoris, Bulgarorum Rex, ad Chriſti fidem converſus ſit, nomenque Michaelis acceperit? ex Graecis Scriptoribus Porphyrogenito, Cedreno, Curopalata, et Zonara: et quo anno? ex Baronio, Henſchenio, et aliis. X. Quid de eiusdem Bulgarorum Regis converſione alii Graeci Scriptores tradant? Leo nempe Grammaticus, Simeon Logotheta, Georgius Monachus, et Nicetas in Vita S. Ignatii. XI. Refertur Pagii ſententia, qui aſſerit, Bulgaros anno 861. Chriſtianam fidem accepiſſe. XII. Oſtenditur, Bulgarorum Regem ad Chriſti fidem converſum fuiſſe aut anno 865. exeunte, aut ineunte 866. XIII. Triplex Bulgarorum ad Chriſti fidem converſio.

Caput II. Moraviae ſitus, et Moravorum initia, et prima eorum ad Chriſti fidem converſio ſub Wrolpho Lauriacenſi Archiep. Inſtituti eorundem ab eodem duo Epiſcopatus. Duces eorum, Moymarus et Privvina. Moymari ſucceſſores Raſtices et Sventoplucus, Privvina, Hezilo, et Braslavus. Hiſtoria converſionis Bajoariorum et Carantanorum. Confinii et Carinthiae Duces. S. Cyrilli dignitas, et dies emortualis. Bajoariorum Praeſulum querelae adverſus Moravos. Latino, non graeco ritu, Methodius Slavicam linguam in Sacris celebrandis apud Moravos induxit. I. Moraviae ſitus. II. Moravorum origines a Cureo et Dubravio traditae expenduntur. III. Prima Moravorum mentio circa annum 825. Vrolphus Archiepiſc. Lauriacenſis erigit in Moravia duo Epiſcopatus. Moymarus et Privina, Moravorum Duces. Hunnorum Abrahamus Canzauchi, Liudevitus, et Tutundus: duo etiam Epiſcopatus in Avaria ab eodem Vrolpho inſtituti. Eugenii II. Papae Epiſtola. IV. Hiſtoria de converſione Bajoariorum et Carantanorum: ubi de Praeſulibus Iuvavienſibus, et Slavorum, deque ducibus Moravorum Moymaro et Privvina. V. Animadverſiones in Auctorem converſionis Bajoariorum et Caranta-

Digitized by Google

rantanorum, et in Hanſizium ipſius illuſtratorem, qui Slavos Carantanos cum Slavis Winidis ſeu Transalbianis confundunt. VI. Slavorum Winidorum reges, a Carantanis ducibus diverſi. VII. Hunnis eiectis Slavi Pannoniam inhabitant. VIII. Slavi Carinthiae Duces. Confinii Comites. Moravorum Duces. IX. Moymarus et Privvina, duces Moravorum. Moravi Latinis Iuvavienſibus ſubiecti usque ad tempora Methodii. X. Auctor narrationis de Converſione Bajoariorum et Carantanorum anno 871. ſcribebat. XI. Quo ſenſu dicantur Hunni a Carolo Magno e Pannonia eiecti? nimirum ſubiugati, non deleti. XII. Iuvavienſes Archiepiſcopi, et Moravorum Epiſcopi, Hunnis Dux Tutundus, et Moraviae Moymarus. Duces Confinii et Carinthiae. XIII. Ratimarus Dalmatiae et Croatiae Rex. XIV. Tempora Regum Dalmatiae et Croatiae, quorum Catalogum Diocleates, Marulus, Orbinus, et Cangius texunt, non eſſe recte diſpoſita. XV. Privvina, Hezilo, et Braslavus, Pannoniae inferioris inter Dravum et Savum, Moravorum Duces. XVI. Raſtices, alias Ratislaus et Raſtislavus, Moraviae Rex, poſt Moymarum, diverſus a Svatopluco, ſeu Sventibaldo, ipſius nempe nepote. Ad Chriſti fidem converſus (ut aiunt) a S. S. Cyrillo et Methodio. XVII. Tam Raſtices Moraviae Rex, quam Viztrachus Bohemiae Dux, et Sclavitagus eius filius, et Tabamuizil Abotritorum; Dalmatae quoque, Sorabi, Sluſi, et Winidi, a Ludovico rege Germaniae deficiunt, et ab eodem ſubiugantur. Raſtices dolo Svatopluchi ſeu Sventibaldi nepotis, comprehenſus, Ludovico traditus, et ab eodem excaecatus, atque in Monaſterium anno 870. detruſus eſt. XVIII. Quid de Raſticis ſeu Ratislai Moraviae Regis obitu ſentiendum? Quid de eius pietate? XIX. An S. Cyrillus fuerit Epiſcopus? XX. De die emortuali S. Cyrilli. XXI. Quonam anno Moravi a S. S. Cyrillo et Methodio ad Chriſti fidem converſi? ſeu doctrinis evangelicis imbuti? Quando Methodius apud Moravos uſum linguae Slavicae in ſacris celebrandis invexit? XXII. Binae litterae: aliae Moguntini Archipraeſulis, aliae Salis-

Salisburgenſis ſuorumque Suffraganeorum, ad Ioan. IX. Papam, adverſus Moravos eorumque Praeſules. XXIII. Slavicam quidem linguam in Sacris celebrandis prae latina induxit Methodius; non tamen graecum ritum, aut Graecos Epiſcopos et Clericos. Ante Methodii tempora iam Moravos Chriſtiana Sacra excepiſſe, conſtat tum ex Annalibus Francorum, tum ex Epiſtolis Bavariae Praeſulum, tum demum ex vita S. S. Cyrilli et Methodii.

Caput III. De Moraviae Epiſcopis et Archiepiſcopis. Refertur ac refellitur Catalogus Graecus Archiepiſcoporum Moraviae et Bulgariae. Item Catalogus Epiſcoporum Olomucenſium. I. S. S. Cyrillus et Methodius a Nicolao Pp. Romam evocati, ad reddendam rationem praedicationis Evangelicae. Ab Hadriano Papa honorifice excepti. Ab eodem Methodius conſecratus Epiſcopus, in Moraviam remittitur. III. Apud Io. VIII. Papam accuſatur Methodius Epiſcopus Moravorum, quod aliter doceret, ac Romae profeſſus fuerat. Romam anno 879. evocatur, vetaturque Slavicum ſermonem in Sacris adhibere. Binae hac de re Ioannis Epiſtolae. III. Pagii hallucinatio circa Weleradienſem Archiepiſcopatum, a S. Cyrillo, ut putat, erectum. Ioannes Papa Sergium Slavum, a Georgio Pſeudoepiſcopo ordinatum Belogradenſem Epiſcopum, deponit. IV. De Agathone Moravorum, Gabriele Achridae, et Simeone Debelti Epiſcopis, a Photio in ſua Pſeudoſynodo anni 879. commemoratis. Deque Sylveſtro, qui a Quieno dicitur Bulgaris per Hadrianum Papam conſecratus Epiſcopus. V. Agathon, non Theophylactus, a S. Ignatio ad Bulgaros miſſus primus Epiſcopus. VI. Gregorius, non Gabriel, poſt Agathonem, Epiſcopus a Graecis ſummiſſus Bulgariam curabat. VII. Catalogus Archiepiſcoporum Bulgariae, a Graeco Schiſmatico Auctore concinnatus, apud Cangium et Quienum. VIII. Methodius in numero Archiepiſcoporum Bulgariae perperam collocatur. Item Gorasdus ab ipſo Methodio ordinatus, non recte dicitur. IX. Poſt Agathonem, primus Bulgarorum Epiſcopus Graecus ſchiſmaticus

ticus Gorasdus, qui et Georgius. Secundus Clemens: tum reliqui in Catalogo enumerati. Quandonam Autocephalia Epiſcopis Bulgarorum conceſſa? X. Quid de Gorasdo et Clemente, Bulgariae Epiſcopis, Auctor ſchiſmaticus in vita ipſius Clementis effutiat? XI. Svatoplucus Moraviae Rex a Methodio primum excommunicatus, deinde abſolutus. Methodius a Io. VIII. Papa Archiepiſcopus Moraviae creatur, eique Wichinus Epiſcopus ſubiicitur: facultas inſuper conceditur, Slavico ſermone in ſacris celebrandis utendi. Ioannis Papae hac de re litterae. XII. Ex Ioannis Papae Epiſtolis convincitur mendacii Auctor graecus Vitae Clementis, Epiſcopi Bulgariae, qui Methodium ad Graecorum Schiſma pertrahere, et Latinos erroris arguere ſatagit. XIII. Bulgariae Reges a Graecis ad Roman. Eccleſiam confugiunt. Eorum ſeries. De Clemente, Damiano, Davide, et aliis Bulgarorum Epiſcopis. XIV. Methodius in Moraviam reverſus, quendam ſibi adverſantem offendit Epiſcopum an. 881. XV. Quisnam ille Epiſcopus, Methodii adverſarius? et quam ob cauſſam? XVI. Wichinus, Nitrenſis Epiſcopus, Arnulphi Imperatoris et Regis Germaniae Cancellarius, et mox Patavienſis Epiſcopus ineunte an. 897. XVI. Wichingus anno 900. Patavienſem Eccleſiam deſerere compulſus, ad Nitrienſem rediit, aut alibi in Moravia ſedit. XVIII. Ioannes Moravorum Archiepiſcopus poſt Methodium, eiusque Suffraganei, Benedictus, Daniel, et Vichingus. XIX. Expenditur Catalogus Olomucenſium Antiſtitum: ubi enumerantur 1. Cyrillus. 2. Methodius. 3. Ioannes. 4. Silveſter. 5. Ioannes alter, ſub Severo Pragae Epiſcopo ordinatus. XX. Demonſtratur, Moraviae Archiepiſcopos fuiſſe 1. Cyrillum. 2. Ioannem. 3. Silveſtrum; idque ab anno 880. usque ad annum 935.

Pars ſecunda agit de Slavis Borealibus, Moravis, Bohemis: deque Nortmannis, Hungaris, Patzinacitis, Chazaris, Bulgaris, et Ruſſis.

Caput

Caput I. Moravorum, Slavorum Borealium, et Nortmannorum res geſtae ab anno Chriſti 876. usque ad annum 888. ſub filiis Ludovici Germaniae Regis. I. Deiecto Raſtislao Moraviae Rege, Svendibuldus eius nepos a Ludovico Germaniae Rege ſubſtituitur. Ludovico defuncto, filii eius Carolomannus, Ludovicus, et Carolus, paternum regnum inter ſe partiuntur. II. Methodius Moravenſis ſeu Pannonienſis Antiſtes, apud Io. VIII. Papam delatus, quod errores doceret, et quod Slavica lingua in re divina uteretur, ita ſe Pontifici purgavit, ut is, approbata eius innocentia, uſu quoque linguae Slavicae indulto, Archiepiſcopum illum conſtituerit, Moravia et Pannonia a Sede Patavienſi exemtis. III. Io. VIII. Papae epiſtolae de Archiepiſcopatu Methodii, deque indulto Slavicae linguae in re divina uſu. IV. Refellitur eorum error, qui Slavicae linguae in rebus divinis uſum, ab Hadriano Papa conceſſum, deinde a Io. VIII. primum vetitum, mox permiſſum ſcribunt. V. An ſeptem Epiſcopi ſub Archiepiſcopo Moravienſi? VI. Slavi Linones et Siusli a Ludovico Germaniae Rege ſubacti. Caroli Calvi Imperatoris mors. Conventio inter Ludovicum Balbum, Caroli Calvi filium, et inter Ludovicum, Ludovici Senioris Germaniae Regis filium. VII. Nortmanni apud Carbonariam a Ludovico Rege caeduntur. In Saxonia vero ſuperiores exiſtentes, occidunt duos Epiſcopos, XII. Comites, et XVIII. ſatellites regios, exceptis plurimis in captivitatem abductis. VIII. Slavi Dalmatii, Behemi, et Sorabi, in Thuringiam invadentes, a Poppone Comite proſternuntur. Carolomannus moritur. Ludovicus eius frater, Arnulfo, Carolomanni filio, Carinthiam concedit. IX. Carolus Ludovici frater, Imperator coronatur. Nortmanni, incenſo Niumago Palatio, recedunt. Altera Nortmannorum graſſatio, ſub Regibus Godefrido et Sigifrido, qua Leodium, Traiectum, Colonia, Brunna, aliaeque urbes incendio ſunt vaſtatae. Vala Metenſis Epiſc. occiſus. Ludovicus Germaniae Rex moritur. Carolus Imp. probroſam pacem cum Nortmannis facit, ea conditione, ut Go-

 defri-

defridus Rex Chriſtianorum ſe fieri polliceretur, eique Friſia provincia concederetur, et Gisla Lotharii filia in uxorem daretur. X. Nortmannorum incurſiones in Regnum Lotharii. Eleemoſynae ab Aelredo Rege in Indiam miſſae. XI. Exorti in Pannonia tumultus, ob praefecturam Limitis Arboni conceſſam. Sventibaldus Moraviae Rex Pannoniam triennio diripit. Caroli Regis interventu, pax inter Arnulfum Regem et Sventibaldum fit. Pannonia Transdanubiana Sventibaldo conceſſa. Braslavus inter Dravum et Savum Dux. XII. Henricus Comes, et Arno Epiſcopus, Nortmannos fugant. Gotefridus Nortmannorum Rex, infidelitatis correptus, occiditur. Gisla eius uxor ad Imp. transmittitur. Hugo, Gislae frater, tanquam conſpirationis Gotifredi fautor, excaecatur. XIII. Nortmanni Pariſios obſident. Henricus Comes in bello cadit. Carolus Imp. conceſſa Sigifrido Nortmannorum Regi pecunia, eum recedere facit. Reverſus Sigifridus, in Friſia interficitur. Carolo e Regno deiecto, Arnulfus in Regni ſolio ponitur. XIV. Expenditur aſſerta ab Helmoldo annorum ſeptuaginta Nortmannicae perſecutionis Epocha.

Caput II. Prima Hungarorum in Pannoniam irruptio. Hungari, Turci, Cabari, Chazari, Uzi, et Patzinacitae ex Conſtantino Porphyrogenito. Bellum Hungaricum cum Bulgaris. Thuroczii circa Hungaros allucinationes. I. Francicum Regnum in plura diviſum, poſt obitum Caroli, filii Ludovici Senioris Germaniae regis. Arnulfus Germaniae Rex. II. Hungarorum primus in Pannoniam adventus. Scythiae deſcriptio ex Annaliſta Metenſi. III. Hungarorum prima ſedes, et migrationes diverſae. IV. Conſtantini Porphyrogeniti Textus de Hungaris, aliisque populis, profertur et exponitur. Ac primum de Patzinacitis, Chazaris, et Uzis. V. De Hungaris ſeu Turcis et Cabaris et Sabiris. VI. Hungari 889. in Pannoniam invadunt. VII. Quid Byzantini ſcriptores narrent, de pugna Graecorum cum Simeone Bulgarorum Rege, deque Ungaris ſemel iterumque adverſus Bulgaros confligentibus. VIII. Relata primum a Graecis

ope

ope Hungarorum de Bulgaris victoria. Mox conſilio Michaelis Bogoris olim Bulgarorum Regis, poſt triduanum ieiunium, reſumtis armis, Bulgari Graecos profligant, et Hungaros imparatos invadunt caeduntque. IX. Fabuloſae Thuroczii de Hungaris narrationes.

Caput III. Svatoplucus Moraviae Rex, Ducatu Bohemiae ab Arnulfo Germaniae Rege auctus, in eum rebellat. Ab eodem Arnulfo bello petitur, ſuperatur, et anno 894. moritur, relictis filiis, Regni Moraviae haeredibus, Moymiro et Svatopluco. I. Svatoplucus Moraviae Rex filium Arnulphi, ex ſacro fonte levatum, Svatoplucum ſeu Zventibaldum appellat, et ab Arnulpho Ducatum Bohemiae accipit. II. Exponitur cauſſa, cur Arnulphus Svatopluco Moraviae Regi Ducatum Bohemiae tradiderit. Per eam occaſionem Borivoius, Bohemiae Dux, Chriſtianam fidem amplectitur. III. Pax ab Arnulpho cum Moravis renovata. Primum bellum Nortmannicum ad Guliam Fl. Alterum ad Thiliam ſeu Clylas. IV. Arnulphus, Germaniae Rex, armis adverſus Svatoplucum Moraviae Regem et Bohemiae Ducem ſumtis, auxiliantibus ſibi tum Hungaris, tum Braslavone Slavoniae Duce, tum etiam Simeone, Bulgarorum Rege, Moravia vaſtata, Svatoplucum in ordinem redigit. Bellum contra Slavos Obotritos geſtum, in quo Arn Epiſcopus occumbit. Aetas Reginonis Abbatis Prumienſis. Ludovicus filius Arnulpho naſcitur. Arnulphus in Italiam evocatur. V. Epocha belli Moravici. Fabuloſa Thuroczii narratio de Hungaris in Moraviam intrantibus ſub Svatopluco. VI. Arnulphi Regis geſta in Italia et in Gallia. VII. Svatoplucus Moraviae Rex anno 894. moritur, relicto filiis Moymaro et Svatopluco Regno. Hungari poſt eius mortem in Pannoniam invadunt. VIII. Fabulae Neotericorum ſcriptorum de obitu Svatopluci, Moraviae Regis, referuntur ac refelluntur.

Caput IV. Arnulfus Germaniae Rex a Formoſo Papa coronatur Imperator. Pax a Graecis cum Hungaris inita. Bulgari Hungaros profligant. Pannonia Braslavoni Duci

tuenda committitur ab Arnulfo. Moravi et Sorabi legatos ad Arnulfum mittunt. Duces Bohemiae petunt opem ab Arnulfo adverſus Moravos. Diſſidio inter Moymirum et Svatoplucum Moraviae Principes orto, Moymirus Svatoplucum e Moravia pellit. Geſta Zventibaldi filii Arnulfi. Arnulfus Imp. moritur. I. Zventibaldus Arnulfi filius Regno Lotharii praeficitur. Arnulfus Imperator a Formoſo Papa coronatur. II. Pacem Graeci cum Hungaris faciunt. Bulgari victoriam referunt. Pannonia Braslavoni Duci, tum adverſus Hungaros, tum adverſus Moravos, tuenda ab Arnulfo committitur. III. Moravorum et Soraborum legati pro pace cuſtodienda Arnulfum accedunt. Duces Bohemorum ſuffragium Arnulfi petunt contra inimicos Moravos. IV. Diſſidium ortum inter fratres Moymirum et Svatoplucum, Moraviae principes. Moymirus Moraviam retinet, pulſo fratre, quem ex ergaſtulo Arnulfus Imp. eripit. Arbo Bajoariae Comes: Liutboldus Auſtriae. Braslavo Dux Slavoniae. V. Wichinus Patavienſem Epiſcopatum arripit, a quo deiicitur. VI. Zventibolchi, filii Arnulfi, geſta. Arnulfus Imperator moritur.

Caput V. Moravi pacem cum Ludovico Rege Arnulfi filio firmant. Antiſtitum Noricorum querelae de Archiepiſcopo et Epiſcopis, a Io. IX. Papa in Patavienſi Dioeceſi inſtitutis. Quid Pontifices Benedictus VII. Leo VII. et Agapitus II. de Dioeceſibus Pannoniae Orientalis et Occidentalis conſtituerint. Archiepiſcopatus et Epiſcopatus Moravorum a Io. VIII. inſtituti. Hungarica irruptio in Italiam, Baioariam, Pannoniam, Moraviam, et Carinthiam. I. Baioarii et Bohemi in Moraviam invadunt. Moravi pacem cum Ludovico Rege firmant. Hungarica clades poſt obitum Arnulfi Imperatoris. II. Hungaricae cladis Epocha, iuxta diverſos Scriptores. III. Antiſtitum Noricorum querelae, quod Io. IX. Papa unum Archiepiſcopum et duos Epiſcopos in Dioeceſi Patavienſi ordinaſſet, et quod Wichingus Nitrienſis Epiſcopus ad Patavienſem Eccleſiam eſſet evectus. IV. Poſt Hungaricam incurſionem, Archiepiſco-

Digitized by Google

epiſcopus et Epiſcopi a Io. IX. in Moravia inſtituti, ſuperſtites fuere. V. Hungaricae cladis Epocha diverſimode a diverſis traditur. VI. Pagii et Mutii verba de clade Hungarica. VII. Multiplex Hungarorum incurſio. VIII. Moraviae Archiepiſcopatus et Epiſcopatus ſub Ioann. VIII. et IX. IX. Benedictus VII. Leo VII. et Agapitus II. Orientalem Pannoniam Patavienſi, Occidentalem Salisburgenſi aſſignant. X. Expenditur Antiſtitum Noricorum ad Io. IX. Papam epiſtola, qua contendunt, Moravenſem Eccleſiam Patavienſi fuiſſe ſubiectam. XI. Dubravii circa Hungarorum irruptionem allucinationes. XII. Thuroczii ſphalmata circa Hungaricam hiſtoriam recenſentur, ac refelluntur. XIII. Hanſizii narratio de Hungarorum irruptionibus probatur. XIV. Moraviae Regnum poſt cladem Hungaricam incolume.

Caput VI. Bulgarorum Reges, Simeon et Petrus: Germanorum Conradus et Henricus Auceps. Hungari factam cum Henrico ad novennium pacem rumpunt, et ab eodem profligantur. Idem Henricus Bohemos, Slavos, Abotritos, et Nortmannos ſubigit. I. Commiſſum ab Hungaris cum Graecis et Bulgaris praelium. II. Simeon Bulgarorum Rex Conſtantinopolim obſidet, et pace facta recedit. III. Commiſſa a Simeone Bulgarorum Rege cum Graecis ad Acheloum pugna. IV. Res Conſtantinopolitanae ſub initia Imperatorum, Romani Senioris, et Conſtantini Porphyrogeniti. V. Aliud Bulgarorum ſub Simeone adverſus Graecos praelium: et pax demum ſancita. VI. Simeonis infelix cum Chrobatis praelium. Ei mortuo ſuccedit filius Petrus, Bulgarorum Rex, qui contractis cum Maria Chriſtophori Caeſaris filia nuptiis, foedus cum Romano Seniore et Conſtantino Porphyrogenito firmat. VII. Series Bulgarici belli, et reliqua ad Simeonem eiusque filios ſpectantia. VIII. Hungarorum irruptiones poſt Conradi Germaniae Regis obitum. Seditiones in Bajoaria et Germania. IX. Henricus Auceps, Germaniae Rex pacem cum Hungaris ad novennium facit. Eos poſt novennium in ditionem Germanicam irrumpentes profligat. X. Henrici

 rici

Digitized by Google

rici Aucupis praelia cum Hungaris, Bohemis, Dalmatis, Slavis, Abotritis, et Danis. XI. Bohemicum bellum ſub Henrico Aucupe, Germaniae Rege. Bohemiae ſtatus poſt Borivoium Ducem. XII. Bellum Henrici Aucupis cum Slavis Obotritis et Danis. Slavorum Borealium gentes diverſae. XIII. Bohemi Sorabi, et ceteri Slavi ac Dani, ab Henrico devicti, ita ut tributum ei et Chriſtianitatem promitterent. Wormone Danorum Rege extincto, Haroldus filius Chriſtianam religionem in Regno ſuo praedicari permittit, eamque, opera Archiepiſcopi Vnni una cum aliis amplectitur. Ex Helmoldo.

Caput VII. Ioannis et Michaelis conſpiratio, a fratre eorum Petro, Bulgarorum Rege, compreſſa. Nicephorus Phocas Ruſſos in Petrum concitat: Sphendoſthlabus, Ruſſorum Dux, victis Bulgaris, Myſiam occupat. Ioannes Zimiſces Imperator, Nicephori Succeſſor, Ruſſis deletis, Myſiam recuperat, Bulgaros ſubiicit. Hos rebellantes Baſilius Imp. domat, et Bulgariam Byzantino adiicit Imperio, Chrobatos in fidem recipit. I. Petrus Bulgarorum Princeps foedus cum Nicephoro Phoca Imp. init. Conſpirationem fratrum Ioannis et Michaelis comprimit. Filii eius, Boriſes, Romanus, ac Simeon. Regnum Bulgaricum invaſum a Davide, Moſe, Aarone, et Samuele. II. Nicephorus Phocas Ruſſos in Petrum Bulgarorum Regem concitat, eo quod iuſſus Hungarorum incurſiones cohibere renuiſſet. III. Ioannes Zimiſces, Nicephori Phocae ſucceſſor, Sphendoſthlabum Ruſſorum Ducem bello petivit, quod ereptam Bulgaris Myſiam ſibi retinuiſſet, non Graecis dediſſet. IV. Ruſſici belli continuatio. V. Ruſſicum bellum a Io. Zimiſce Imp. adverſus Sphendoſthlabum ſuſceptum, relataque ab eodem Zimiſce de Ruſſis victoria, ex hiſtoricis Byzantinis deſcribitur. VI. Statuitur Epocha Ruſſici belli. VII. Bulgarici tumultus poſt obitum Io. Zimiſcae Imp. Baſilius Porphyrogenitus Imp. Bulgaris devictis, Bulgariam Byzantino adiicit Imperio. VIII. Bulgaricum bellum anno 976. inceptum, et anno 1019. terminatum. Scleri rebel-

Digitized by Google

Digitized by Google

rebellio: Vladimirus Ruſſorum Dux ſuppetias Imp. Baſilio adverſus rebelles mittit. IX. Baſilius Imp. adverſus Samuelem Bulgarorum Regem expeditionem ſuſcipit. Iberiam et Phoenicen peragrat. Principi Venetiarum nuptum tradit filiam Argyri, ſororem Romani, qui poſt imperavit. X. Bulgarica trans Haemum loca a Baſilii Ducibus capta. Saraceni in Coeleſyriam irrumpentes compreſſi. XI. Caſtra Samuelis Bulgarorum Regis direpta. XII. Samuele mortuo, Bulgaris imperat Gabriel Romanus. XIII. Gabriele Romano occiſo, Bulgarorum Rex fit Ioannes Bladiſthlabus. XIV. Chazaria et Aſpracania Baſilio Imp. deduntur. Patzinaci in auxilium Bulgarorum adſciſcuntur. Ruſſi pro Graecis militant. X.. Io. Bladiſthlabus Rex Bulgarorum caeditur. Bulgari Baſilio Imp. ſe ſuaque caſtra dedunt. David Bulgariae Archiep. et Maria Ioannis Regis vidua, cum filiis, aliisque Optimatibus, honorifice excipiuntur. Baſilius triumphans Byzantium ingreditur. XVI. Subacta Bulgaria, etiam Chrobatorum Principes, fratres duo, Baſilio Imperatori ſe dedunt.

I. H. LAMBERT DE ICHNOGRAPHICA campi vel regionis delineatione independenter ab omni baſi perficienda, Schediaſma.

§. I.

Plurima in re ichnographica occurrunt Problemata, quae absque calculo literali omnem fere ſolutionem reſpuunt, atque proin, niſi calculus iſte in ſubſidium vocetur, omni uſu carent. Conſtat vero ex ipſa huius Calculi hiſtoria, eum hactenus potiſſimum ad res mechanicas atque aſtronomicas fuiſſe adplicatum, haud ſecus certe ac ſi praxis geometriae ſolis agrimenſoribus eſſet relinquenda. At vero non deſunt rationes, quae aliud ſuadent. Sive enim ſpectes problematum elegantiam; ſive ſolutionis difficultatem, quae alioquin maximum eſſe ſolet geometris incitamentum;

mentum; ſive denique illum uſum, qui vel in caſibus deſperatiſſimis, omnemque praxin tritam reſpuentibus, geometram non deſerat: quidquid inquam horum ſpectes, ſiſtet tibi geometriae praxis campum ampliſſimum, in quo vires ingenii exerceas. Huius rei in praeſentiarum unicum dabo exemplum, ex quo haud difficulter patebit, plurima iſtius generis adhuc ſupereſſe, parum adhuc, vel plane non ventilata.

§. II. Quo vero problema longe univerſaliſſimum, cuius ſolutionem hic dare conſtitui, ita proponatur, ut eius difficultas, una cum maxima eaque univerſaliſſima utilitate in oculos incurrat, ſequentem in modum iſtud proponere lubet. *Navis iuxta littora ita provehitur, ut ipſa littora, promontoria, aedes, turres, aliaque obiecta, navigantium oculis continuo obverſentur: quaeritur, qua ratione Geometra in navi conſtitutus, ſoloque menſulae vel inſtrumenti goniometrici uſu, obiecta iſta obſervare debeat, ut non modo ipſa obiecta, verum et ipſius navis iter ichnographice delineari poſſit.* Per ſe iam patet, hoc problema, in delineandis regionibus atque provinciis ſimul adhiberi poſſe, atque ampliſſimum eſſe eius uſum.

§. III. At vero adeo difficilis eſt huius problematis ſolutio, ut primo quidem intuitu videatur eſſe vel impoſſibile, vel indeterminatum. Ubivis enim in mari vel lacu eligas ſtationem, ex qua angulos metiri poſſis, quos obiecta in littore poſita ibi efficiunt: attamen unica ſtatio rem plane non abſolvit, alteram vero ſtationem eligere etſi velis, ſignum tamen infigere, niſi aliam navem adhibeas, non datur, unde nec angulos iſtos metiri licet, quos in utraque ſtatione obiecta cum linea ſtationis vel baſi conficiunt. Quare cum quaevis ſtatio ita ſit ſpectanda, ut a reliquis plane ſit independens: patet, augendum eſſe ſtationum numerum, quo in pluribus locis eorundem obiectorum angulos metiri queas. At vero haud ita facile praevideri poteſt, annon, etſi infinitae adhibeantur ſtationes, problema nihilo minus ita ſit indeterminatum, ut ſpe tua excidas. Hoc certe fieri obſervavi, ſimulac obiecta ſunt in eadem recta. Caſum

Digitized by Google

ſum enim hunc, utpote faciliorem, prius perluſtravi, quia univerſalis problematis iſtius ſolutio diutiſſime me ita vexavit, ut omne oleum omnemque operam plane reputarem amiſſam. Re tamen iteratis vicibus tentata, inveni tandem, quatuor ſtationes ſufficere, ſimulque requiri quatuor obiecta, quorum ſingula ſint in quatuor iſtis ſtationibus viſibilia, haud tamen in eadem recta ſita.

§. IV. Sint ergo quatuor obiecta A, B, C, D, quatuorque ſtationes E, F, G, H, atque pro quavis ſtatione dentur tres iſti anguli, quos obiecta ibi conficiunt, qualesque v. gr. in prima ſtatione E ſunt anguli AEB, BEC, CED. Quaeritur iam ſitus punctorum A, B, C, D, E, F, G, H. Solutio problematis erit ſequens. TAB. I. Fig. I.

§. V. Ne ſingulae quatuor ſtationes ſimul computum ingrediantur, ſint quatuor obiecta A, B, C, D, ſtatio quaelibet E. Recta BC ſtatuatur ceu baſis, atque efferatur per unitatem. Porro per terna puncta ABC, et BCD agantur duo circuli, atque ducantur rectae AC, BD, ac, ab, δβ, δγ. Quo facto per proprietatem circuli notiſſimam dabuntur quatuor analogiae ſequentes. Fig. II.

$$Ea : ab = EB : BA$$
$$Ea : ac = EC : CA$$
$$E\delta : \delta\gamma = EC : CD$$
$$E\delta : \delta\beta = EB : BD$$

Unde dabitur

$$Ea = \frac{ab \,.\, EB}{AB} = \frac{ac \,.\, EC}{AC}$$
$$E\delta = \frac{\delta\gamma \,.\, EC}{CD} = \frac{\delta\beta \,.\, EB}{BD}$$

Hinc porro

$$\frac{EB}{CE} = \frac{ac \,.\, AB}{ab \,.\, AC} = \frac{\delta\gamma \,.\, BD}{\delta\beta \,.\, CD}$$

§. VI. Vocentur iam anguli

$$AEB = f \quad ABF = \omega \quad DCG = \phi$$
$$BEC = g \quad ACB = \nu \quad DBM = \mu$$
$$CED = h$$

eritque

$$AB : AC = \text{ſin}\ \nu : \text{ſin}\ \omega$$
$$ac : ab = \text{ſin}\ (\omega - f - g) : \text{ſin}\ (\nu - f)$$
$$BD : CD = \text{ſin}\ \phi : \text{ſin}\ \mu$$
$$\delta\gamma : \delta\beta = \text{ſin}\ (\mu - h) : \text{ſin}\ (\phi - h - g)$$

Quibus valoribus in ultima aequatione §. V. ſubſtitutis prodit aequatio

$$\frac{\text{ſin}\ \nu . \text{ſin}\ (\omega - f - g)}{\text{ſ}\ (\nu - f) . \text{ſin}\ \omega} = \frac{\text{ſin}\ \phi . \text{ſin}\ (\mu - h)}{\text{ſin}\ (\phi - h - g)\ \text{ſin}\ \mu}$$

quae per notiſſimas functionum circularium reſolutiones mutatur in ſequentem

$$\frac{\text{coſ}\ (f-g) - \text{ſin}\ (f-g)\ \text{cot}\ \omega}{\text{coſ}\ f - \text{ſin}\ f.\ \text{cot}.\ \nu} = \frac{\text{coſ}\ h - \text{ſin}\ h.\ \text{cot}\ \mu}{\text{coſ}(h-g) - \text{ſin}\ (h+g)\ \text{cot}\ \phi}$$

§. VII. Dicatur iam, demiſſis perpendicularibus

$$BC = 1 \quad AF = P \quad DG = R$$
$$FB = Q \quad CG = S$$

atque patet fore

$$\text{cot}\ \omega = Q : P \qquad \text{cot}\ \phi = S : R$$
$$\text{cot}\ \nu = (Q+1) : P \qquad \text{cot}\ \mu = (S+1) : R.$$

Quibus valoribus in ultima aequatione §. praecedentis ſubſtitutis erit

$$\frac{P. \text{coſ}\ (f+g) - Q\ \text{ſin}\ (f+g}{P. \text{coſ}\ f - (Q+1)\ \text{ſin}\ f} = \frac{R. \text{coſ}\ h - (S+1). \text{ſin}\ h}{R. \text{coſ}(h+g) - S. \text{ſin}(h+g)}$$

§. VIII. Haec aequatio reſolvitur in ſequentem

$$\begin{aligned} 0 = &+ QS. \text{ſ}(f+g). \text{ſ}(g+h) &&- QR\ \text{ſ}(f+g)\ \text{coſ}(g+h) &&- PS\ \text{coſ}(f+g)\ \text{ſ}(g+h) \\ &- QS. \text{ſ} f. \text{ſ} h &&+ QR\ \text{ſ} f.\ \text{coſ}\ h &&+ PS\ \text{coſ}\ f.\ \text{ſ}\ h \\ &- Q\ \text{ſ} f.\ \text{ſ} h &&- S\ \text{ſ} f.\ \text{ſ} h &&+ P\ \text{coſ}.\ f.\ \text{ſ}\ h \\ & &&- \text{ſ} f.\ \text{ſ} h && \end{aligned}$$

+PR.

$$+PR.\,\text{coſ}\,(f+g)\,\text{ſ}\,(g+h)$$
$$-PR.\,\text{coſ}\,f.\,\text{ſ}\,h$$
$$+\;R\;\;\text{ſ}\,h.\,\text{coſ}\,h.$$

Quae haud difficulter contrahitur in ſequentem

$$o=(QS-PR)\,\text{ſing.}\,\text{ſ}\,(f+g+h)-(PS+QR)\,\text{ſ}\,g.\,\text{coſ}\,(f+g+h)$$
$$+R\,\text{ſ}f.\,\text{coſ}\,h+P\,\text{coſ}.f.\,\text{ſin}\,h-(Q+S+1)\,\text{ſ}f.\,\text{ſ}\,h.$$

§. IX. Hanc aequationem cum quatuor ingrediantur incognitae P, Q, R, S, patet quatuor requiri ſtationes, quo determinari poſſint. Facilius vero abſolvitur computus, ſi primo quaerantur valores

$$R : P$$
$$(Q+S+1) : P.$$
$$(PS+QR) : P.$$
$$(QS-PR) : P.$$

Quippe his inventis haud difficulter reperiuntur P, Q, R, S. Quod quomodo fieri poſſit, iam exemplo docebimus. Sint quatuor obiecta A, B, C, D, ſtationes vero E, F, G, H, quarum poſitionem data opera ſecus ac in ſecunda figura ſumimus, quo intelligi poſſit, qua ratione anguli pro vario earum ſitu ſint ſumendi. Sit ergo pro ſtatione

I^ma	II^da
f = AEB = +22° : 30′	AFB = +63° : 48′
g = BEC = +60 : 44	BFC = +107 : 38
h = CED = −18 : 40	CFD = −42 : 20
f+g+h = AED = +64 : 34	AFD = +129 : 6

III^a	IV^a
AGB = +66° : 20′	AHB = +31° : 30′
BGC = +205 : 58	BHC = +277 : 52
CGD = −70 : 38	CHD = −32 : 56
AGD = +201 : 40	AHD = +275 : 26.

Quoniam itaque (§. 8.)

$$Q+S+1=P.\frac{\text{coſ}f.\,\text{ſ}h}{\text{ſ}f.\,\text{ſ}h}+R.\frac{\text{ſ}f.\,\text{coſ}h}{\text{ſ}f.\,\text{ſ}h}-(PS+QR)\frac{\text{ſ}g.\,\text{coſ}(f+g+h)}{\text{ſ}f.\,\text{ſ}h}$$
$$+(QS-PR)\frac{\text{ſ}g.\,\text{ſ}(f+g+h)}{\text{ſ}f.\,\text{ſ}h}$$

ſub-

Digitized by Google

ſubſtitutis valoribus habebitur pro ſingulis quatuor ſtationibus

$Q+S+1=2{,}4142\,P-2{,}9600\,R+3{,}0587\,(PS+QR)-6{,}4320\,(QS-RP)$
$\ldots\ldots=0{,}4921\,.-1{,}0977\,.-0{,}9947\ldots\ldots-1{,}2240\ldots\ldots$
$\ldots\ldots=0{,}4383\,.-0{,}3515\,.+0{,}4709\ldots\ldots-0{,}1871\ldots\ldots$
$\ldots\ldots=1{,}6318\,.-1{,}5438\,-0{,}3907\ldots\ldots-3{,}4653\ldots\ldots$

Quibus aequationibus a prima ſubtractis remanet

$0=1{,}9221\,P-1{,}8623\,R+4{,}0534\,(PS+QR)-5{,}2080\,(QS-RP)$
$0=1{,}9759\,.-2{,}6085\,.\,.+2{,}5878\ldots\ldots-6{,}2449\ldots\ldots$
$0=0{,}7824\,.-1{,}4162\,.\,.+3{,}4494\ldots\ldots-2{,}9667\ldots\ldots$

Quodſi porro ſinguli coefficientes per ultimos dividantur, prodit

$0=0{,}3691\,P-0{,}3576\,R+0{,}7783\,(PS+QR)-(QS-RP)$
$0=0{,}3164\,P-0{,}4177\,.+0{,}4144\ldots\ldots-\ldots\ldots$
$0=0{,}2637\,P-0{,}4774\,.+1{,}1627\ldots\ldots-\ldots\ldots$

Subtrahatur utraque poſterior a prima, remanet

$0=0{,}0527\,P+0{,}0601\,R+0{,}3639\,(PS+QR)$
$0=0{,}1054\,.+0{,}1198\,.-0{,}3844\ldots\ldots$

Unde diviſione inſtituta fit

$0=0{,}1448\,P+0{,}1652\,R+(PS+QR)$
$0=0{,}2742\,.+0{,}3117\,.-\ldots\ldots$

Quibus aequationibus additis prodit

$0=0{,}4190\,P+0{,}4769\,R.$

Adeoque gradatim regrediendo

1°. $R=-0{,}8786\,.P$
2°. $PS+QR=-0{,}0003\,.P$
3°. $QS-RP=+0{,}6831\,.P$
4°. $Q+S+1=+0{,}6202\,.P.$

Hinc iam porro

5°. $S-0{,}8786\,Q=-0{,}0003$ (N°. 1, 2.)
6°. $S+\quad Q=-1\quad+0{,}6202\,P$ (N°. 4.)
7°. $1{,}8786\,Q=-0{,}9997+0{,}6202\,P$ (N°. 5. 6.)

8°. Q

8°. $Q = -0,5321 + 0,3301\,P$ (N°. 7.)
9°. $S = -0,4679 + 0,2901\,P$ (N°. 6. 8.)
10°. $QS = 0,2490 - 0,3088\,P + 0,0957\,PP.$ (N°. 8. 9.)
11°. $QS = + 0,6831\,P - 0,8786\,PP.$ (N°. 1. 3.)
12°. $0 = + 0,2490 - 0,9919\,P + 0,9743\,PP$ (N°. 10. 11.)
13° $P^2 - 1,0181\,P = - 0,2555.$ (N°. 12.)

Hinc tandem uterque valor ipſius P

$$P = +0,5690.$$
$$P = +0,4490.$$

Ex his valoribus primum retinebimus, quippe cui figura tertia reſpondet. Erit ergo hoc valore ſucceſſive ſubſtituto

$$P = +0,5690.$$
$$R = -0,4998.$$
$$Q = -0,3543.$$
$$S = -0,3028.$$

Valores Q, S ſunt negativi, quia perpendiculum ex obiectis A, D cadit intra loca vel obiecta B, C. Atque valor R negativus eſt, quia obiectum D eſt ſupra rectam B C.

§. X. Reſumamus iam aequationes

$$R = -0,8786.\,P$$
$$PS + QR = -0,0003.\,P$$
$$QS - PP = +0,6831.\,P$$
$$Q + S + 1 = +0,6202.\,P$$

Atque facile patet, quatuor hos coefficientes a ſtationibus E, F, G, H non pendere, verum eosdem prodire, quaecunque fuerint iſtae ſtationes. Etenim hae aequationes ſimpliciter definiunt ſitum quatuor obiectorum A, B, C, D, ad rectam B C relatum.

§. XI. Quoniam vero his aequationibus reſolutis duplex prodit valor literarum P, Q, R, S, patet, retenta recta BC, duplicem pro utroque obiecto A, D reperiri ſitum, atque vi §. praecedentis, utrumque eſſe a ſtationibus independentem. Facile vero oſtendi poteſt, utrumque ſitum

 utrius-

Fig. II. utriusque obiecti A, D eſſe in eadem recta AD, et quidem in punctis iſtis A, M, D, N, ubi recta AD utrumque circulum ABC, BCD ſecat.

§. XII. Etenim primo notabimus, angulum AKB eſſe talem, ut ſit

$$\text{tang. } AKB = \frac{AF - DG}{FG} = \frac{P - R}{Q + S + 1}$$

Qui valor vi §. X. eſt conſtans.

§. XIII. Porro eſt

$$(AF - DG) : AF = FG : FK$$

unde

$$FK = \frac{P(Q+S+1)}{P-R}$$

Hinc

$$BK = \frac{P(Q+S+1)}{P-R} - Q = \frac{QR + PS + P}{P - R}$$

Qui valor vi §. X. itidem eſt conſtans. Unde patet, rectam AD pro utroque valore P, Q, R, S manere eandem.

§. XIV. Porro, quoniam R eſt in ratione conſtanti ipſius P (§. X.) patet debere eſſe

$$KN : KD = KM : KA$$

adeoque

$$KD \,.\, KM = KA \,.\, KN$$

§. XV. Porro eſt

$$\text{ſin}(\phi + \omega) = \frac{PS + QR}{AB}$$

$$\text{coſin}(\phi + \omega) = \frac{QS - PR}{AB}$$

unde

$$\text{tang}(\phi + \omega) = \frac{PS + QR}{QS + PR}$$

Quae quantitas cum itidem ſit conſtans (§. X.), patet, ſummam

mam angulorum $\varphi+\omega$ eſſe conſtantem, ſive eandem pro utroque literarum P, Q, R, S valore.

§. XVI. Quoniam vero arbitrarium eſt, utrum recta BC vel AD, vel AB, vel BD, vel AC, vel denique DC, pro baſi calculi aſſumatur; facile patet, alios prodire valores literarum P, R, Q, S, ſimulac ex his lineis rectis aliam aſſumas, ad quam referantur. Hac vero ratione datis quatuor obiectis dabuntur inſuper 12. alia puncta, quorum bina pro binis obiectis ſubſtitui poſſunt. Niſi ergo recte inſtituatur problematis ſolutio, nihil facilius eſt, quam ad aequationem octavi vel ſedecimi gradus delabi, quae quidem ſingula iſta 16. puncta exhibebit. Contra ea difficilius ea eligentur, quae in caſu quodam propoſito vere obtinent, quippe 12. excludi debent, cum tantum quatuor obiecta ſint quaerenda, ea nempe, quae reapſe obſervata ſunt. Ea vero ſolutione, quam hic exhibuimus, res omnis ad aequationem quadraticam reducitur, atque radix ea, quae in caſu quovis propoſito obtinet, haud difficulter ab altera dignoſcitur, quippe plerumque haec non angulos in calculo adhibitos, verum eorum complementa ad 180. gr. ſupponit. Poteſt quoque quintum quoddam obiectum in ſubſidium vocari.

§. XVII. Invento vero ſitu obiectorum A, B, C, D, determinandus inſuper eſt ſitus ſtationum E, F, G, H. Problema hoc pro quavis ſtatione peculiariter ſolvitur, atque trium obiectorum A, B, C ſitus ſufficit. Quem in finem ponatur angulus $ECA=\Upsilon$. eritque

$$BE : BC = \text{ſin}(\Upsilon+\nu) : \text{ſin}\, g$$

$$BE : AB = \text{ſin}(\Upsilon+\nu+f+g-\omega) : \text{ſin}\, f.$$

adeoque

$$BE = \frac{BC.\,\text{ſin}(\Upsilon+\nu).}{\text{ſin}\, g} = \frac{AB.\,\text{ſin}(\Upsilon+\nu+f+g-\omega)}{\text{ſin}\, f}$$

Unde porro

$$\frac{BC}{\text{ſin}\, g} : \frac{AB}{\text{ſin}\, f} = \text{ſin}(\Upsilon+\nu+f=g-\omega) : \text{ſin}(\Upsilon+\nu)$$

Quare

Digitized by Google

Quare componendo

$$\left(\frac{BC}{\sin g}+\frac{AB}{\sin f}\right):\left(\frac{BC}{\sin g}-\frac{AB}{\sin f}\right)=\frac{\sin(\Upsilon+\nu+f+g-\omega)+\sin(\Upsilon+\nu)}{\sin(\Upsilon+\nu+f+g-\omega)-\sin(\Upsilon+\nu)}$$

$$=\frac{\tang(2\Upsilon+2\nu+f+g-\omega):2}{\tang(f+g-\omega):2}$$

Hinc

$$\tang\left(\frac{2\Upsilon+2\nu+f+g-\omega}{2}\right)=\frac{\tang\left(\frac{f+g-\omega}{2}\right)\cdot\left(\frac{BC}{\sin g}+\frac{AB}{\sin f}\right)}{BC:\sin g-AB:\sin f}$$

Hoc ergo modo facile dabitur angulus ECA, quo dato reliqua haud difficulter innoteſcunt, ita ut his hic immorari diutius plane ſit ſuperfluum.

§. XVIII. Problema hactenus ſolutum cum ſit univerſaliſſimum, haud inutile erit ſi caſus quosdam ſpeciales exponamus, qui ſub eo continentur. Quem in finem reſumemus aequationem §. VIII.

$$o=(QS-PR)\sin g.\sin(f+g+h)-(PS+QR)\sin g.\cos(f+g+h)$$
$$+R\sin f.\cos h+P\cos f.\sin h-(Q+S+1)\sin f.\sin h.$$

§. XIX. Diximus iam ſupra, problematis ſolutionem evadere irritam, ſimulac ſingula quatuor obiecta ſint in eadem recta. Hoc iam facile oſtendetur. Etenim hoc caſu eſt $P=R=o$, unde erit

$$o=QS.\sin g\sin(f+g+h)-(Q+S+1)\sin f.\sin h,$$

adeoque

$$\frac{Q.S}{Q+S+1}=\frac{\sin f.\sin h}{\sin g.\sin(f+g+h)}=\text{conſt.}$$

Unde nihil ſequitur, niſi theorema mere trigonometricum, dari nempe inter angulos f, g, h, relationem quandam univerſalem, ſimulac loca A, B, C, D, ſint in eadem recta.

§. XX. Ponamus obiectum D eſſe infinite remotum, aequatio generalis abibit in ſequentem

o=

Digitized by Google

$$o = (Q . \cot\phi - P) ſg . ſ(f+g+h) - (P . \cot\phi + Q) ſg . coſ(f+g+h) + ſf . coſ h - ſf . ſh . \cot\phi .$$

Quam aequationem cum tres incognitae Q, P, cot ϕ ingrediantur, patet, tres requiri ſtationes. Caſus hic obtinet ſi loco obiecti D adhibeas ſolem, ſtellas, polum etc. atque ultimo hoc caſu recta ED erit linea meridiana.

§. XXI. Quodſi rectae AB, DC ad BC ſint normales, erit $Q = S = o$, adeoque aequatio generalis abibit in hanc $o = -PR . ſg . ſ(f+g+h) + R ſf . coſ h + P coſ f . ſh - ſf . ſh$. Duabus itaque opus erit ſtationibus, atque unica opus erit, ſimul ac fuerit $P = R$. Quo caſu quadrilaterum A B C D eſt rectangulum, cuiusmodi ſunt aedes, horti, agri quamplurimi, quorum ergo ſitus et figura unica ſtatione determinatur.

§. XXII. Quodſi tria obiecta ſint in eadem recta, v. gr. B, C, D, erit $R = o$, adeoque

$$o = QS\, ſg . ſ(f+h+g) - PS\, ſg . ſ(f+g+h) + P\, coſ f . ſh - (Q+S+1)\, ſf . ſh .$$

Tribus ergo opus erit ſtationibus, quae ad duas reducuntur, ſimul ac recta AB ſit ad BC normalis. Quo caſu ob $Q = R = o$, erit

$$o = - PS\, ſg . ſ(f+g+h) + P\, coſ f . ſh - (S+1)\, ſf . ſh .$$

Caſus hic datur ubi duas tantum vides aedium facies.

§. XXIII. Quodſi dentur anguli, ſub quibus latera AB, CD, AD ad rectam BC inclinantur, ut ſit $AKB = \lambda$, erit

$$P = Q . \tang \omega$$
$$R = S \tang \phi$$
$$Qt\omega - St\phi = (Q+S+1)\, t\lambda$$

unde

$$Q = \frac{S(t\phi + t\lambda) + t\lambda}{t\omega - t\lambda}$$

$$P = \frac{S(t\phi + t\lambda) + t\lambda}{1 - t\lambda . \cot\omega}$$

Quare his valoribus ſubſtitutis, aequatio univerſalis abit in quadraticam, quam nonniſi S ingreditur, ut adeo figura quadrilateri A B C D hoc caſu unica ſtatione determinetur.

§. XXIV. Quodſi recta AD ad BC ſit normalis, erit Q+S+1 =o, adeoque cum detur Q per S, erit

o=—(SS+S+PR) ſ g ſ (g+h+f) —(PS+RS+R) ſ g. coſ (f+g+h) +R ſ f. coſ h+P. coſ f. ſin h.

Ut adeo tribus opus ſit ſtationibus, quo figura et ſitus, obiectorum et ſtationum determinari poſſit.

§. XXV. Hactenus dicta ſpeciminis loco hic proponere lubuit, anſam forſan Geometris daturus, problema hactenus ſolutum, variasque eius ſolutiones curatius perluſtrandi. Reliqua, quae ſeſe mihi in rimanda geometriae praxi, obtulerunt problemata, una cum praeſenti in ſyſtema redigere, atque germanica lingua orbi erudito offerre conſtitui, quod una cum aliis diſſertationibus, ad amplificandum matheſeos uſum quicquam facientibus, proximis Nundinis Lipſienſibus in lucem prodibit publicam. Dignum interea videbatur hoc, quod hiſce pagellis evolvi, problema, quod peculiariter proponeretur. Solutionem dedi mere algebraicam. Quodſi tamen ingenii vires quis exercere cupiat, id agat, ut elegantem et concinnam ſiſtat huius problematis conſtructionem, atque videat, an ope interſectionis circuli et rectae, vel duorum circulorum, eam abſolvere poſſit?

Johann David Michaelis, Fragen.

i. e.

IOH. DAV. MICHAELIS, REGI MAGNAE BRITtanniae et Elect. Hannov. a Conſiliis Profeſſ. Philoſ. et Directoris Soc. Scient. Quaeſtiones Societati doctorum Virorum in Arabiam iter parantium propoſitae.

Francofurti ad Moenum, pag. 390. octonis.

Praeter Praefationem a doctiſſimo Auctore libello praemiſſam, addita eſt inſtructio Regis, ſive potius deſcriptio pro-

provinciae, quae proficiſcentibus iuſſu regis mandata eſt, ut ſcirent quid cuique agendum, et in quas res mens attentioque dirigenda ſit. Prima igitur quaeſtio pertinet ad mare rubrum, et ad סוף Hebr. quod iſti mari nomen dediſſe videtur. Conquiſitores ſignis *Suph* et *Sari* Nili definitis, docere debent qui venerit, res natura adeo diverſas, eodem nomine eſſe appellatas. Tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum ratio definienda eſt, utrum ſecundum leges naturales, an potius per naturam iſtius maris, eius alveus ita ſiccari potuerit, ut Iſraelitae vado illud tranſire potuerint. Sequitur longa atque docta diſputatio de lepra, qua Moſes non ſolum homines, ſed etiam veſtes, domosque improborum, et temere contra leges a ſe latas facientium, correptum iri minatur. In meridionalibus quibusdam partibus Franco-Galliae lepram hereditate propagari, docent *Medical obſervations by a Society of Phyſicians at London* tom. I. haec igitur, et quae Moſes de tremendo iſto morbo habet, a peregrinatoribus, comparatione in Arabia facta, accuratius confirmabuntur. Panis hordeaceus cum ſaepius in Scriptura S. commemoretur, neque noſtrum hordeum eius naturae ſit, ut libenter et commode panis ex eo coctus comedatur; videtur alia in Palaeſtina eiusque vicinis regionibus hordei ratio fuiſſe, ad quod confirmandum, animadvertendum an Arabes vicinaeque gentes etiamnum pane hordeaceo utantur, et cuius ille ſit ſaporis. De olei vi ſanandi ad loca Marci VI, 13. et Iac. V, 14. multae ad eorum explodendam vanitatem, qui unctionem ultimam excogitarunt, et qui inprimis a *Dallaeo* libro peculiari male mulctati ſunt, peregrinatoribus quaeſtiones proponuntur, quae ubi, ut probabile eſt, ſolutae fuerint, magna harum rerum ſtudioſi voluptate afficientur. Magnam adhuc difficultatem interpretationi quorundam locorum V. et N. T. natura cicadarum attulit, cui nulla ratione me-

Digitized by Google

deri poſſumus, niſi definiatur, quae figura et ratio ſit iſtorum animalculorum. Diverſa cicadarum nomina, quae *Michaelis* V. I. affert (ארבה כלעם חרגל et הגב) docent non unius generis fuiſſe. Maxima autem difficultas huc redit, ut cum Lev. XI, 22. et Matth. III, 4. cicadae in eduliorum genere referantur, demonſtretur, cicadas Orientis edules fuiſſe: nam quas nos quidem novimus nimis ſunt macilentae, ita ut alimenti loco vix eſſe poſſint. Mirum igitur non eſt, ſi locus Matth. III, 4. a doctis viris diverſimode tentatus eſt, in quorum numero eſt inprimis Magnus Weſſelingius in Probab. 33. *Heſychius* habet hanc gloſſam ἄχερον· ποῖον, in quo loco ποῖον eſt eximium, praeſtans. Sed Weſſelingius potius legendum exiſtimat ἄκρις· πόα, putatque gloſſam ad illum locum Matth. pertinere: quae ſane ratio eſſet valde expedita, ſi contextus atque Syrus interpres addicerent. Graec. quidem atque Lat. duas tantummodo ſpecies habent iſtius animalculi *locuſtas*, et *cicadas*: Graeci ἀκρίδας et τέττιγας, quas vulgo μυσικάς appellitare ſolent. Sed haec duo vocabula, ut fit in ſermone populari, promiſcue dicuntur, et ſi loco Matth. l. ἀκρίδες non *cicadas*, ſed *locuſtas* reddideris, explicatio niſi bona, certe tolerabilis erit, quia locuſtas carnoſiores fuiſſe conſtat. Nam *Ruſſelius* quidem, cuius *Natural Hiſtory of Aleppo* laudatur, illud diſcrimen non obſervaſſe videtur: v. Ludolph. Comment. Hiſt. Aethiop. et *Stollbergii Diſſertat. de habitu et cultu Ioh.* Quantam igitur Michaelis V. III. gratiam a doctis viris inibit, ſi peregrinatores reduces non ſolum quae ſint cicadarum genera docere, ſed oſtendere etiam poterunt, eas eiusmodi in his regionibus eſſe naturae ut ſine ſanitatis detrimento edi poſſint. Subiicitur huic quaeſtioni locus Coh. XII, 5. ubi quaeritur, an cicuda ſymbolum ſenectutis decrepitae, hominisque, ut cum Homero loquamur, ἐπὶ γήραος οὐδῷ, *verſantis* apud populos Orien-

Orientis, fuerit; quia papilio apud Gr. ſymbolum huius rei animadvertitur. Sed quod quidem ſcimus, Gr. quidem animam, nunquam vero ſenectutem ita expreſſerunt: qua de re multa habet *Stoſchius* in *Pierres Gravées* pag. 46. et 156. et meminimus, Cel. *Geſnerum* ad locum quendam Luciani explicandum egregiam diſſertatiunculam ſcripſiſſe.

Manati et Hebr. תחש natura et interna ſtructura peregrinantium diligentiae et aſſiduitati commendatur: magnitudinis in primis eius, et an ea quae alii de eius membris dixerunt vera ſint, rationem habere debent. Quae de Syrenum cantu figuraque humana finxerunt Poetae, a Manati figura et natura derivanda eſſe, multi contendunt: quod ſi verum eſt, diligenter obſervandum erit, an Manatus vocem habeat. Quod ſi vero, quod eſt haud dubie certum, Hom. Poetarumque omnino Syrenas exprimere Manatum, largiamur; tamen propterea, non neceſſarium eſt, ut Manatus vocem habeat, quia Syrenum voces potius ingenio Poetarum, quam naturae originem debere videntur; quod etiam Hom. et Cic. non uno loco ſubindicare nobis videntur. Quare, etiamſi Manatus nullam vocem peregrinantium teſtimonio emittere poſſe dicatur, hoc tamen nihil contra eos valebit, qui Manatum veterum Syrenas eſſe contendunt. Ceterum, cum doctiſſimus Michaelis pag. 116. quaerat, cur οἱ ὁ תנים Ieſ. XXXIV, 13. XLIII, 20. etc. et בנות יענה Ieſ. XIII, 21. etc. vertant Σειρῆνας, id feciſſe nobis videntur more iſtis interpretibus conſueto, cum ignotius ſaepiſſime per notius, et genera per ſpecies exprimere ſolent. Haud dubie l. l. exiſtimarunt, Serpentes alatos intelligendos eſſe. Sed redeamus eo, unde aberravit oratio. Inprimis tenendum eſt, quae Ill. Auctor pag. 121. habet de natura vulpium, ad illuſtrandam Hiſt. illam Simſonis, quae multis ſtomachum movit. Quanta eſt in iuſta S. S. intelligentia voluptas! Quam tenuis et abiecta eſt illa inter-

Digitized by Google

pretandi ratio, quae neſcio quibus regulis, quas inſolenter vocant hermenevticas, terminis inepti Syſtematis continetur, et in verba magiſtri iurare cogit! Quaeſtio LXXV. pertinet ad ſanandi vim veneni ſerpentum. In qua re duo ſpectanda ſunt: primo, an homo morſu ſerpentis a morbo gravi, qualis v. c. eſt Elephantiaſis, liberatus ſit; deinde vero, an illud venenum contra morſus alius ſerpentis vim medicam habeat. Quod propterea tenendum eſt, quia experientia docuit, in ipſis venenis magnam ad ſanandum corpus vim ineſſe. Graecis quidem illud non ignotum fuiſſe nobis propterea videtur, quia φάρμακον eis eſt venenum et medicamentum. Multa et incredibilia veteres de Regulo ſeu Baſiliſco finxerunt, neque probabile eſt talem ſerpentem unquam extitiſſe; operae igitur pretium iudicatur, quis ſit iſte veterum Baſiliſcus, inquirere. Fortaſſe Ceraſtes, aut *Cobra de Cabelo* iſtis fabulis, quae de Regulo circumferuntur, originem dederunt, quia multa habent ſigna, quae in veterum Regulum convenire videntur. Quo nomine porro Arabes ſtellas appellent diſquiritur. Stellarum Iobi כִימָה כְּסִיל עָשׁ quae inter ſtellas ſeptentrionales ab eo referuntur, nomina ſuntne hodie in lingua Arabum veſtigia nec ne, ut eorum explicatio iuſta, quae non Analogia, ſed certis linguae regulis nitatur, afferri poſſit? Iam de vocabulo ארז utrum ſit Cedrus, an vero abies, et de natura et figura אַלְגּוּמִים multa peregrinantibus proponuntur, quae magnam omnibus iſtarum rerum intelligentibus, huius itineris expectationem excitant. Lexica cum in definiendis et explicandis beſtiarum, cuiuscunque ſint generis, nominibus, valde ſint incerta, illa nomina, diligentius excutienda peregrinatoribus commendantur: v. c. Deut. XIV, 5. דישון, תאו et זמר. porro Syror. ܠܓܢܐ quid ſit deſideratur. In verſione Chald. et Syriaca ſaepius occurrit

rit חוּרְמָן et ܚܘܪܡܢ inter ſerpentum nomina, et quodnam morbi genus Syri vocabulo ܩܠܦܕܢܐ ſubiiciant, accuratius definiendum proponitur. Lectu digna ſunt, quae de animantibus puris et impuris pag. 278. ex ratione Moſaica diſputantur. Nam cum Moſes Iſraelitis interdixerit veſci v. c. quibusdam avibus, quas conſtat ita *eſſe* comparatas, ut cum ſint peſſimi ſaporis, nemo iis veſci velit: ſupervacaneum et temerarium fuiſſet, lege cavere, ut Iudaei ab iſtis avibus abſtinerent, niſi tum, cum Moſes legem ſcriberet, hoc cibi genere aliae gentes uſae eſſent. Reſtat igitur, ut inveſtigetur, utrum Arabes aquilis veſcantur, et quomodo in eius carnibus ad eſum parandis verſentur. Moſes porro in beſtiarum ruminantium numero leporem ponit, cum tamen teſtimonio Phyſicorum et venatorum conſtet, leporem non ruminare, niſi forte Moſes id propterea dixerit, quia lepus poſt paſtum os ita movere ſolet, ut ruminare videatur. Peregrinatores igitur hoc ſtudioſe curare debent, ut indagent, an Arabes beſtias in ruminantium numero collocent, quae os ita ut diximus poſt paſtum movere ſolent. Succedit longa et erudita diſputatio de lapidibus, quorum nomina deinceps ponuntur. Conſtat ſatis, lapidum nomina, quae v. c. Plin. Hiſt. Nat. habet, valde eſſe incerta; multum igitur proderit diligentia peregrinantium intelligentiae Scripturae S. Eadem etiam ratio eſt avium, quas Scriptura S. inter impuras refert, de quarum natura et figura ſi conſtaret, multorum locorum interpretatio expeditior eſſet. Eas omnes doctiſſimus Auctor collegit, et diverſas de ſingulis, peregrinantibus, quaeſtiones propoſuit, in quibus illuſtre egregiae ſuae eruditionis argumentum dedit.

Scripſe-

Scripſerat Auctor libri eruditiſſimus ad multos doctos viros, ut eum in colligenda quaſi materia, quae proficiſcentium examini ſubiicienda eſſet, adiuvarent; quod multi fecerunt, inprimis autem, quae Academia Inſcriptionum Pariſienſis ad eum ſcripſit, non praetermittenda h. l. videntur. Quaeſtiones iſtius Academiae ſunt fere triplicis generis. Prima pars verſatur in explicanda Hiſtoria et Epocha regum Yemenſium, ubi demonſtratur, ſeriem Pocokianam horum regum eſſe valde vitioſam, et imperfectam. Altera et tertia Pars pertinet ad Geographiam, linguam, mores, imperium, et ritus iſtius populi, quae omnia egregie et erudite ſcripta ſunt.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Aprilis Anno MDCCLXIII.

KALENDARIA ECCLESIAE UNIVERSAE, in quibus tum ex vetuſtis marmoribus, tum ex Codicibus, tabulis, parietinis, pictis, ſcriptis, ſcalptisve, Sanctorum nomina, imagines, et feſti per annum dies Eccleſiarum Orientis et Occidentis, praemiſſis uniuscuiusque Eccleſiae originibus, recenſentur, deſcribuntur, notisque illuſtrantur, ſtudio et opera IOSEPHI SIMONII ASSEMANNI, Bibliothecae Vaticanae Praefecti, et Sacroſanctae Baſilicae Principis Apoſtolorum de urbe Canonici. TOMUS QUARTUS. Kalendaria Eccleſiae Slavicae, ſive Graeco-Moſchae.

Romae, 1755. Sumtibus Fauſti Amidei, Bibliopolae in Via Curſus. Alph. 2. plagg. 12. in 4.

Pergit *Doctiſſimus Aſſemannus*, eo, quo coepit, ordine, exponere hoc Tomo Quarto de Kalendariis Eccleſiae Slavicae ſive Graeco-Moſchae. Nos eius contenta, quod Liber in paucorum manibus eſt, hic exhibere pergimus.

Pars Prima continet Origines Eccleſiaſticas Slavorum Ruſſiae, Hungariae, Bohemiae, et Poloniae.

Caput I. Ruſſorum res geſtae ab anno Chriſti 774. ad annum 1043. Prima eorum ad Chriſti fidem converſio ſub Baſilio Macedone. Altera ſub Conſtantino Porphyrogenito:

Tertia ſub Baſilio Bulgaroctono et Conſtantino. Regum Ruſſorum ſeries a Rurico usque ad Vladimirum II. Monomachum. Turcorum ſive Hungarorum Reges, Arpades, Soltan, Toxus, Geyſa: nec non Bulczus, ſeu Bulogudes et Gylas. I. Primi Ruſſorum Reges ex Herberſteinio, Ruricus, Igor, Olga ſeu Helena, Svatoslaus et Vladimirus. II. Quid Ignatius Kulczynski de iisdem Ruſſorum Regibus, Rurico, Igoro, Olga, et Svatoslao? III. Ante Rurici tempora, Ruſſorum mentio ad annum 774. et 839. IV. Incerta eſſe ac prorſus fabuloſa, quaecunque de Ruſſorum geſtis ante octavum Saeculum narrantur. V. Ruſſica in Byzantinum agrum excurſio anno circiter 859. Ex Byzantinis Scriptoribus. VI. Ruſſi ſub Baſilio Macedone et fidem Chriſtianam et Epiſcopum accipiunt a S. Ignatio Patriarcha. VII. Animadverſiones in Pagium et Leunclavium circa Ruſſorum ad Chriſti fidem converſionem. VIII. Expeditio in agrum Byzantinum ab Igoro Ruſſorum Rege ſuſcepta. IX. Olga ſeu Helena Ruſſorum Regina, Igori coniux, quo anno Chriſtianam fidem ſit amplexa. Culcinii allucinationes. X. Legatio ab Helena Conſtantinopolim miſſa. Rugi a Ruſſis diverſi. XI. Digreſſio de Turcorum ſeu Hungarorum Regibus, Arpade, Zoltano, Toxo, Geyſa: nec non Bulogude ſeu Bulczo et Gyla. XII. Expenditur Aventini narratio de primis Turcorum Hungariae Regibus. XIII. Diverſae Hungarorum in Bavariam et Saxoniam irruptiones ab anno 938. ad 949. XIV. Dani Slavique ab Ottone Germaniae Rege ſubiugati, fidem Chriſti ampleсtuntur. XV. Bellum Hungaricum anno 950. et 955. Gylas et Bulogudes Turcorum Principes baptizantur. Bulogudes a fide deficiens ab Ottone Rege caeditur. Eminentiſſimi Baronii et Thuroczii allucinationes. XVI. De Svatoslao Igori ex Helena filio, Ruſſorum Rege. XVII. Svatoslai filii Iaropolchus, Olgus, et Vladimirus. Vladimiri geſta ex Herberſteinio, eiusque vitia et liberi. XVIII. De Vladimiro Ruſſorum Rege, ex Culcinio et Cromero. XIX. Chriſtiana fides ab Vladimiro ſuſcepta: ex Herberſteinio et Miechovio.

XX.

Digitized by Google

XX. Vladimiri Elogium ex Libris Eccleſiaſticis Ruſſorum. XXI. Vladimiri Conſtitutio. XXII. Expenditur Epocha acceptae ab Vladimiro Chriſtianae Religionis. XXIII. De Vladimiri fratribus, uxore Anna, eorumque obitu. XXIV. A Ruſſis in Sanctorum catalogo adſcripti Olga ſeu Helena et Vladimirus, eius ex filio nepos. Quid de Vladimiri vitiis Ditmarus? XXV. Bellum inter Poloniae Ducem Boleslaum et inter Iaroslaum Vladimiri Ruſſiae Regis filium exortum. Ex Guagnino, Miechovio, et Cromero. XXVI. Vladimirus vivens, Regnum Ruſſiae inter filios partitus, poſtquam cladem a Pieczynigis accepiſſet. Ex Miechovio. Filiorum Vladimiri nomina. Bellum inter ipſos invicem, nec non ab ipſis cum Poloniae Duce Boleslao commiſſum. XXVII. Nomina filiorum Vladimiri ex Cromero, Ditmaro, Herberſteinio, Culcinio, et aliis. Svatopolchi et Iaroslai bella. XXVIII. Boriſus dictus Romanus et Glebus alias David, germani fratres, Vladimiri filii, martyres. Eorum geſta et cultus apud Ruſſos. A Svatopolcho fratre interfecti. XXIX. De Svatopolco et Iaroslao, Vladimiri filiis. Bellum inter eos exortum, in quo Boleslaus Poloniae Dux ſeſe immiſcuit. Svatopolco pulſo, Iaroslaus rerum potitur. XXX. Animadverſiones ad ea, quae de Suatopolcho et Iaroslao Ruſſis, deque Boleslao Poloniae Duce narrantur. Iaroslai et Meſcislai mors ad ann. 1036. figitur: Vladimiri ad ann. 1015. Poſt Iaroslaum Ruſſis imperat Izaslaus. XXXI. Vladimiri et Iaroslai conſtitutiones a Baſilio confirmatae. Metropolitae Kiovienſes, poſt Michaelem et Leontium, Theopemptus et Hilarion: quorum aetas a Culcinio tradita emendatur. Ante Cerularianum Schiſma conſtat vixiſſe Iaroslaum Ducem, et ante dictos Metropolitas. XXXII. Res Byzantinae ab anno 1025. ad 1036. XXXIII. Stephanus Boiſthlabus Serblorum Princeps ann. 1038. XXXIV. Petrus Deleanus, Byzantio in Bulgariam profugiens, Bulgarorum Rex proclamatur. XXXV. Aluſianus, Aaronis Bulgarorum quondam Regis filius, ad Bulgaros e Byzantio fugiens, Petro Deleano excaecato, in gratiam Imperatoris

X 2 redit,

redit. XXXVI. Tempore Conſtantini Monomachi Imper. Serblicum bellum a Stephano Boiſthlabo adverſus Graecos ſuſceptum. Stephani ſucceſſor Michael in Serbliae Principatu pacem cum Imp. facit. XXXVII. Graecos inter et Ruſſos pax firmata, Vladimiro et Iaroslao regnantibus. Vladimirus Monomachus poſt Izaslaum Ruſſorum Princeps, Conſtantinopolim anno 1043. obſidet. XXXVIII. Referuntur ac refelluntur aſyſtata, quae a Culcinio, Miechovio, et Cromero, de Ruſſorum Principum Epocha geſtisque narrantur.

Caput II. Origines Eccleſiaſticae Hungarorum poſt Arpadem et Soltanum, Toxo, Geyza, et S. Stephano regnantibus. I. Hungarorum res geſtae, ſub Toxo, Soltani filio, Arpadis nepote, ab anno 934. ad 955. II. Geyza Hungarorum Rex, pater S. Stephani, in Chriſtianos propenſus. III. Prima Chriſtianae fidei apud Hungaros ſemina ſub Gyla et Geyza, tum opera Graecorum, tum ſtudio Gerardi Lauriacenſis Epiſcopi. IV. Quid in Hungarorum converſione praeſtiterint Wolfgangus Ratisbonenſis et Piligrinus Pataviensis Antiſtites. V. Bruno Epiſcopus ab Ottone Imp. ad Hungaros legatus miſſus, a tribus aliis Brunonibus diverſus, operam ſuam in Hungarorum converſione cum Piligrino Pataviensi Epiſcopo coniunxit. VI. Ad Chriſtianam fidem in Hungariam inducendam etiam Geyzae Regis uxor operam ſuam impendit. Belecneginae ſeu Sarholtae nomen ei fuiſſe perhibetur, patremque habuiſſe dicitur Gylam Tranſylvaniae Ducem. Filiam ipſius in uxorem accepit Boleslaus Poloniae Dux, Miecislai filius. VII. Piligrini Epiſcopi ad Benedictum VII. Pont. Epiſtola de propagata apud Hungaros et Slavos Chriſtiana fide. VIII. Benedicti VII. Papae ad Piligrinum reſponſiva Epiſtola: cuius Epocha ab Hanſizio V. C. ſtatuitur ad exeuntem ann. Chr. 974. vel ineuntem 975. IX. Hungarorum incurſiones in Orientalem Franciam ab anno 975. usque ad ann. 985. X. Emin. Baronius Geyſae Regis ac S. Stephani eius filii ad Chriſti fidem converſionem figit ad ann. Chr. 989. vel 990.

990. XI. Referuntur verba Chartuitii Epiſcopi, de Geiſae et Stephani baptiſmo a S. Adalberto ſuſcepto. XII. Pagius baptiſmum S. Stephani ad ann. 996. refert. XIII. Ademarus non a S. Adalberto, ſed a S. Brunone baptizatos ait Geiſam et filium: et utrique nomen Stephani impoſitum. XIV. Ad annum Chr. 984. baptiſmus Geiſae et S. Stephani ſtatuitur. XV. Dum Geiſa in regno vixit, parum Chriſtiana religio profecit. XVI. Poſt Geiſae mortem Stephanus filius Rex Hungariae proclamatus, tam in Hungaria, quam in Tranſſylvania Chriſtianam religionem propagavit. XVII. Silveſter II. Papa Regiam coronam S. Stephano Hungariae Principi mittit, et inſtitutos ab ipſo Epiſcopatus confirmat anno Chr. 1000. XVIII. An Regium Diadema nomenque Poloniae Duci ab Ottone III. Imperatore collatum? XIX. Expenduntur ea, quae Annaliſtae Poloni de Miecislao et Boleslao Ducibus narrant. XX. Chartuitii, Annaliſtae Saxonici, et Ditmari teſtimonia de Miecislao et Boleslao Poloniae Ducibus. XXI. De Gisla ſive Giſela, S. Stephani Regis Hungariae uxore et Henrici Imp. ſorore. Thuroczii, Ranzani, et Aventini errores notantur, tum quoad Giſelae genus, tum quoad coronam Regiam S. Stephano conceſſam ab Henrico Imp. XXII. Gerardus Canadienſis Epiſcopus Stephano ac Giſelae Hungariae Regibus adiutrices manus in propaganda Chriſti fide adiunxit.

Caput III. Origines Eccleſiaſticae Bohemiae et Poloniae. I. Quo anno Ducatus Bohemiae ab Arnulfo Germaniae Rege fuit Svatopeleco Moravorum Regi conceſſus, id eſt Chr. 890. eodem anno vel ſequenti, Borivoius Bohemiae Dux, una cum Ludmilla et Bohemis a S. Methodio Chriſtianam fidem accepit. II. Dubravii narratio de baptiſmo Borivogi Bohemiae Ducis marginalibus obſervationibus notatur. III. Quid de eodem Borivoio Bohemiae Duce in Vitis SS. Cyrilli ac Methodii et S. Ludmillae apud Bollandiſtas? Ante hunc Borivoium quinam Duces Bohemiae praefuerint. IV. De Borivoio Bohemiae Duce, eiusque uxore Ludmilla, et filiis Spitigneo ac Vratislao: nec non

Digitized by Google

Drahomira Vratislai coniuge, eorumque filiis, Venceslao et Boleslao. Ex Dubravio. V. Rerum Bohemicarum ſcriptores, Dubravius, Pontanus, Aeneas Silvius, Coſmas Pragenſis, circa Borivoium et Svatoplucum, aſyſtata nonnulla referunt. VI. Borivoii filii, Spitigneus, Vratislaus, et Boleslaus. Hic infans moritur. Vratislaus ex Drahomira filios ſuſcipit Venceslaum et Boleslaum. S. Venceslai martyrium quo anno contigerit. Boleslaus ab Henrico Rege primum, deinde ab Ottone ſubiugatur. Sigeberti et Dubravii allucinationes notantur: nec non in Vita S. Venceslai quaedam perperam dicta emendantur. VII. Boleslai Bohemiae Ducis filia Dambrovca in matrimonium Miecislao Poloniae Duci tradita, virum et Polonos anno Chr. 965. ad fidem Chriſtianam amplexandam inducit. VIII. Archiepiſcopatus et Epiſcopatus an ſub Miecislao in Polonia inſtituti? et quinam? IX. Non ante annum 1000. Gnesnam Archiepiſcopali honore auctam fuiſſe, ex fide dignis Scriptoribus probatur. X. Cur a Romano Pontifice Io. XIII. conceſſi Epiſcopatus Miecislao Poloniae Duci ann. 965. et denegati Boleslao Bohemiae Duci. XI. Primus Bohemis Epiſcopus in urbe Praga a Io. XIII. Papa anno 968. datus Ditmarus: Boleslao Pio Duce eiusque Sorore Mlada rogantibus. XII. Secundus Pragae in Bohemia Epiſcopus S. Adalbertus anno 983. conſecratus. XIII. S. Adalbertus, relicto Pragenſi Epiſcopatu, quid ab anno 990. ad 994. egerit? Romae ſcilicet in monaſterio SS. Bonifacii et Alexii. A Io. XV. Papa iubetur in Bohemiam redire. XIV. Iterum Bohemia relicta Romam rediit S. Adalbertus. Quinque eius fratres a Bohemis trucidantur. Ipſe vero in Bohemiam remiſſus, quum a Bohemis non exciperetur, ad Pruſſos abiit, ubi anno 997. martyrio coronatus eſt. XV. Epocha rerum geſtarum S. Adalberti ſummatim traditur. XVI. Examinatur Dubravii de S. Adalberto narratio. XVII. Refellitur eorum error, qui S. Adalbertum in Poloniam ſub Miecislao Duce abiiſſe ſcribunt. XVIII. Alter eorum error, qui Stephanum Hungariae Regem, Miecislaum Poloniae Ducem,

et

Digitized by Google

et Benedictum VII. Papam Synchronos faciunt. XIX. Confutantur ii Scriptores, qui aſſerunt a S. Adalberto Gaudentium fratrem ſibi fuiſſe in Epiſcopatu Gneſnenſi ſubrogatum. XX. Thegdagus poſt S. Adalbertum Epiſcopus Pragenſis, anno 990. conſecratus. XXI. Ecardus, 1270, et Severus, Pragenſes Antiſtites. XXII. Bohemiae Duces a Boleslao Pio usque ad Brecislaum, Udalrici filium. Ob direptam Gneſnenſem Eccleſiam, Dux Brecislaus et Severus Pragae Epiſcopus a Benedicto IX. Papa in ius vocati. Quid reſponderint? Iniuſtae de Romana Curia quorundam ſcriptorum querelae. XXIII. Poſt Severum, ſextum Pragae Epiſcopum, conſecratur ſeptimus Iaromirus, ſeu Gebehardus, alias Gerardus, Vratislai Ducis Bohemiae frater anno 1068. XXIV. Olomucenſis in Moravia Epiſcopatus reſtituitur. Quo anno? Series Epiſcoporum Moraviae poſt S. Methodium usque ad Io. qui ſub Severo Pragenſi Epiſcopo eſt conſecratus. XXV. Iaromiri ſeu Gerardi Pragenſis Epiſcopi controverſia cum Ioanne Epiſcopo Olomucenſi in Moravia: nec non cum Vratislao Bohemiae Duce. XXVI. Sancti Gregorii VII. Papae epiſtolae in cauſa Iaromiri Pragae Antiſtitis. XXVII. Alexander II. Papa mitram Vratislao Bohemiae Duci mittit. Privilegia ab eodem Pontifice Wiſſegradenſi Eccleſiae conceſſa. XXVIII. Cauſa diſſidii inter Iaromirum Pragenſem et Io. Olomucenſem Epiſcopos, ex litteris S. Gregorii VII. Papae exponitur. XXIX. S. Gregorius VII. Papa Bohemis uſum Slavicae linguae in rebus divinis non concedit. XXX. Refertur eorum ſententia, qui aſſerunt, in Moguntina Schiſmaticorum Synodo anno 1086. Regiam coronam Vratislao Bohemiae Duci ab Henrico IV. Imp. fuiſſe conceſſam: Olomucenſem quoque Eccleſiam Pragenſi coniunctam. XXXI. Obſervationes in Moguntinam Schiſmaticorum Synodum. XXXII. Quid ſentiendum de Regio nomine a Bohemiae et Poloniae Ducibus propria auctoritate uſurpato? et primum agitur de Poloniae Duce, ſimulque oſtenditur, quandonam et a quo Regia ei corona ſit delata. XXXIII. A veriſimilitudine abhorrere videtur, Vratis-

Digitized by Google

Vratiſlaum Bohemiae Ducem in conventu Moguntino Regium nomen ab Henrico III. Imp. accepiſſe: Regem proinde a ſe ipſo dictum fuiſſe probabilius eſt. XXXIV. Vladislaus primus Bohemiae Ducum a Friderico Imp. Regiam coronam accepit. Quid ſit Circulus Aureus? XXXV. Coſmas Pragae et Andreas Olomucii Antiſtites anno 1091. electi poſt obitum Iaromiri et Ioannis, et anno 1094. conſecrati a Rothardo Epiſcopo Moguntino. XXXVI. Coſmae Pragenſi Hermannus anno 1099. ſuffectus deceſſit anno 1122. XXXVII. Notantur quaedam Dubravii allucinationes circa Duces et Epiſcopos Pragenſes. XXXVIII. Andreae Moravienſi Epiſcopo ſuffecti Petrus et Ioannes ab anno 1096. ad ann. 1126. XXXIX. De Coſma Pragenſi Chronici Bohemorum auctore: qui a Pontano Bohemiae Piae auctore perperam confunditur cum Coſma octavo Pragae Epiſcopo.

Pars Secunda tradit Origines Eccleſiaſticas Slavorum Dalmatiae et Illyrici.

Caput I. Illyricum et Dalmatia. Chrobatia et Serblia. Sorabia et Dalemincia. Chrobati ſub Heraclio Imper. fidem Chriſti amplexi. Iidem poſt Ludovici Pii mortem a Francis deficientes. I. Illyricum et Dalmatia quando pro Synonymis haberi coepta. II. Illyrici fines. III. Illyricum antiquum et hodiernum. IV. Dalmatiae nomen. V. Dalmatiae fines. VI. Chrobatia et Serblia. VII. Sorabia et Sorabi non differunt a Serblia et Serblis. VIII. Duplex Chrobatia et duplex Serblia. IX. Serbli et Chrobati e magna Serblia et Chrobatia in Dalmatiam advenientes. X. Dalmatarum et Soraborum nomina ultra Danubium propagata. XI. Dalmatia et Dalemincia Germaniae a Dalmatia Illyrici diverſa. XII. Primus Chrobatorum in Dalmatiam e Chrobatia Alba adventus ſub Heraclio Imp. ſub quo et Chriſtianam religionem ſunt amplexi. Defectio autem Chrobatorum a Francis contigit poſt obitum Ludovici Pii Imp.

Caput II. Series Ducum Regumque Chrobatiae et Dalmatiae et Serbliae, ab anno 640. ad 1104. Dalmatiam mari-

maritimam quo anno Veneti obtinuerint? I. Primi Chrobatorum Duces ſive Reges ab anno 640. usque ad annum 830. a Porgae patre usque ad Ladiſclavum. II. Muyſclavus, Miſclavus et Mujus dictus, Croatiae Dux circa annum 836. Diodurus Serblorum Narentanorum. III. Tirpimirus, Craſemerus, Miroslavus, et Pribinna, Chrobatiae Duces. IV. Serblorum Principes a Chrobatis diverſi. V. Serblorum Princeps ſub Heraclio: filius eius, mox nepos; et poſt multos annos Boiſeſthlabus, Rhodoſthlabus, Profegoes, Blaſtemerus. Muntimerus, Stroemerus, Goinicus, Pribeſthlavus, Branus, Stephanus, Muntimeri filii. Clonimerus Stroemeri filius. Paulus, Brani F. Zacharias. Tzeſthlabus Clonimeri F. Ab anno ſcilicet 640. ad 950. VI. Alii a Serblorum Regibus Principes Zachlumorum, Narentanorum, Terbuniatarum, et Slavorum Transalpinorum. VII. Sedeſclavus Chrobatiae Principatum Narentanum adiungit. Ad ipſum Io. VIII. Pp. epiſtola data an. 879. VIII. Branimirus Chrobatiae Comes poſt Sedeſclavum. Ad ipſum epiſtolae Io. VIII. Papae anno 879. et 880. Theodoſius Slavorum Branimiro ſubiectorum Epiſcopus Nonenſis. IX. Mucimirus Tirpimiri F. Chrobatiae Dux circa annum 892. Braslavus poſt Porinum et Innicum, Slavoniae, non Chrobatiae Princeps. X. Michael, Farlato Miroſthlavus Zachlumorum princeps, non Chrobatiae. XI. Tamislavus poſt Mucimirum Princeps Chrobatiae circa annum 910. Hungari in Pannoniam, Moraviam, Bohemiam, Carinthiam, et Stiriam invadunt. XII. Chrobati, Serbli, Hungari, Patzinacitae, foedere cum Graecis firmato, in Bulgaros inſurgunt anno 927. XIII. Dircislavus Tamislavi Succeſſor, primus Chrobatorum Rex appellatus, imperavit poſt annum 970. Martinus, Petrus, et Paulus, Archiepiſcopi Salonitani. XIV. Tirpimirus huius nominis ſecundus ab anno 990. ad 997. Chrobatiae Rex: deinde Mucimirus et Surigua eius filii. Veneti Iſſam Chrobatis auferunt. XV. Mucimirus et Surigua Chrobatiae Reges: hic a fratre regno pulſus, ille a Venetis Dalmatia maritima exutus anno 998.

 Prin-

Digitized by Google

Principum Byzantinorum permiſſu. XVI. Veneti Dalmatiae maritimae civitates obtinent. XVII. Quandonam Principibus Venetiarum titulus Ducis Dalmatiae decretus? XVIII. Refelluntur ii, qui negant, aut ſe ignorare affirmant, ante annum Chr. 1084. Venetis obtigiſſe Dalmatiae Principatum. XIX. oſtenditur, Venetos titulo Ducis Dalmatiae uſos ante annum 1084. XX. Quae bella Veneti geſſerint cum Chrobatis et Hungaris pro retinenda vel recuperanda Dalmatia. XXI. Chrobatiae et Dalmatiae mediterraneae Reges poſt Mucimirum et Suriguam, Creſimirus maior, nec non Dircislavus, Creſimirus minor, Svetoslavus, et Goyslavus, eius filii ab anno circiter 1000. ad 1024. XXII. Stephanus Creſimiri ſecundi filius et Creſimirus tertius, Stephani filius, Reges Chrobatiae et Dalmatiae, ab anno 1024. ad 1073. XXIII. Slavizus Rex Chrobatiae. XXIV. Svinimir, ſeu Demetrius, Rex Chrobatiae et Dalmatiae, ab anno 1075. ad 1087. XXV. Stephanus II. poſtremus Rex Chrobatiae et Dalmatiae. Hungari poſt eius obitum, Regnum Chrobatiae obtinent, circa annum 1104.

Caput III. Res geſtae in Chrobatia et Dalmatia ſub Regibus Creſimiro II, Stephano, Creſimiro III. Stephano II. et Regibus Hungariae Andrea, Salomone, Geyza et Ladislao. I. Creſimiro II. et Stephano eius filio in Chrobatia regnantibus, Andreas, Salomon, et Geyza Hungaris praefuere. II. Dabralius Archiepiſcopus Salonitanus ſeu Spalatenſis. Cur et quando a Spalatenſis Eccleſiae iurisdictione exemti Epiſcopi Antibarenſis, Catharenſis, Olchinienſis, et Svacenſis, evecto in Archiepiſcopum Antiſtite Antibarenſi ſeu Diocletano. III. Salonitano ſeu Spalatenſi Metropolitano ſubiecti Epiſcopatus enumerantur. IV. Synodus Spalatenſis in cauſa Dabralii Archiepiſcopi. V. Lampridius, Ioannes et Laurentius, Archiepiſcopi Spalatenſes. VI. Duae in Regno Dalmatiae et Croatiae olim Metropoles, Salonitana et Antibarenſis. Litterae Alexandri II. Papae ad Petrum Dioclenſem et Antibarenſem Archiepiſc. Quaenam Dioeceſes ſub Salonitano et quaenam ſub Antibarenſi

renſi Archiepiſcopo. VII. Geſta Laurentii Salonitani Archiepiſc. Adam Pariſienſis. Io. Epiſcopus Traguríenſis. VIII. Demetrius Zuonimirus coronatus Rex Croatiae et Dalmatiae a Gebizone Legato S. Gregorii Papae VII. Idem Rex in Synodo Nonenſi quasdam Eccleſias reſtituit Cathedrali Spalatenſi. IX. Synodus Spalatenſis ſub Ioanne Salonitano Laurentii deceſſore, et Maynardo Sedis Apoſtolicae Legato: in qua interdictus Slavicae linguae in divinis celebrandis uſus. Narratio de Wulfo Presbytero et Cededa Pſeudo-Epiſcopo: et quomodo in altera Spalatina Synodo ſub Ioanne S. A. L. damnati ſunt. X. Animadverſiones in Archidiaconi narratiunculam de utraque Spalatenſi Synodo in cauſa Slavorum. Et primum, de Maynardo S. A. Legato. XI. Slavicae litterae a Gothicis prorſus diverſae. XII. Sanctus Methodius per ſummam iniuriam Arianiſmi accuſatus. XIII. Quid ſentiendum de Synodo illa Spalatenſi? XIV. Quid Card. Bona ſentiat de Slavicae linguae uſu, deque illa Spalatenſi Synodo? XV. Bohemis et Polonis, non Dalmatis et Illyriis, interdictus Slavo-Latinus ritus. XVI. Cardinalis Hoſii ſententia de uſu linguae vernaculae. XVII. Etiam in aliquibus Poloniae locis uſurpatus aliquandiu Slavicae linguae in divinis uſus. XVIII. Cur Polonis et Bohemis denegatus in divinis celebrandis Slavicae linguae uſus. XIX. De Normannis, et Roberto atque Rogerio eius filio. Deque Graecis et Venetis, nec non Bodino Ruſſiae domino, et Colomano Hungariae Rege. XX. Alia Spalatenſis Synodus anno 1075. celebrata ſub Gerardo S. Gregorii VII. Papae Legato. XXI. Creſcentius Spalatenſis poſt Laurentium Archiepiſcopus. Colomanus Hungariae Rex, Spalatum, Tragurium, et Iaderam ſuo ſubiicit dominio. XXII. Occupatas a Colomano Hungariae Rege urbes Dalmatiae Veneti recipiunt. XXIII. Chronologia occupatae ab Hungaris et receptae a Venetis Dalmatiae texitur. XXIV. Dalmatiae hodiernae partitio civilis et eccleſiaſtica ex cl. Farlato.

Digitized by Google

Caput IV. De Slavicae linguae litteralis, non vulgaris, permiſſo Dalmatis et Illyricis in divinis celebrandis uſu: deque eorundem libris Eccleſiaſticis Slavo-latinis. I. Dalmatae et Illyrii poſt Ioannis VIII. tempora Slavo-latinum ritum coluere, et adhuc colunt. II. Slavicam linguam Litteralem, non Illyricam Vulgarem, in rebus divinis adhibendam eſſe. III. Diſcrimen inter Slavicam linguam Litteralem et inter Vulgarem. Et quot ſint linguae Vulgaris dialecti. IV. Conſtitutio Sanctiſſ. D. N. Benedicti XIV. Papae, ut omnes Eccleſiaſtici, qui ritum Slavo-latinum colunt, in Miſſis, et Divinis officiis, utantur ſolo idiomate Slavico Litterali. V. Cur litteralis lingua prae Vulgari in Sacris adhibenda. VI. Breviaria et Miſſalia manuſcripta, Slavico ſermone, ritu Latino. VII. Eadem Breviaria et Miſſalia typis impreſſa ab ann. 1528. ad ann. 1631. VIII. Breviarium Romanum Slavolatinum, recognitum a Raphaele Levacovich Achridano, et a Methodio Terlecki Epiſcopo Chelmenſi et Belcenſi probatum, typis S. Cong. de Propag. Fidei editum, praefixis Innocentii Papae X. Litteris Apoſtolicis anno 1648. IX. Iterum typis evulgatum Miſſale anno 1688 ſub Innocentio XI typis Illyricis. Digreſſio de libris Sacris a Primo Trubero Croatice ſive Slavice editis. X. Urbani VIII. Papae litterae de Miſſali Slavo Latino anno 1631. et iterum anno 1705. Romae typis impreſſo. XI. Neque ita a Vulgaribus Dalmatici ſermonis vocabulis emendatum, neque Romano prorſus conforme illud Miſſale Slavo Latinum prodiit. XII. Vir Cl. Matthaeus Caramanus Iadrenſis Archiepiſcopus emendandum Miſſale Slavonicum ſuſcepit, et numeris omnibus abſolutum edidit anno 1741. XIII. Approbatam a viris Slavicae linguae peritis, eius Miſſalis Slavo latini editionem SSmus D. N. Benedictus XIV. confirmat, editaque Conſtitutione praecipit, ut Vulgaris Illyrici ſeu Slavici ſermonis uſus in divinis officiis non uſurpetur. XIV. Rituale Romanum a P. Caſſio in Illyricam linguam converſum prodiit Romae anno 1640. litteris latinis et ſermone Illyrico. XV. Idem P. Caſſius Epiſtolas

ſtolas et Evangelicas Lectiones, nec non Novum Teſtamentum Illyrice convertit. XVI. Quid ſentiendum de Libris Eccleſiaſticis in Slavicum Vulgarem ſermonem converſis, typisque impreſſis? XVII. Slavica Novi Teſtamenti editio in Slavicum Vulgarem ſermonem converſa, a doctis viris improbata. XVIII. Inquiritur in Pſalterium Slavicum tempore Theodori ultimi Salonitani Archiep. exaratum: ſimulque oſtenditur, illud non niſi ſub Io. VIII. Papa conſcriptum, et ex verſione Sacrarum Scripturarum a SS. Cyrillo ac Methodio elaborata deſumtum.

MONUMENTA INEDITA RERUM GERMANICArum, praecipue Magdeburgicarum, et Halberſtadienſium: Praefatione inſtruxit FRIDERICUS EVERHARDUS BOYSEN. TOMUS I. Qui GEORGII TORQUATI Annales continet, adiunctis aere ſcripturis.

Lipſiae et Quedlimburgi, ſumtu A. F. Bieſterfeldii, 1761. 1. Alphab. plagg. 5. in 4.

Quo arctiori vinculo Hiſtoria catholica Germaniae, cum illa, quae ſingularum Provinciarum res geſtas enarrat, coniuncta eſt: eo maiorem profecto gratiam debemus editoribus monumentorum ad hanc partem Hiſtoriae pertinentium. Etenim ab illo tempore, quo a nonnullis viris doctiſſimis Hiſtoriae Germaniae ſpecialis feliciter inſtituta fuit pertractatio: quo Collectiones ſcriptorum, monumentaque alia, ſingulorum populorum fata ac viciſſitudines illuſtrantes, ex tabulariis publicis in lucem prolata ſunt: mirum profecto eſt, quantam fidem multarum rerum enarrationi addiderint, ipſam Hiſtoriam Germaniae univerſalem magis frugiferam reddiderint, et denique Iuri publico Germaniae maiorem in nonnullis locis explicandis veritatem perſpicuitatemque conciliaverint. Quapropter Vir plurimum Reverendus F. E. *Boyſen*, ut iam dudum de litteratura

Digitized by Google

orientali, ita etiam egregie de Hiſtoria Germaniae meritus eſt, cum *Torquatum* a viris doctis deſideratum, nobis communicaverit. Poſt mortem Torquati (floruit vero Saeculo XVI.) emerat eius annales Vir quondam perilluſtris de *Moellendorf*, a cuius gente ad *Meibomios* deinceps pervenerunt. Hi tanto ſtudio *Torquati* Hiſtoriam proſequuti ſunt, ut *Andreas Schmidius* ſcriberet: *citius Herculi clavam, quam Meibomiis Torquatum extorqueas.* Ita illi etiam, cum horum annalium communicationem flagitaret Vir perilluſtris de *Plotho*, regi Boruſſiae a conſiliis intimis, eam recuſaverunt. Poſt fata *Meibomiorum*, cum bibliotheca eorum anno MDCCXLIII. palam venderetur, vincendo reliquos, qui pretio certarent, *Torquatum* accepit *Smalianus*, civitatis Magdeb. Syndicus. Ab haeredibus *Smalianis* emit Vir quondam illuſtris hos annales, qui eos cum Editore celeb. benevole communicavit. Praeter illos *Torquatus* nihil plane conſcripſit et litteris mandavit, atque *ſeries et ordo Magdeburgenſis eccleſiae Pontificum*, qui Tomo III. Scriptorum Saxonicorum *Menckenii* exſtat, erronea et falſa opinione ad *Torquatum* auctorem refertur. Indicemus vero lectoribus univerſam rationem conſcripti operis, deinde vero de gravitate, et fide rerum explicatarum, ingenue ſententiam lectoribus aperiamus. Annales *Torquati* ſunt diviſi in tres tomos, quorum primus exhibet tres libros. In primo libro enarratur ſitus terrae Magdeburgicae, et Halberſtadienſis; fata incolarum; initia fundati epiſcopatus Halberſtadienſis; atque hiſtoria rerum memorabilium, quae in terra Magdeburgenſi et Halberſtadienſi usque ad Ottonem I. acciderunt. Liber ſecundus exponit originem et incrementa Epiſcopatus Magdeburgici, a condita urbe Magdeburgo, usque ad annum MCCXXXIV: tertio denique libro hiſtoria usque ad mortem Alberti Brandenburgici, Archiepiſcopi, Cardinalis, atque Electoris continuatur. Cum hac hiſtoria Epiſcopatuum diligenter Antiquitates univerſae Germaniae *Torquatus* coniunxit: ita tamen ieiune, et contra ipſius Hiſtoriae fidem, ut hac notitia Germaniae facile

carere

carere potuiſſemus. Contraria vero ex parte, in conſcribenda Hiſtoria Epiſcopatuum tabulariis publicis uſus eſt, atque bibliothecam et ſcrinia Senatus civitatis Magdeburgenſis ſedulo perveſtigavit, adeoque dignus eſt, iis, qui huic hiſtoriae excolendae operam dant, aliqua ex parte commendari.

His in univerſum de conſilio Auctoris, eiusque opera laudabili recte aeſtimanda, expoſitis, examinemus ſingulos libros et capita, videamusque quid noſtra attentione inprimis dignum eſſe videatur. Liber primus peroratur Capp. XX. Caput I. explicat ſitum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, et Halberſtadienſis. Supervacaneum ſane foret, ſummam huius capitis; cum ſatis pervulgata contineat, referre, ideoque tantummodo ultima verba commemoramus, cum ait: *ut ſitus harum Dioeceſium recte cognoſcantur, Appiani annotationes adiungam, qui urbibus earum metropolitanis, et in medio, tamquam umbilicus poſitis, ſua certa loca aſſignat. Affirmat enim Magdeburgum longitud. Gradus 29. M. 38. Latitudinis 52. 20. Halberſtadium vero longitudinis 28. 35. latitud. 52. 11.* continere. Cap. II. *Diviſio terrarum ad Epiſcopatus Magdeburgenſem et Halberſtadienſem pertinentium* uberius deſcribitur. In univerſum monet, hos Epiſcopatus longe aliter antiquitus, quam ſua aetate, in certas regiones diviſos fuiſſe: quam tamen antiquiſſimam diviſionem ſilentio praeteriit. Aetate vero Torquati Epiſcopatus Magdeburgenſis in quatuor regiones diviſus fuit: in regionem *Salingorum*, in regionem *ſylveſtrem*, in terram *Hierichuntinam*, denique in terram *Juterbocenſem.* Contraria vero ex parte terram Halberſtadienſem ſecundum fluvios diſtinctam fuiſſe ait, hancque diſtinctionem deinceps uberius illuſtrare promittit. Caput III. explicat primam Germanicarum gentium originem. Hanc vero ipſam gentium originem, cum ſecundum ridiculam, et noſtra aetate ſatis exploſam ſententiam, a *Noha* eiusque filiis deduxerit, tempus chartamque perdere iure dubitamus. Ita etiam ſummam argumentorum Capitis IV. *de generali appellatione, veterem Germano-*

Digitized by Google

manorum, *et quo quiſque loco conſederint*, non attingemus, cum inanes tantummodo pervulgataſque conie&turas contineant, quibus confirmandis et aliis opus eſſe videtur. Quantis vero tenebris difficultatibusque noſtris etiam temporibus, (quibus tamen de excolenda Hiſtoria ingenio, opera, et induſtria a viris doctis veluti certatum fuerit,) origo gentium, inprimis vero unde quaelibet nomen acceperit, perſpicua, et ab omnibus dubitationibus libera diſputatio, expoſita ſit, quis eſt qui ignoret? Facile igitur Torquato ſua iis de rebus ſomnia condonare et largiri poterimus: cum etiam poſt *Torquati* tempora, litteratura vel maxime florente, viri acutiſſimi ingenii, longe maiores ſomniis *Torquati* de origine et denominatione gentium hallucinationes, in lucem conſpectumque protulerint, et adhuc proferant. Cap. V. deinde de *Celtis* ſive *Gallis*, *Germanis transrhenanis*, et Capite VI, *de Germanorum Cis Rhenanorum nominibus* exponit. In his duobus capitibus multa fabuloſe, et contra veritatem hiſtoriae explicata legimus. Ita v. g. Cap. V. *Galatas*, Graeciae populum, cuius Livius meminit, et *Gallos*, unam eandemque gentem eſſe arbitratus, indeque mirum eſt quantum fabuletur: Cap. VI. vero praecipue in eo elaborat, ut unde nomen Germanis impoſitum fuerit demonſtret, adeoque multas coniecturas proferat, quae nobis nauſeam, non attentionem, excitaverunt. Cap. VII. celebrat virtutem bellicam veterum Germanorum, et inprimis locus ille Taciti, *triumphati magis Germani, quam victi*, illuſtratur. Ita etiam ſatis lubrico fundamento ea nituntur, quae de quinquaginta populis ad Suevos pertinentibus, tradidit, in quibus refutandis operam collocare ſupervacaneum profecto eſſet, cum ſatis otii *Spenerus* aliique, qui veterum populorum Germaniae notitiam conſcripſerunt, nobis fecerint. Cap. IX. *de Hermunduris Suevis primis incolis Epiſcopatus Magdeburgici* ſermo inſtituitur. In eo inter alia notiſſimam illam fabulam, de legione fulminatrice p. 27. legimus: cuius precibus victoriam *Antoninum Philoſophum* de Marcomannis et Quadis reportaviſſe

viſſe vulgo referunt. Satis vero haec a veritate hiſtorica longe aliena narratio, ex male intellectis ſcriptorum locis exorta, noſtra aetate inprimis a ſummo illo viro *Sigismundo Iacobo Baumgarten*, in diſſertatione: *examen legionis fulminatricis contra Thomam Wolſtonum*, refutata fuit. Pergit Cap. X. ex auctoritate *Ptolemaei* in Geographia, et *Velleii Paterculi*, Longobardos Suevos, primos Epiſcopatuum Magdeburgici et Halberſtadienſis incolas conſtituere. Qui tamen loci adeo obſcuri ſunt, ut quid exinde colligas, vel maxime dubium ac incertum eſſe videatur. Porro p. 29. et 30. demonſtrat, qua ex re Longobardis nomen impoſitum fuerit, coniecturasque profert, quarum uno alteram incertitudine, et plane ridicula interpretatione, ſuperat. *Quo tempore Longobardi ex his terris a Sclavis eiecti fuerint*, Cap. XI. docetur: ita multa vero et in hoc capite contra veritatem Hiſtoriae occurrunt, ut tantummodo breviter nonnullis notatis, ad alia properare neceſſe ſit. Primum pauca de notiſſima illa expeditione Longobardorum tempore Iuſtini II. Imperatoris in Italiam ſuſcepta, ab aliis longe luculentius explicata, profert; deinde de Saxonibus, ſociis Longobardorum, Italiam ſimul occupantibus, inprimis vero de nomine Weſtphalorum multa refert. Tradit vero, explicationem nominis *Weſtphalorum*, ab hac expeditione Saxonum Italica repetendam eſſe, cum proprie Saxones appellandi ſint *Weſtgallen*, et tantummodo *Weſtphalen*, propter leniorem ſonum, poſteris temporibus nuncupati fuerint. Haec falſa nominis explicatio ex *Trithemio* deſumta eſt: et quamvis *Hertius* in egregiis *commentationibus atque opuſculis*, *in notitia veteris populorum Germaniae*, longe veroſimiliorem de hac ipſa denominatione excogitaverit coniecturam, cum *Parte III. cap. 3. §. 12.* dixerit: hoc nomen Weſtphalorum, tempore tranſportationis Saxonum a Carolo Magno in Galliam factae, exortum fuiſſe: nos tamen hanc coniecturam plane reiicimus, cum partim ex Annalibus, partim ex aliorum ſcriptorum idoneorum teſtimoniis, inprimis vero ex Capitulari Saxonum, dato Aquisgrani anno DCCXCVII.

Digitized by Google

ſatis conſtet, hanc denominationem iam antea inter Saxones obtinuiſſe. Cap. XII. de *Sennonibus* primis incolis harum Dioeceſium, et Cap. XIII. de *Angrivariis* nonnulla illa cum fide enarrat, ut merito dubitemus refutatione errorum nimis gravium lectoribus doctis moleſtiam excitare. In univerſum Crantzium, (at quantum virum!) in Hiſtoria Saxoniae antiqua ſequutus eſſe videtur. Igitur pag. 36. Cap. XIII. Angrivarii unde dicantur, miro plane explicat modo: porro, ex illius ſententia, a Carolo Magno Wittichindus, dux Saxoniae, Weſtphaliae, et Angariae conſtituitur, ab eoque Duces hodierni Saxoniae originem ſuam repetunt. Quomodo inde mirum lectoribus videri poterit, ſi Capite XIV. *de Sclavis, vel Henetis,* pag. 37. explicationem vocis *Henetorum* ex hebraico ſermone illuſtratam: ipſam migrationem gentis vero poſt finiti belli Troiani tempora fuiſſe indicatam legant. Cap. XV multas gentes enumerat, ab Henetis exortas; *(de diſtinctis nominibus, et locis Sclavonicae gentis,)* ſed quammultas dubitationes etiam contra fidem illarum rerum enarratarum excitare poſſemus. Cap. XVI. *De Saxonibus incolis harum Dioeceſium praeſentibus* exponit. Ea quae pag. 42. et 43. commemorat, tuto ſilentio praeterire poterimus: ea vero quae pag. 44. de antiquis ſedibus Saxonum, de eorum expeditione in Angliam, de diviſione Thuringiae antiquiſſima pag. 45. refert, ita comparata ſunt, ut novitate rerum propoſitarum doctos hiſtoriarum aeſtimatores ad legendum profecto non alliciant. Cap. XVII. *de transmigratione Saxonum in haec loca:* Cap. XVIII. *de cauſſa belli Thuringici*, nonnulla, ex auctoritate et teſtimoniis *Crantzii* enarrantur. *Quo tempore, unde, et quibus occaſionibus Saxones hanc terram acceperint*, Cap. XIX. docetur: indicatis nonnullis fabulis, bellum illud Theodorici cum Hermenfriedo ſatis notum et pervulgatum commemorat. *Catalogum* poſtea Capite XX. *bellorum aliquot inter Saxones* et Francos geſtorum exhibet, quo profecto non indigemus, cum haec ipſa bella longe luculentius et accuratius a ſcriptoribus horum temporum litteris mandata fuerint.

Digitized by Google

rint. Primae Partis Liber II. peroratur Capitibus XV. Caput I. exponit *de fertilitate et natura ſoli horum Epiſcopatuum, inprimis vero Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, et eiusdem prima regione dicta Salingorum, vulgo* Saal-Kreiß. Primum (pag. 61.) oppida regionis Salingorum, caſtra, Monaſteria, familias nobilium, (p. 62. et 63.) denique fluvios (pag. 64.) commemorat. Cap. II. *ſecundam regionem Archiepiſcopatus, dictam ſylveſtrem, vulgo* (das Holz-Land oder der Holz-Kreyß,) deſcribit. Dividitur haec regio (pag. 65.) in die hohe Börde, et in die Holz-Börde, naturam illius hoc capite; huius, ſequenti enarravit. Oppida et caſtra, vel arces (pag. 66.) indicavit, ut et familias nobilium: inde vero copioſa oratione (pag 67. et 68.) hanc terram inprimis frumenti copia, hortorum amoenitate, ac herbarum ſalubritate, reliquas antecellere demonſtravit. Cap. III. hanc terram dictam die Holz-Börde, eodem ordine ſervato, quem in ſuperioribus indicavimus, deſcribit, et inprimis de copia ligni (pag. 70.) de fluviis (pag. 71.) atque de multitudine piſcium (pag. 72.) ſermo inſtituitur. Capite IV. explicatur *ſitus tertiae regionis huius Epiſcopatus, quae nominatur terra Trans-Albina.* Abundat illa regio (pag. 78.) ſylvis venationibus aptis, paſcuis viridantibus et Vinetis. Cap. V. nonnulla eadem ratione, ut in ſuperioribus, de provincia Jütterboccenſi, quae praecipue (pag. 79.) ob *Linum vivum*, et *Libanotidem*, nobiliſſimam herbam, celebratur, referuntur. His abſolutis, eadem plane ratione Hiſtoricus noſter Cap. VI. *Halberſtadenſis Epiſcopatus qualitatem et fertilitatem laudavit.* Haec terra (pag. 81.) frumentorum fuit feraciſſima, plana, nullis conſita ſylvis, atque amoenitate hortorum, lapidicinisque ſalis (pag. 82.) memorabilis. *Cap. VII. de terra inter Bodam amnem circa montem* Hackel *ſita: Cap. VIII. de terra inter Bodam et Holtemmam amnes: Cap. IX. de terra inter Holtemmam, Bodam, et Ocream ſive Obracum fluvios, et limitem borealem.* Prima regio (pag. 84.) abundat piſcibus, ſecunda agros habet fertiles omnis generis frumenti,

 (pag.

Digitized by Google

(pag. 85.) alioquin lapidicinas, hortos, et vineta amoeniſſima, tertia denique (pag. 85.) ſylvas procerarum arborum. Cap. X. continet *admonitionem ad incolas harum terrarum feliciſſimarum.* Cap. XI. *de lingua Germanica in genere* quaedam proponuntur, ita vero, ut iterum narrationem inter fabulas referre poſſis. Lingua Germanica, ait inter alia (pag. 90.) ex Hebraica lingua conſtat, quia ſumus poſteri Noae, et graeca, quia Phocenſes navigationem in Galliam ſuſceperunt: *ohe iam ſatis eſt* — — Aventini auctoritatem diligenter in hoc capite ſequutus eſſe videtur bonus Torquatus. Cap. XII. deinde *de peculiari Idiomate linguae in his Dioeceſibus* nonnulla traduntur. Cap. XIII. *de variis notis, et characteribus litterarum, inſcriptionibus, et monumentis veteribus.* Exhibet illud caput (p. 97.) Alphabetum Gothorum, ex libro I. cap. 36. Hiſtor. gentium ſeptentrionalium *Olai magni Upſalenſis;* deinde (pag. 98.) Alphabetum Francorum, ex *Tritenheimii* l. VI. Polygraphiae; porro, (pag. 99.) Alphabetum Otfridi monachi, ex eodem libro *Tritenheimii;* denique litteras cuiusdam Doctoris medicinae ad Archiepiſcopum Magdeburgenſem, (pag. 102 — 103.) Caput XIV. *notationes quasdam de hac lingua* ſuppeditat. Gratulatur ſibi et reliquis viris doctis de inventa arte typographica (pag. 107.) et pag. 108 accuſat negligentiam antiquorum temporum; cum neque annus, neque dies additus fuerit Diplomatibus. Cap. XV. *de habitu, inſtitutis, et moribus veterum Germanorum et Saxonum.* Hoc caput inter omnia reliqua rerum enarratarum copia eſt uberrimum: at vero quantopere riſimus boni Torquati improbam diligentiam, cum intelligeremus, totum caput ex *Cornelii Taciti* libro *de ſitu et moribus Germaniae* ad verbum fuiſſe deſcriptum.

Liber III. Primae Partis abſolvitur Capitibus XXVII. Cap. I. *Converſio Saxonum a Carolo magno debellatorum.* Haec mutatae a Saxonibus religionis hiſtoria, inchoatur ab anno 775; ſed nolumus attentione doctorum lectorum abuti; quis tam vulgatas res repetere ſuſtineat? Cap. II. *de*

de Crodone et Venere idolis exponit. Crodonem a pag. 126-128. et p. 129. ac 130. Venerem deſcribit, ita vero ut perlectis *Schedio de diis Germanorum*, et *Keysleri antiquitatibus Septentrionalibus et Celticis*, *Torquati* nugis non indigeamus. Cap. III. *firmatam pacem inter Sclavos, et Saxones* commemorat, *et de imperato verae religionis cultu per Carolum magnum*, nonnulla tradit. Vita *Luidgeri* Epiſcopi Oſterviceenſis (p. 131.) ex Crantzio deſumta eſt. Cap. IV. *de oppido Oſterwico.* Primum de nomine ipſo oppidi multa diſputat, (p. 132. et 133.) profert multorum fabulas, et addit iis ſuam coniecturam, deinceps (p. 134 — 138.) omnes partes huius urbis copioſa oratione deſcribit. Cap. V. *de veteri Romanorum caſtro Magdeburgk* coniecturis nititur, ab omni veroſimilitudine longe alienis. Se vero plane ipſum ſuperare videtur Torquatus Cap. VI. *de Etymologia urbis Magdeburgenſis*, nugarum, et ridicularum opinionum pleniſſimo. Cap. VII. *Saxones ſeditioſos, ſed ad obſequium a Carolo magno redactos fuiſſe*, docetur. Cap. VIII. *de Iure Weſtphalico* exponit. Exiſtimat Auctor (p. 150.) ſecundum communem opinionem, quam etiam nuper Vir clariſſimus Friesleben iterum defendit in commentatione: **Verſuchte Beſtätigung der alten Meynung, daß die heimlichen Gerichte in Weſtphalen von Carln dem Großen geſtifftet worden,** originem Iudicii *Vehmici* in Weſtphalia *Carolo* magno eſſe tribuendam. Sed quam multa contra hanc ſententiam dici poſſint, et quam incerta ſit origo illius iudicii, inter omnes ſatis conſtat. Cap. IX. explicat *quaedam ſpectacula publice exhibita in his regionibus, inprimis Pyramidem deiectam e columna.* Horum ludorum ex auctoritate Torquati iam mentionem fecit Meibomius, in commentatione de *Irmenſula Saxonica* cap. IX. et X. Vocantur noſtra lingua **das Kegelwerffen,** et origo horum ludorum non accurate poteſt definiri. Celebrabantur vero Halberſtadii quotannis, Dominica Laetare, a Canonicis, qui in loco plano pyramidem quandam columnae impoſitam eiaculatis fuſtibus deiicere tentabant. In memoriam religionis Chriſtia-

 nae

nae hi ludi inſtituti fuerunt, et floruerunt Halberſtadii usque ad *Iohannis Alberti* Marchionis Brandenburgenſis tempora. Cap. X. *de Dracone in Halberſtadio.* Figura quaedam Draconi ſimilis ab artifice facta, circa domos Canonicorum, ab aliquo geſtata, vagabatur, ita antiquitus; deinceps vero in ipſa urbe hoc factum fuiſſe p. 154. legimus. Ille vero ritus in memoriam liberationis noſtrae a diabolo inſtitutus, ſub *Sigismundo*, Marchione Brandenburgenſi, ob abuſum abrogatus fuit. Cap. XI. *de Combuſtione Cupparum in Magdeburgo.* Deſcribit primum hunc ludum p. 154. et 155, cuius ratio breviter ita comparata fuit. Erigebantur in medio fori duae *cuppae*, ac ſtramine atque ligno replebantur, deinde a piſcatoribus, piſtoribus, aliisque opificibus, funes corticei in praeſentem hominum turbam proiiciebantur, quos cum plures ſimul arripiunt, nec alter alteri facile cedit, tamdiu nudis pugnis ſeſe invicem contundunt, donec unus eiusmodi funes aliquot obtineat, eoque medium ſeſe conſtringat. Ad illum modum plurimis inſtructis, tandem e curia deſcendit magiſter fori, qui praecipuus eſt inter lictores, et longo ordine ſeſe manibus in iſtos funes iniectis trahentes, gyratione quadam circa illas *cuppas* incenſas circumducit. Deinceps p. 155. et 156. nonnulla narrat de Saxonia a Carolo magno in Provinciam redacta, et in VIII. Epiſcopatus diviſa. Cap. XII. *de Ariſtocratica Republica ante tempora Caroli magni imperatoris.* Primum p. 156. deſcribit Dominatus intra Rhenum et Weſeram, poſtea p. 157. intra Weſeram et Albim, porro p. 158. in Hercynia Saxonica, denique eadem pagina in montibus Haſſiacis. Cap. XIII. *de legibus, ad quas Saxones inde a Carolo magno usque ad hanc aetatem gubernantur.* De Corpore Iuris Saxonici in tres partes diviſo, de Iure Provinciali, Iure municipali, et Iure Feudali ſermonem inſtituit, et a nugatore illo ac hiſtoriarum plane rudi, Rebkovio, mire deceptus, Conſtantinum magnum et Carolum eodem cognomine, Auctores et Conditores Speculi Saxonici, Ottonem II. Iuris municipalis, Fridericum Barbaroſ-

ſam

ſam Iuris Feudalis Saxonici, auctores celebrat. Cap. XIV. quod continet *confutationem ſententiae Alberti Crantzii, qui conſtitutas leges Iuris Saxonici negat per Carolum eſſe*, et fabulam, ſive Caput XV. *de Statua Rolandina*, et Rolando ipſo, tuto ſilentio praeterire poſſumus. Caput XVI. *de Halberſtadio civitate* exponit. Ab urbe Oſtervico Epiſcopatus, imperio Caroli, ait p. 165. Halberſtadium fuiſſe translatum; deinde de ſitu ipſius urbis Halberſtadii p. 166. et 167. de muris, ac partibus illius p. 168. de templis, monaſteriis, ac ſacellis p. 169. et 170. multa enarrat. Cap. XVII. *de doctrina et gubernatione Hildegrini Epiſcopi.*

Primum de vita huius viri p. 171. de doctrina illius, de gubernatione Epiſcopatus, de fatis religionis in his terris p. 172—174. nonnulla commemorantur; indicat deinceps p. 175. libros quos conſcripſit, unum *de vita, moribus, et officiis hominum religioſorum*, etc. alterum *de moribus et diſciplina Sanctimonialium.* Cap. XVIII. *de Ludovico Pio Imperatore Romano.* Pietatem eius ex fundatione monaſteriorum, aliisque eiusmodi rebus, demonſtravit. Caput XIX. *de Thietgrino Epiſcopo ſecundo Halberſtadenſi.* Laudatur inprimis eius auctoritas (p. 181.), qua in Germania floruit. Cap. XX. de Haymone, Epiſcopo Halberſtadienſi tertio. Inſtituit ille (p. 183.) ſecundo ſui Epiſcopatus anno, monaſterium ad Bodam fluvium, in memoriam et honorem S. *Wiperti*, Abbatis Hersfeldenſis primi. Quod eſt primum monaſterium in his duobus Epiſcopatibus, Magdeburgenſi et Halberſtadienſi. Bibliothecam porro (p. 184.) fundavit. Pag. 185—188. deſcribit deinde, ſed valde breviter, Hiſtoriam nonnullarum rerum memorabilium, quae Epiſcopo Haymone in his terris acciderunt. Cap. XXI. *de Hildegrino iuniore, vel ſecundo eius nominis Epiſcopo, quarto Halberſtadenſi:* magnificentiſſimum ille templum (p. 188.) ab anteceſſoribus ſuis conſtrui coeptum, aliorum Epiſcoporum liberalitate, ad ſummum eduxit faſtigium, quod a monaſterio vocatur Ein Münſter. Enarrat paulo poſt pag. 189—193. electiones Pontificum his temporibus factas.

Deni-

Denique p. 193. et 194. ſatis ieiune nonnulla de quatuor purgationum generibus in iudiciis adhibitarum traduntur. Capite XXII. *Eginolphus Epiſcopus quintus Halberſtadenſis* tamquam vir (p. 194.) feliciſſima dicendi ratione praeditus collaudatur. Cap. XXIII. *de Sigismundo Epiſcopo Halberſtadenſi ſexto.*

Erat ille vir varia doctrina conſpicuus, adeo ut (pag. 197.) pleroſque Germaniae Epiſcopos antecelleret. Liberat poſtea (p. 196.) hunc Epiſcopum a ſuſpicione, ex qua dicitur, ſe, ſuamque familiam aluiſſe arte pictoria, atque ſcriptoria. Cap. XXIV. *de inſtitutione Burggravionatus Magdeburgenſis.* Temporibus ait p. 201. *Conradi I.* circa annum Chriſti 912. inſtitutus eſſe videtur Burggravionatus Norimbergenſis; hac ſtirpe Burggraviorum ad annum Chriſti 1274. deficiente, Imperator *Rudolphus I.* eum contulit ſororio ſuo Comiti *Friderico de Zollern.* His explicatis pag. 202—206. nonnulla *de officio Burggraviorum et Pfaltzgraviorum* ediſſeruntur. Cap. XXV. *de Hungaris, et antiqua turri lateritia in monaſterio Mariae Magdalenae ad Albim, in urbe Magdeburgk.* Deſcribit expeditiones Hungarorum, inprimis vero bellum illud notiſſimum cum *Henrico I.* et praelium prope Martisburgum.

Caput XXVI. *de Bernhardo Epiſcopo VI. Halberſtadenſi.* Sub eo pag. 211. Monaſterium in Weſter-Gröningen ad Bodam, cuius fundationis litteras p. 212. legimus, inſtitutum fuit: p. 213—215. explicantur res geſtae *Henrici I.* denique p. 215—218. de Oppidis *Gröningen*, et *Croppenſtdde* in Epiſcopatu Halberſtadenſi exponit. Caput XXVII. *de fundatione Monaſterii Bergenſis ad Albim.* Anno 936. (p. 219.) ait, Otto I. fundavit in honorem S. *Mauritii* et *Innocentii* martyrum monaſterium in Magdeburgk, quod nunc extra urbem poſitum in loco editiori ad Albim in meridie monaſterium Bergenſe dicitur. Profert deinceps litteras Fundationis, quas ex hiſtoria atque Geographia (p. 220—225.) illuſtravit.

Per-

Perlectis igitur diligenter his Torquati Annalibus, quid de eiûs fide, gravitate rerum propoſitarum, et denique conſilio Editoris ſentiamus, lectoribus breviter indicabimus. Edidit ante paucos annos Vir hiſtoriarum intelligentiſſimus, *Semlerus*, librum, ſi externam formam ſpectes, exiguum, ſi rerum explicatarum gravitatem, valde egregium: Verſuch, den Gebrauch der Quellen in der mittlern Geſchichte zuverläſsiger zu machen, Halle 1761. In univerſum eo in libro recte obſervat, exemplisque illuſtrat, Scriptores Hiſtoriae medii aevi, unum alterum ſaepe ad verbum deſcripſiſſe, accuſatque inde iure Editores Collectionum ſcriptorum rerum Germanicarum, eorumque adeo levem curam, ut ſaepe perlecto uno alteroque Scriptore, reliquis omnibus non indigeamus. Vellemus igitur ut cel. Editor, haec Semleri praecepta ſequutus, fabuloſa et ſexcenties iam enarrata, Torquati, omiſiſſet, eaque tantum edidiſſet, quae nova aliqua ex parte videantur, et tum quatuor plagulis abſoluti fortaſſe fuiſſent hi Torquati Annales. Hoc monere ideo neceſſarium duximus, quoniam ex praefatione ſatis copioſa, ſed ſatis etiam coniecturarum plena, *de origine gentium*, intelleximus, Editorem plura monumenta hiſtoriarum, nondum edita, evulgaturum eſſe.

DE MUSAEO PHILIPPI FARSETII, PATRIC. Veneti, Epiſtola Natalis LASTESII (delle Laſte), illuſtriſſimi Piſani Bibliothecarii, ad clariſſimam Cortonenſium Academiam.

Quam hic integram damus, eruditiſſimi LASTESII, de PHILIPPI FARSETII Muſaeo, Epiſtolam, eam credimus Lectoribus noſtris gratiſſimam fore, quod non ſolum in paucorum manus venit, edita Venetiis; ſed etiam, atque inprimis, propterea, quod non ſolum de ipſo illo Farſetii, Viri illuſtris, inſtructiſſimo Muſaeo, ſed et de omni re antiquaria, tam eleganter, et tam ſcite diſſerit, ut, qui de tali argumento, his

his annis, tam eloquenter, tamque latine ſcripſerit, fateamur nos noſſe neminem.

Cum primum de Muſaeo *Philippi Farſetii*, *Cortonenſes* eruditiſſimi, ad vos eſt allatum, credo ego ſingulos et univerſos magnam animo voluptatem cepiſſe, quod Etruſca Academia veſtris conſiliis inſtituta, non modo litteratorum ingenia, ſed etiam Mecaenatum ſtudia excitarit. Ac ſi *Honuphrii Baldellii* memoriam, doctiſſimi ac liberaliſſimi veſtri civis, pie ſancteque colitis, qui Muſaeum omnigena antiquitatis copia refertum inſtruxerit, ac patriae legaverit; non dubito, quin *Farſetium*, pro ea, quam geritis in tota Italia, antiquorum operum atque artium cura et tutela, veſtrorum annalium monumentis dignum iudicetis. Quid enim admirabilius, quam privatum Venetiis civem extitiſſe, qui potentiſſimi Gallorum Regis Ludovici XIV. imitator, ac prope aemulus, gypſea exempla in urbe Roma antiquis e ſtatuis exprimenda ſuſceperit? Quod cum ſedulo curaret ſtudio incenſus incredibili earum artium, quae imitatione conſtant, cum in priſcis monumentis diu multumque verſatus, abſolutiſſima quaeque deſignaret ad opus, fictores diligentiſſimos atque elegantiſſimos conquireret, cum adeſſet, praeciperet, urgeret; facile potuit intelligi, quo eſſet animo atque ingenio, quantum opibus, auctoritate, gratia valeret. Ac Regi quidem Ludovico ita fingendarum imaginum facta copia, certis tamen ut ſtatuis abſtineret: cum *Farſetio*, quod vix credibile videretur, actum liberalius a Pontifice, ut quas maxime vellet, ſive e Capitolio, ſive reliqua ex urbe, gypſo induceret. Itaque ſingula quaeque antiquae artis miracula in Muſaeum feliciter illata. Neque vero moenibus Romanis ſe continuit, ſed e Latio, ac veſtra praeſertim ex Etruria, praeſtantiſſimi cuiusque operis typos comparavit: ac ſi quid eius generis eſſet venale, coemit ingenti pecunia. Sed cum maius quiddam animo agitaret, ac recentiores artifices intelligeret cum Graecis ac Latinis de ingenii laude cer-

Digitized by Google

certaſſe, ſimulacra iuſſit effingi e probatiſſimis illorum ſtatuis, quibus nihil deeſſet, praeter antiquitatis auctoritatem. Hoc induſtria eſt conſecutus; illud etiam fortuna, ut adumbratas ſtatuarum formas ex argilla, quas ſummi ſculptores reliquiſſent, ſtudioſe conquiſitas colligeret. Anaglyptis quoque eſt uſus, et excellentium pictorum tabulis propter artium cognationem; ac divina quaedam Urbinatis praeſertim et Annibalis Caraccii deſcribenda curavit. Hunc tanquam theſaurum Venetias cum deportaſſet, ſuisque in aedibus propoſuiſſet, ita perculit oculos animoſque rei magnitudo, ut famam atque exſpectationem longe ſuperarit. Nolo hic ſtatuas ſingulas percenſere, et quae cuiusque ſit in maxima varietate praeſtantia explicare, ne ſus Minervam, ut dicitur. Nam omnino totum hoc quantum ſit, eruditiſſimi Viri, intelligitis. Neque vero novi quidquam, ut in re eiusmodi, quod veſtri inſtituti eſt, artificum, aut eruditorum ſtudiis afferrem. At de *Farſetii* conſilio, quod Roma in patriam reverſus ſtatim aperuit, tacere non poſſum. Neque enim haec ille, ut plerique, aut ad animi voluptatem, aut ad magnificentiae oſtentationem paravit; ſed ut noſtrorum hominum ingenia, ad optimas artes impenſe excolendas, quodam veluti ludo domi inſtituto excitaret. Quod quidem et veſtrae Academiae conſilium ſemper fuit, non modo ut lux monumentis caligine obrutis, ſed etiam praeclaris artibus de veteri dignitate deiectis ſplendor accederet: quorum alterum ad eruditionis copiam, alterum ad vitae elegantiam, ad urbium utilitatem ac decus pertineret. Equidem optimum civem Aemilio, Lucullo, Catulo, Antonio, Metello, Mummio, Agrippae denique ac Caeſari, facile antepono, qui ſigna ac tabulas ſummorum artificum ex Graecia atque Aſia Romam advexere, templa, forum, urbem ut ornarent, non ut artes ipſas foverent: quibus aliquanto ſerius Romani animum adiecerunt. Quare hoc Mecaenate, atque his praeſidiis, quibus hactenus caruimus, praeclarum

Digitized by Google

rum tandem aliquid ac ſingulare Venetorum ingenia mihi videntur polliceri. Iamdiu quidem viguerunt, neque etiamnum defloruere inter nos optimae artes: ſed, ſi verum fateri volumus, illi ipſi principes, Titianus, Paullus, Baſſanus, ita laudantur, ut ipſa tanti operis fundamenta non ſatis firma poſuiſſe iudicentur. Nam delineandi rationem, (niſi forte Tintorettum excipias,) et ſymmetriae ſtudium, ſine quo nihil fuit unquam ſolidum, nihil numeris omnibus abſolutum, levius aliquanto attigiſſe; ſive feſtinatione quadam praefervidi ingenii, ſive optimorum exemplarium inopia, ſive quod, ut Eupompus cenſebat, naturam ſpectandam eſſe, non artificem, exiſtimarent. Itaque colorum, umbrarum, luminum curioſos, cum oculos caperent, cum varietate et copia, ſaepe etiam magnificentiae quadam ſpecie delectarent, de ſevera illa corporum adumbratione, tum de moribus, de affectibus, non magnopere laboraſſe. At illi tamen, etſi a perfectione ſummorum operum abeſſe viſi ſunt, artis dignitatem pro virili ſuſtinuerunt, ac digni ſunt habiti, quibus non raro Florentini, Bononienſes, Romani, colorandi magiſtris uterentur. Quid noſtra haec aetas? Nolo quidquam dicere invidia dignum. Sed tamen tantum abſumus a noſtris illis magiſtris, quantum eos vix crediderim a Graecis abſuiſſe. Ita enim fit ſingulis fere in artibus, ut cum a ſummo paullum diſceſſeris, ſenſim vergas ad imum. Nam ſive optimarum rerum ſatietate, ut in epulis; ſive deſperatione eius laudis, quam alii praeripuerint; ſive etiam alienae imitationis contemptu, ingeniique fiducia, ſubit novandi libido, gliſcitque in dies, ac tandem impune graſſatur, et depravata magiſtrorum ingenia diſcipulos alunt deteriores. Quem enim, ut nunc eſt, Titiani ſaltem diſcipulum agnoſcas? An non plerique a Caravagio toti ſunt, ac ſeverum illud reſpuunt ab adoleſcentia ducendarum ſtudium linearum? Alia quippe cura tenet audendi ornandique contentos laude imperitae multitudinis. Quanquam mirari deſino aberraſſe noſtros a

veterum

Digitized by Google

veterum ratione ac via, quam certis veſtigiis nunquam tenuerint, cum vel Romae peritiſſimi omnium duces ac magiſtri, Raphael et Michael angelus, deſerti aliquando fuerint, Graecorum opera paene ludibrio habita, ac monſtra et portenta elegantiſſimas artes miſere foedarint. Quae lues non ante depulſa, quam ingenia iuventutis ad veterum ſtatuarum imitationem per Caraccios revocata. Sic et eloquentia, et poeſis, et ceterae diſciplinae, quae eadem veluti contagione morbi contabuerant, iisdem plane remediis convaluere; tamdiu integra uſurae valetudine, quoad a Graecis et Latinis non diſcedent. Igitur et priſcum decus praeclaris artibus reſtitutum, et ſuus Romae honos habitus, cui ſe in diſciplinam optimi quique tradiderunt. Haec Puſſinum, Brunum, Groſium, haec Quesnoyum, Bononiam e remotiſſimis provinciis ad ſe invitavit. Ex Etruſcis vero et Bononienſibus, poſt immortales viros, Urbinatem, Bonarotium, Caraccium, nemo fere pingendi caelandique laude excelluit, quin ex eodem ludo prodierit. Ille ipſe Coregius, magnifico ingenio, atque imitator naturae feliciſſimus, quanto fuiſſet praeſtantior futurus, ſi Romam vidiſſet? Sed aliis defuit animus, aliis facultas: quanquam ne inopia quidem deterruit Philippum Lappium et Donatum, Florentinos, qui praedio vendito Romam diſcendi cauſſa commigrarunt. Venetos Roma arcuit non tam fortaſſe ingenii fiducia, quam longinquitas regionis: praeter admodum paucos, Palmam iuniorem, ac patrum noſtrorum memoria Bambinum praecipue et Baleſtram, eius urbis non ignaros: ſed ille tamen torrente veluti abreptus deſcivit a ſimplicitate naturae; hi vero converſis repente in umbrarum horrorem omnium ſtudiis, relicti ſunt in arena prope ſoli. Nunc certe Romae deſiderium minuit *Farſetius*, qui praeclara quaeque monumenta eius generis ad vivum expreſſa propoſuit: cui typi etiam, cui opifices, ad recudendas, ſi opus fuerit, imagines, praeſto ſunt; quo commodo et ad fortuitos caſus ſubſidio carere

Digitized by Google

coactus fuit Ludovicus XIV. qui de gypſeis formis aſſervandis minime cogitarit. Ac ne nunc quidem ceſſat, neque Roma ſolum, ſi quid antiqui operis effoſſum fuerit, ſed etiam ex Hiſpania formas arceſſit. Nuper quis ignorat quid egerit, ut Veneris Mediceae imaginem referre in gypſum liceret; quam ſollertem artificem Florentiam miſerit, quantos unum in ſimulacrum ſumtus fecerit? Miratos credo Florentinos Veneto in cive ſuorum Principum indolem, Laurentii, Coſmi, Franciſci, Leopoldi; at nos miramur multo magis, qui has inter Muſaei curas molimina illa intuemur Salenſis Villae, tamque novam, tam multiplicem, tam elegantem agriculturae ſpeciem, ut hortos Luculli, aut Pompeii, minime requiramus. Sed pares nimirum ſunt et opes et animus utriusque operis magnitudini. Etſi autem Gallorum ingeniis plus aequo fortaſſe curioſis Rex Ludovicus ſatisfacere non potuit, niſi adoleſcentes Romae inſtituendos curaret; noſtri quidem homines, ut ſpero, magnam *Farſetio* gratiam habebunt. Iam enim ventitare ad eius aedes, capi pulchritudine et copia, haerere, meditari, deſcribere, detegere veterum artium veſtigia, aliam quandam rei totius imaginem animo ſenſim complecti. Quod ſi guſtare haec coeperint adoleſcentes artifices, ſi delineandi rationem non craſſa, ut antea, Minerva, ſed prope ſuperſtitioſe perſequentur, ſi de corporum habitudine, et apta ac venuſta ſingulorum membrorum conformatione fuerint in primis ſolliciti, equidem video quo Veneti ſculptores pictoresque, vetera exempla perſecuti, ſint progreſſuri. Quid artes illis affines? quid ſtatuaria? quid toreutice? quantum dignitatis ac pretii in poſterum ſunt habiturae? Omnino fundendi, caelandi, fingendique tota ratio, quam late patet, diligentior et caſtigatior urbi famam pariet. In auro, in argento, in aere, aut ebore, aut ligno, temere nihil fiet. Illa ipſa leviora opera e cera, e gypſo, ex argilla, non rudia ingenia diu exercebunt, neque Rhodiis et Samiis olim fortaſſe invidebimus.

bimus. Hinc et nummis, in quibus affabre cuſis quaedam imperii dignitas elucet, et pictis acu veſtibus, et vitro figuris torno facile inductis, aut maſſa in candente fictis, gratia maior accedet. Noſtri etiam typographi ſuos libros, ſi ſapient, elegantioribus tabulis commendabunt. Videte quantum fructus in omnem partem, et ad rationem commerciorum, et ad urbis exiſtimationem, e delineandi ſtudio, atque e *Farſetii* Muſaeo percepturi ſimus. Sicyone quidem, cum huiusmodi ſtudiis, ſummisque opificum ingeniis floreret ea civitas, viliora quoque artificia magnam elegantiae laudem tulere. Quare non modo ſigna, tabulae, toreumata, ſed calcei etiam Sicyonii celebrantur. Neque ego tantam artium excellentiam Graecorum duntaxat ingeniis tribuo, ſed optimae inſtitutioni. Lex enim lata, ut ingenuus quisque adumbrandarum imaginum praeceptis imbueretur: cuius exercitationis fructus habitu quodam mentis, et acri ad quaevis perficienda iudicio in omnes vitae partes redundaret. Utinam Graecorum hunc morem Veneti imitentur, ac nobiliſſimum quemque adoleſcentem ſubeat ardor eius inſtitutionis; neque alienum a ſe putet delineandi artem attingere, quam ubique viri principes, in Italia praeſertim Medicei, adamarunt. Interim ſculptores pictoresque, quibus praecipue conſultum voluit Mecaenas liberaliſſimus, praeeant exemplo, atque operi perficiundo ſtudeant. Habent illi quidem aliud quoddam exercitationis genus non ſane inutile, ſed ad id, quod quaerimus, non ſatis opportunum. Nam qui nuda corpora ſibi proponunt, ac veritatis ſpeciem conſectari ſe putant imitatione naturae, exquiſitam tenere ſymmetriae rationem nullo modo poſſunt. Niſi forte exiſtimant naturam, quae egregias pulchritudinis ſpecies ſubiiciat, tradere etiam artem easdem aſſequendi imitatione. Quanquam quae tam perfecta exemplaria, quam uno in corpore ſingulorum membrorum veluti harmoniam, nihil ut offendat, nihil ut addi poſſe videatur, natura ſuppeditarit? Atqui in

hoc

hoc maxime Graeci elaborarunt, ut cum a natura minime diſcederent, naturam ipſam arte perficerent. Nihil illi mediocre ac vulgare unquam moliti ſunt; ſed, quod de Zeuxide et Polycleto accepimus, quidquid pulchrum et ſingulare diſperſum eſſet ac diſtributum, in eximiam illam, quam habebant in animo, pulchritudinis ſpeciem conferebant. Igitur diu obſervando meditandoque cum ad unguem caſtigatas a natura paſſim hauſiſſent proportiones compoſitionesque membrorum, in deorum praeſertim atque heroum imaginibus eiusmodi ideas animo finxere, ut aliquid ſupra naturam conari viſi ſint. Hinc ille in Graecis ſtatuis prope motus ac ſenſus, hinc illa elegantia ac venuſtas, ſine qua frigeat ars neceſſe eſt, neque tradi tamen arte poteſt. Si qua reliqua ſpes eſt tam egregiae laudis, in Graecorum imitatione tota eſt, cum quidem ad praeclarum ingenium ſummum ſtudium acceſſerit, ac diuturna exercitatio: quod ille primus Italorum Raphael intellexit, atque adeo perfecit. Quare Caravagio tandem noſtri homines, quemadmodum ſpero, valedicent, atque in Graecis imitandis imaginibus divinum pingendi artificem ducem ſequentur. Hactenus vel temporum conditio veniae locum fecerit, vel exemplarium inopia; cum ne Muſaeum quidem d. Marci, quod eruditiſſimus Zanetius illuſtravit, par videretur tanto operi. Nunc iam Roma atque Graecia verſantur ante oculos. Ac primum trium opus artificum, Ageſandri, Polidori, Athenodori, ſeſe offert Laocoon; quem Pariſienſis Academia Graecis omnibus ſtatuis, quae quidem ſuperſint, iure antepoſuit: in quo et virilis corporis eximiam conformationem, et elegantiſſimas capitum praeſertim formas, et vivam horroris, cruciatus, acerbiſſimique doloris imaginem, ut vel extremis in pedibus ſigna appareant, mirentur imitenturque. Hinc Gladiator aetate vigens, in ipſo pugnae ardore, virilia membra, robur, ac toros, pro contentione qua exſtantes, qua depreſſos, ſenſumque atque animum una cum venuſta totius habitudine

dine corporis oſtentabit. Contra Gladiator alius lethali vulnere proſtratus, ferox adhuc in dextrum ſe cubitum aegre attollens, telo e manibus elapſo abiectus in clypeum oſtendet quantum reſtet animae. At gemini Pancratiaſtae quale artis ſpectaculum praebuerint, ſive manuum ac pedum veriſſimos atque elegantiſſimos nexus conſideres, ſive toroſa membra, motum, vim, impetendi prehendendique ardorem, ſeu vincendi cupiditatem, ſpem, metum emicantem e vultu, tam egregia forma, tam apta compoſitione et diſtributione, ut quacumque aſpexeris oculos capiant. Non video quid fieri potuerit excellentius vel a Rhegino Pythagora, qui Myronem in Pancratiaſtis viciſſe dicitur. Iam unus et alter Hercules, alter Glyconis opus, alter *Apollonii*, illo robore ac ſpiritu, illa elegantia ac maieſtate certatim docebunt, quid ars et ingenium peritiſſimi artificis poſſit ad ipſam naturam adiungere, ut nihil pulchrius, nihil admirabilius liceat excogitare. Quodſi ab ea granditate ad ſimplicem naturae imitationem libeat deſcendere, quid ſimplicius, quid verius, quam hominis ferrum ad cotem acuentis effigies? Quid duo Fauni, alter virili, at vergente iam iam in ſenium aetate, alter tanto annorum diſcrimine elaboratus, ut neque puerum dixeris, neque adhuc tamen puberem? quorum ille ſymmetria, et admirabili totius corporis conformatione, agilique motu ſicinnium iam ſaltantis; hic membris ad aetatis indicium mirifice compoſitis, et ſtatu quodam ſumma cum venuſtate tibiam inflantis te delectat. Iam vero Apollo, Meleager, Antinous, iuvenilium membrorum eiusmodi ſpecimen proponent, ut in ſingulis ſculpturae partibus nihil diligentius, venuſtius, ſuavius videatur poſſe fieri. Quid de Venere dicam, quam Mediceam, quid de altera, quam καλλιπύγην appellant? Unde potius muliebris formae exempla duxeris? Quid Venerem Phidiae quaeras, quid Scopae, quid Agoracriti, quid illam Praxitelis a Nicomede concupitam; cuius viſendae cauſſa concurſus Gnidum fieri ſolebat? In altera

nihil non divinum; in qua Cleomenes Athenienſis id genus pulchritudinis ſubiecit oculis, ut eam Venerem, quam Plato coeleſtem appellat, facile agnoſcas. Altera e balneo vixdum egreſſa, membra detergens molliſſimo linteo, cum ad Mediceae pulchritudinem proxime accedat, apparet etiam habitior aliquanto atque animoſior. Nudi ea corporis exemplaria, quae omnes habeant numeros. Quod ſi cognoſcenda fuerit in ſtatuis et veſtium ratio, et ſinuum ita fluentium, ut ſtatum flexumque membrorum ſponte ſequantur; ponenda ante oculos Cleopatra extremo in ſpiritu veneni vi tanquam ſopita? ponenda Niobe, quam vere dolentem, cum parvula filia, quae territa in matre defigit oculos, ſeque abdit in gremium, non modo capitis et brachiorum, ſed etiam veſtium dignitas ac venuſtas mirifice decet. Neque negligendi Paetus et Arria in illo motu et conatu, dum ille dolore actus et deſperatione concidentem in vulnus exanimem uxorem ſuſtinens laeva, ſibimet enſem dextra adigit in pectus. Quid eſt, *Cortonenſes?* Nonne videor noſtris artificibns, ne in tanta varietate et copia vagentur forte diutius, ad ipſa ſtatim artis faſtigia viam oſtendere? Quis malit ſuopte ingenio per avia et invia naturam perſequi, atque adeo ad carbonem Cleantis, ſi diis placet, redire? Ac ſi Polycletus ſuum illum canona toti Graeciae ſatis fore iudicavit; ſi Guido ad ſummam pingendi laudem vel una Niobe magiſtra uſus fuiſſe dicitur; putatisne in hac tot Canonum praeſtantia Urbinatem nobis aliquem, aut Bonarotium defuturum? Cum enim iis videndis, meditandis, deſcribendis, diu aſſueverint mens, oculi, manus, quae ſint optimae formae via et ratione certa iudicabunt: habebuntque in oculis, quod Michael Angelus ſaepe monebat, corporum proportiones ac dimenſiones, ut Dureri ope non magnopere indigeant. Hinc illa delineandi quidquid mente conceperint promta et expedita ratio; qua careant neceſſe eſt, haereantque diu incerti, ac ſtilum ſaepe vertant in adumbrandis figuris, qui ducendarum linearum his elementis

mentis non ſint imbuti. At quam acri iudicio reliquas etiam ſtatuas perpendent, artifices, tempora, characteres comparabunt! in quo non minus voluptatis inerit, quam utilitatis. Nam et motus varii, et ſtatus, et aetatis cuiusque formae, et affectuum ſignificationes occurrent; nihil ut deſit ad rerum difficillimarum ſcientiam atque imitationem. Cumque intelligent, Graecos ſine maximis Optices et Anatomes praeſidiis, in tam difficili provincia verſari non potuiſſe, eius quoque cognitionis, quantum artis ratio poſtularit, cogitationem ſuſcipient. Quid quod in tam multiplici apparatu aletur etiam ad foecunditatem ingenium, ut promtum ſit, ut varium, ut experrectum, ut ad vividam illam antiquae Graeciae indolem accedat? Et quoniam in huiusmodi artibus in primis videndum eſt, quo quemque maxime ipſa ferat natura; eum ſibi quisque deliget e tot magiſtris, cuius potiſſimum velit eſſe ſimilis. Nam pro ſuo quemque ingenio alios ſimplicia, alios grandia, quosdam ſuavitas et quidam lepos, quosdam grave neſcio quid, aut ſeverum et vehemens, delectat. Hinc Hercules ille truncus Bonarotii deliciae, quod ad indolem, credo, magis faceret graviſſimi artificis; ut vel ſenex et captus oculis ad eum ſe duci identidem vellet, easque divini operis reliquias ſaltem contrectando incredibilem voluptatem hauriret. Quem quidem Bonarotium, ſi mollius quoddam ſculpturae genus eſſet aggreſſus, aut in pingendi artificio totum ſe Raphaeli dediſſet, non puto ad eam laudem fuiſſe perventurum: neque eius imitatorem Tibaldum futurum aliquo in numero, ſi Parmenſis Veneres ingenio diſſimili aemulari maluiſſet. Ac ſi quis ſimplicem imitationis viam ingredi voluerit, magnae hoc ipſum laudi ſciet futurum, cum intelliget Michaelem Angelum ita veteres imitatum, ut dubium de aetate operis aliquando iudicium reliquerit. Sin vero, quod magni ingenii eſt atque elati, ex illis imitationis anguſtiis in apertum veluti campum animoſus artifex proſiliet, quam nova, quam pulchra afferet, quam admi-

 rabilia,

rabilia, ex omnibus tamen antiquae artis formis expreſſa! Sed haec aggredienti tam magna ac difficilia, et ad picto-ris aut ſculptoris laudem minime vulgarem contendenti, illud maximo documento fuerit, praeſtantiſſima quaeque eorum artificia ante oculos ponere, qui Romano e ludo prodierint, et quantum et unde profecerint intueri. Quis enim celeberrimam Chriſti Servatoris imaginem, cuius exemplum Roma ex aede Minervae ad nos eſt allatum, attentius conſiderat, quin Bonarotii granditatem admiretur, atque unum ex omnibus in intimos artis receſſus penetraſſe fateatur? Quid Bacchus Iacobi Sanſovini? quem propter diuturnum Venetiis domicilium, noſtrum prope appellaverim. An non artis peritia et gratia ad veterum laudem accedit? Ecce tibi ſummi delineandi artificis Ioannis Bononiae Mercurius; et Franciſci Queſnoyi D. Suſanna ex aede Lauretana in urbe Roma; multorum opus annorum, in quo Uraniae Capitolinae imitationem deprehendas minime ſervilem. Neque vero minus ingenii atque elegantiae in pulcherrima d. Bibianae ſtatua oſtendit diligentiſſimus antiquorum imitator Berninus. Has atque alias recentiorum imagines qui fuerit admiratus, non dubito, quin in adumbratis quoque eorum formis ex argilla, (quam artem Praxiteles ceterarum matrem appellabat,) ſit immoraturus, et inveniendi ſollertiam, et primas operum lineas, et ponendarum figurarum rationem perveſtigaturus. Huc accedent Raphaelis, Guidi, Iulii, Annibalis tabulae ſumma fide deſcriptae; magnum documentum, nihil magni poſſe effici ſine delineandi artificio, et Graecorum operum ſtudio: neque vero ingenium noſtris hominibus, ſed Romana praeſidia et optimos duces defuiſſe. Nam ſi qui verentur, ne haec deſcribendarum ſtatuarum exercitatio id afferat incommodi, ut ſicci demum ſint, ut duri, ut ſuperſtitioſi; timeant, per me licet, hoc periculi tardiora ingenia, hoc eſt ad has artes minime nata: at qui ingenio valent, (valent autem noſtri plurimum, abſit verbo invidia,) non modo illam, quam quaerimus,

-mus, ſymmetriam, ſed ſpiritum ac felicem quandam audaciam, omnesque artis veneres elegantiſſimis e formis arripient. Quanquam non modo non repugno, ſed etiam vehementer hortor, ut cum ingenium manumque in ſtatuis diu ſubegerint, ad nuda etiam corpora induſtriam convertant, tanto utilius, quanto fuerint a primis recte inſtitutae diſciplinae elementis paratiores. Hinc enim fiet, ut perfectis imbuti Graecorum formis, quaedam pro re nata emendare poſſint ipſa in natura, et ſeligere optima, et addere non raro meliora. Sed tamen video, (ut hominum ſunt mores et ingenia,) non multos fore ex veteranis, qui eiusmodi in re agant ex fide bona. Habet enim aliquid naturalis pudoris, quae imberbes didicerint, ſenes perdenda fateri, et tanquam a calce ad carceres revocari: praeſertim cum neque laus deſit, neque pretium quorundam tabulis. Non invidemus navis hominibus lucellum, ne gloriam quidem. At nec ipſi tyronibus optimum inſtitutionis genus invideant *Farſetii* munificentia conſtitutum: non invideant huic urbi eam laudem, ad quam demum aditus eſt patefactus: neque diutius patiantur Venetis pictoribus obtrectari. Neque vero adoleſcentes artifices nefas putent movere ſe veſtigio, atque a magiſtri latere diſcedere. Nam ſi Michael Angelus Ghirlandario, Raphael Peruſino, Titianus ipſe, Bellino fuiſſent contenti, quid tandem novi ac magni attuliſſent? Atque eorum quidem ſtudiis vir patriae amantiſſimus ita conſulet, ut quemadmodum probatiſſima exemplaria praeſto eſſe voluit, ita neque deſint magiſtri peritiſſimi, qui totius rationis ignaris facem praeferant, ac veluti manu ducant. Namque ea aetas plerumque indocilis, tum laboris non ſane patiens: confidens praeterea ingenium, et praepropera ad colores et tabulas feſtinatio. Urget ſaepe laudis ambitio, non raro egeſtas. Igitur feſtinare ad opus, quidvis audere. Hic vero nihil feſtinandum; nec totae ſtatuae horae momento, ut ita dicam, devorandae: at diu haerendum in membris ſingulis, ac labore improbo deſcri-

Digitized by Google

bendae iterum ac ſaepius partes, oculi, frons, aures, manus, pedes, cetera. Hinc enim fiet, ut illas etiam in minimis argutias aſſequantur, e quibus membrorum gratia efflorescit. Num igitur tyrones, quorum fere praeceps ingenium, operam ludent? Honos alit artes, inquit Tullius: quid ſi quaeſtus multo magis? Magna quidem ſpes eſt, (namque ea fama percrebuit,) *Farſetium* adoleſcentibus, qui inſtituto certamine viſi fuerint delineandi peritiſſimi, ſua praemia quotannis propoſiturum; daturum iudices in eam rem, ſuumque beneficium perpetuum ut ſit curaturum. Nihil enim ſplendidi ac munifici ditiſſimus idem ac ſapientiſſimus civis a ſe alienum putat. Haec de *Philippi Farſetii* Muſaeo atque conſilio viſum eſt ad vos ſcribere, *Cortonenſes* eruditiſſimi. Nam pro veſtro in antiqua monumenta ſtudio rem tantam exiſtimavi libenter cognituros, et hanc apud nos fortunam iis artibus, quarum vos tangit honos, gratulaturos: praeſertim cum Etruriae veſtrae laus cum *Farſetii* nominis fama coniuncta eſſe videatur. Nam *Farſetia* Gens multo antiquisſima inter Etruſcos, cum Lunae primum, tum in agro Florentino, Luna diruta, Maſſae deinde ac Romae generis claritate, divitiarum copia, prudentiae laude atque doctrinae, Italorum Principum gratia floruiſſet, Patriciis Venetorum familiis iamdiu adſcripta, morem avitum, ac ſingularem quendam amorem in bonas artes ac litteras perpetuo retinuit: ut et *Ioſephus*, et *Daniel*, ornatisſimi fratres, *Philippi* conſanguinei, politioribus litteris apprime exculti, *Iulii*, *Andreae*, *Coſmi* ingenio, eruditioni, famae, reſpondeant. Quare Etruſcae Academiae gloriari licuerit nobis non invitis, artes imitatrices antiquitus ab Etruſcis non minus, quam a Graecis, Romam invectas; reſtitutas per Etruſcos Romae atque Italiae; nunc demum Venetiis, per Mecaenatem Etruſci generis, maximis praeſidiis inſtructas atque ornatas fuiſſe. Valete, et rem antiquariam, ut facitis, ſtrenue curate.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

MONITUM DE ICONIBUS, ANIMALIA,

ex Muſeo Academiae Lugduno-Batavae deſumta, picta exprimentibus.

Ita nunc floret Hiſtoriae Naturalis ſtudium, ut ubivis fere colligantur, et cum cura ſerventur, quae huic Scientiae illuſtrandae inſerviunt, cum Animalia, tum Foſſilia. Quae vero non facile comparari poſſunt, iconibus, aeri inciſis, fuere expreſſa; et hae avide a rerum naturalium amantibus ſunt exceptae ac coemtae. Unde forſan evenit, ut earum numerus nimis fuerit auctus: confectae etenim ſunt non paucae, quae corpora, quotidie obvia, exhibent; quod non improbo: nam licet exinde non perficiatur ſcientia, emolumentum tamen quoddam in artes liberales redundat. Verum caeteris paribus, magis utilitate ſua erunt commendandae Tabulae, in quibus illa ſola quae rara, et a paucis videnda, oculis ſubiiceentur.

Tales in lucem edere conſtitui. A pluribus retro annis operam dedi, ut in gratiam noſtrae Iuventutis Academicae, quot poſſem ex illis quae Natura ubivis ſuppeditat curioſitate digna, colligerem. Nec in caſſum laboravi. Faventibus enim illuſtribus noſtrae Academiae Curatoribus, non ſecus ac Societatis Indiarum Orientalium Moderatoribus, qui benigne annuerunt, ut ſuis Navibus transferrentur quae a maxime remotis orbis regionibus ad me mittebantur: licuit ſic mihi in Academiae Muſeum plura congerere, quae in Europa raro admodum, ſi unquam, videntur.

Inter haec ſeligam quae mihi attentione praecipue digna videbuntur, et quae vel nondum, vel imperfecte fuerunt

fuerunt deſcripta. Sedulam navabo operam ut accuratiſſime delineentur, a perito artifice aeri incidantur, atque ad vivum genuinis ſuis coloribus ornentur, ſi modo haud diſpliceat quae nunc prodit Tabula: in hac exhibetur *Hydrotorax Indicus*, cuius roſtrum et caput hactenus tantum fuere iconibus expreſſa.

In Iconibus conficiendis nullo me adſtringam ordine. Indiſcriminatim Aves, Quadrupeda, Piſces, Inſecta, ſub oculos ſiſtent, ſi modo ſint rara, et quid ſingularis exhibeant. Ipſorum Hiſtoriam Naturalem aliis conſcribendam relinquens, ſat habebo in ima Tabula characteres recenſere, quorum ope unicuique illa referre licebit ad claſſes ad quas pertinere opinabitur, ſecundum ſyſtema quod ipſi maxime arridet. Hos characteres, ubi agetur de Quadrupedibus aut Avibus, mutuabor ex clarisſimo *Briſſonio*, qui horumce Animalium Synopſin methodicam, omnium accuratisſimam, in lucem edidit. Idem Auctor mihi ſuppeditabit nomina generica Animalium, infra quae addentur nomina Latina et Gallica maxime vulgaria.

Si maiora ſint Animalia, quam ut vera ipſorum manitudo pictura exprimi queat, ſemper ipſis apponetur ſcala, quae inſerviet exacte cognoſcendis omnibus eorum dimenſionibus. Lugd. Batavor.

GRONOVIUS.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Maji Anno MDCCLXIII.

ΟΝΟΣΑΝΔΡΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΙΚΟΣ. *ONOSANDRI Strategicus, ſive de imperatoris inſtitutione liber, ad Codd. MSs. fidem expreſſus, et ex antiquorum, tacticorum potiſſimum, collatione, notis perpetuis criticis emendatus, nec non figuris aeri inciſis illuſtratus. Accedunt duo indices, unus rerum, alter verborum et locutionum Graecarum, una cum verſione Gallica Liberi Baronis de Zurlauben, ad calcem libri adiecta, cura et ſtudio M.* NICOLAI SCHWEBELII, *Gymnaſ. patrii Rectoris et Prof. Publ.*

Norimbergae, 1762. fol. 1. Alph. 17. pl. Verſio Gall. pl. 15.

Nec poenitendam operam, nec in contemto ſcriptore ſumſit *Cl. Schwebelius*, quem omnia ſcriptoris militaris edendi praeſidia, ad Grammaticam interpretationem neceſſaria, collegiſſe vidimus. Nam ſive ad antiquitates militares veniendum fuit, ſive ad comparationem tacticorum ſcriptorum, ſic utrumque fecit, ut obſervationes eius vel illuſtrationi, vel criſi prodeſſent. Tum vero codicibus et editis libris, aut Virorum doctorum obſervationibus adjutus, ſaepenumero emendatiorem lectionem propoſuit, atque etiam de uſu linguae graecae multa intelligenter admonuit, nec quaerendi labore, nec comparandi diligentia

Digitized by Google

deterritus a lectione eorum, qui vel exemplaria Onoſandri fuiſſent, ut Thucydidis inprimisque Xenophontis, vel eius genus dicendi praeclare illuſtrarent, ut Polybii et Dionyſii Halicarnaſſei, vel imitatione expreſſiſſent, ut Leonis, qui Onoſandrum fere ad verbum ſecutus eſt, aliorumque. Igitur nemo facile detrahet ſtudio, diligentiae, et doctrinae Editoris, aut Onoſandri librum antea melius a quoquam tractatum dicet, aut in *Schwebelii* operam ingratus erit. Si non numquam in rebus notioribus numerus obſervationum auctus eſt, ſi quaedam difficiliora praetermiſſa, id in hanc partem interpretari poſſumus, ut conſilio factum credamus, magisque monendum, quam vituperandum. Sed vt ex ipſa re, et de ſingulis potius, quam univerſis, lectores judicare poſſent, redegimus Schwebelianas obſervationes in claſſes, quas ſic perſequemur, ut, quid effectum ſit, facile appareat. Antea tamen de praeſidiis dicemus, quorum aliquam deſcriptionem in praefationem retulit. Se ergo, ubi utilitate libri admonitus conſilium ejus edendi cepiſſet, indagatis prioribus exemplis reperiſſe dixit, unum Rigaltium, cujus editionem in notis ubique vidimus primariis praeſidiis annumeratam, codicibus uſum eſſe, ceteras editiones ad hujus normam ſine immutatione factas. Sed praeter varias lectiones a Rigaltio collectas, ipſe codicem Bavaricum et Nagelianum tractavit, utrumque chartaceum et recentiorem, illum e bibliotheca Electoris Bavarici, hunc Nagelii, utrumque item ſic conſentientem, ut ex eodem fonte ducti videantur: certe Bavaricus, id quod librarius notavit, e veteri libro Vaticano deſcriptus eſt. Ac nos quidem tractandis *Schwebelii* notis animadvertimus, partim ubique fuiſſe hos codices in varietate lectionum conjunctos, partim utiliter, et ad corrigendum, et ad illuſtrandum explendumque adhibitos, neque ſine his tam multa loca conſtitui potuiſſe. Rurſus praeter varias lectiones, e codice Florentino excerptas, accepit ab Oudendorpio e Leidenſi bibliotheca manuſcriptas emendationes et obſervationes Joſ. Scaligeri et Iſ. Voſſii, quae multis locis auctoritate codicum

cum firmantur: ceterum, cum copioſiores eſſent, tantum ſuis locis indicatae ſunt, non integrae inſertae. Obiter admonuit, in Ambroſiana et Vaticana bibliotheca ſervari codices Onoſandri, quorum lectiones tamen accipere non potuerit. Reliqua praefationis pars de utilitate Onoſandri, et editionibus perfectis aut promiſſis exponit: etiam de vita ſcriptoris quaedam continet. Ut autem patria ignoratur, ita codices nomen Ὀνοσάνδρȣ et Ὀνησάνδρȣ variant: nec videntur Τακτικὰ Onoſandri, quae Suidas communi nomine laudavit, ab hoc Strategico differre: ipſius aetas ad Claudii tempora non temere refertur: Strategicus, Vetranio inſcriptus, anno ſeculi primi tertio quinquageſimo editus eſſe potuit: Onoſander denique Platonicae rationis ſectator dicitur, quod et in ultima totius libri obſervatione notatum eſt.

Iam, ut propoſuimus, obſervationes in claſſes digeremus, ac primo de *locis correctis aut defenſis* dicemus. Cap. I. pag. 17. n. 24. edidit e codice Morelliano ἴξεσθαι pro ἥξεσθαι, quae forma inuſitata eſt. Eodem capite p. 20. n. 37. ſervatum eſt, καὶ τὰ νῦν, καὶ πρόσθεν, cum cod. Bav. et Nag. καὶ τὰ πρόσθεν habeant. Exempla duo omiſſi articuli huic loco ſunt diſſimilia, cum noſtro loco ſemel, ibi in utroque membro omiſſus ſit, καὶ νῦν, καὶ τότε. Duplex καὶ eſſe hic pro ὡς-ὡς, non potuimus ex adjectis locis, in quibus vel *etiam* ſignificat, vel poſt ὅμοιος et αὐτὸς ponitur, intelligere. Ibidem n. 38. χρηστοὶ mutavit in ἄχρηστοι ex cod. Mor. haud dubie recte, vel propter Leonis (c. 2. §. 22.) auctoritatem. Mox e tribus codicibus τούτων pro τούτοις ſcripſit. Cap. 2. p. 23. n. 6. ἐν ὀξεῖ καιρῷ recepit, pro καιρὸν, nec male ſuſpicatur καιροῦ: et n. 8. ἀσφαλεῖς e cod. Mor. pro ἀσφάλεια. Cap. 3. p. 24. n. 2. partim codicum ſcriptura admonitus, partim conjectura fretus, ſic edidit: ὥστε δὴ, ἃ ἐννοήσαι μὲν, μελετᾷν, cum hac interpretatione: *ut nimirum, quae ſolus animo conceperit, in hoc conſilio* (ducum) *cum reliquis meditetur.* Cur ibi de permutatione δεῖ et δὴ dixerit, non videmus, ſi an-

tea ὥςε τε lectum eſt: ceterum uſus notioris verbi μελετᾷν plura exempla poſita ſunt. Cap. 4. p. 27. n. 6. ſuaſu duorum codicum dedit: τοῖς ἀξιȣμένοις τȣ̀ς ἐναντίȣς, pro quo fuit, τοὺς ἀξίους τοῖς ἐναντίοις. Verba inſuper bene illuſtrantur. Cap. 6. p. 31. n. 1. addidit e cod. Mor. καὶ πολεμίας, poſt καὶ ἐν τῇ φιλίας, quod additamentum fuiſſe neceſſarium, intelliget, qui reliqua legerit: quamquam non opus fuit exemplis docere, φιλίαν ſeu ἰδίαν et πολεμίαν jungi aut opponi. Mox ἐθίζηται e multis codicibus, pro ἐθίζεσθαι, quoniam ab ἵνα pendet. Ibidem τὰς ἐξαίφνης ἐπιβουλὰς, conjectura probabili, mutavit in ἐπιβολὰς, cum hoc loco de impetu hoſtili agatur, horumque verborum confuſionem exemplis notavit. Recte porro eodem capite p. 36. n. 20. χολῇ (pro χολὴ) πρoΐτω correctum eſt e cod. Bav. et Nag. quod vel conſuetudo Graecae linguae ſuaſit. Iterum p. 38. n. 27. τροφὴν ſcripſit e conjectura, quam aliorum ſcriptorum loca firmant, pro τρυφὴν, mutatione in codicibus ſolemni, cum nil magis noceat exercitibus, quam τρυφή. Paulo poſt p. 39. n. 29. ſine codicibus recepit οὐ in his, ἀπ' οὐ λαμπρᾶς, quod jam Rigaltius ſenſerat, nam opponitur γῆ δαψιλὴς καὶ ευδαίμων. Simul exemplis oſtenditur, οὐ et μὴ ſaepe excidiſſe, et λαμπρὸν eſſe omnino *eximium* et *magnum:* unus locus Alciphronis (1, 38), λαμπρὰ οὐσία, illuſtrat λαμπρὰν γῆν. Tandem id, quod Rigaltius in margine cod. Mor. reperit, λυπρᾶς, veriſſimum pronunciat, tenendumque adeo codicum illud ἀπὸ, loco ἀπ' οὐ. Cap. 7. extremo p. 40. οὐ γὰρ δὴ e codicibus duobus pro δεῖ ſcriptum eſt, et ἀποκεκλεῖσθαι pro ἀποκλεῖσαι. Quod autem poſt οὐ et οὐδὲ omiſſum putat μόνον, cujus verbi omiſſionem nimis operoſe demonſtravit, etiam Paulino loco (Philem. v. 11.), id veremur ut hic probaturus ſit, cum locus ſic accipiendus videatur: *Non enim utile eſt* τὸ δρᾶσαι, *non autem neceſſarium* (i. e. ſupervacuum autem) τὸ φυλάξασθαι, hoc eſt, non credendum eſt, illud eſſe utile, hoc non neceſſarium, plane ut cap. 34. p. 105. εἰ μὴ νομίζομεν, (h. e. οὐ δεῖ νομίζειν) δελεάζειν

Digitized by Google

λεάζειν ἀναγκαῖον εἶναι, οὐ συμφέρον δὲ ἀποδιδόναι, quod et ſic potuiſſet dici: οὐ γὰρ δὴ δελεάζειν μὲν ἀναγκαῖον, ἀποδιδόναι δὲ οὐ συμφέρον. Hinc in mentem nobis venit, etiam poſtea pro εὖ προνοητέον legere οὐ προνοητέον, hoc nexu: οὐδὲ φθάσαι μὲν ἐπεῖγον, ἀποκλεῖσαι δὲ οὐ προνοητέον, *non illud neceſſarium eſt, hoc autem non curandum*, ſive, non putandum eſt, illud eſſe neceſſarium, hoc autem non curandum vel negligendum. Sunt enim membra duo ſimilia:

οὐ δρᾶσαι μὲν χρήσιμον, φυλάξασθαι δὲ ΟΥΚ ἀναγκαῖον ſupervacuum.

οὐ φθᾶσαι μὲν ἐπεῖγον, ἀποκλεῖσαι δὲ ΟΥ προνοητέον negligendum.

Et forte propter hanc concinnitatem melius fuerit ἀποκλεῖσαι, ſimile τῷ φυλάξασθαι. Denique poſt μὴ παθεῖν neceſſario comma ponendum fuit. Si nos de hoc loco et longius, et liberius diximus, humanitas Cl. *Schwebelii*, atque lectorum aequitas, ei veniam dabit, qui interpretandi periculum facere ſuſtinuit. Cap. 8. p. 41. n. 5. κατεπειγόντων pro κατεπιόντων poſuit, quod in cod. Bav. et Nagel. legitur: eodemque loco recte nobis viſus eſt μονὴν defendiſſe contra νομὴν, etſi poſterius codices habent, et Rigaltius praetulit: nam agitur de diuturna commoratione exercitus in uno loco, quod eſt ποιεῖσθαι μονήν. Cap. 9. p. 42. n. 3. e tribus codd. reſtituit ἐκκρίσεις pro ἐκρήσεις: p. 43. στρατόπεδα σύστροφα τοῖς δεινοῖς mutavit ſine libris ex Leone (7, 2.) in σύντροφα. Cap. 10. p. 47. n. 17. admonitus librorum varietate, jure mutavit corruptum et jam tentatum, ἀντὶ λητὸν ᾖ, in κἄν τι λιτὸν ᾖ. Illud τὶ tamen nobis non ſatis placet. Sequenti pagina, librum Morellianum et Homerici loci (Il. ο, 341.) ſimilitudinem ſecutus, edidit καὶ πνεύματι καὶ ἄσθματι, quod olim fuit σώματι, ſed ideo ferri non debuit, quia hoc loco exempla τῶν δεινῶν ponuntur, non ea res, quae his miſeriis afficitur. Quomodo vero, etſi τὸ ἄσθματι probamus, differet πνεῦμα, quod et ipſum eſt inter τὰ δεινὰ, et anhelitum indicat, ab aſthmate,

te, quo anhelitum e curſu et labore expreſſum credimus? Utrum πνεῦμα erit ventus moleſtus? An nimium fuerit, ſi καύματι in ἄσθματι depravatum dicamus, cum et Leo (7, 21. quem locum *Schwebelius* laudavit), θάλπος et καῦμα junxerit? Cap. 10. Sect. 4. p. 51. n. 5. καὶ ὄντων δὲ Φυλάκων rurſus e Morelli libro ſic correxit: καιόντων δὲ οἱ Φύλακες πυρὰ, quo modo omnia ſunt plana: ibidemque antiquum τοὺς μὲν ὄντας, pro quo cod. Mor. ἰόντας habet, re, et Xenophontis locis tribus, Aeneae uno nixus, in προσιόντας mutavit. Cap. 22. p. 85. n. 9. e cod. Bav. et Nag. ſic ſanavit: οὐδὲ γὰρ Φεύγουσιν ἐὰν —, ut haec omnia cohaereant, ἐὰν pro ἂν accipiatur, et Φεύγουσιν dativus plur. ſit. Cap. 23. p. 86. ſervavit quidem καὶ γὰρ δὴ τὸ ψεῦδος ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ſed putavimus hoc loco ſcripturam cod. Bav. et Nag. indicandam, καὶ γὰρ δὴ ψεῦδος εἰπεῖν ἀναγκαῖον, quae et omiſſione articuli, et verborum ordine, forte pluribus probabitur. Ceterum nollemus hic exemplis demonſtratum eſſe, ἀναγκαῖον omiſſo verbo ἐστὶ poni. Cap. 24. p. 88. τὸ κινδυνεῦον ΤΟ πλησίον, pro τοῦ, edidit e Mor. cod. quod τὸ vel τοῦ forte prorſus eiiciendum eſt. Mox cap. 25. p. 89. non ſolum auctoritate cod. Mor. τοῖς (pro τοὺς) μετ' αὐτοὺς ſcripſit; ſed et reliqua p. 90, τοὺς πρώτους — σημαίνοντας, abeſſe poſſe judicavit. Quod initio cap. 29. p. 93. huc usque lectum eſt, πάγοι, id, ut aperte vitioſum, e cod. Bav. et Nag. in πάταγοι, ſive potius in πάταγος mutari debuit, quod a *Schwebelio* factum eſt. Ibidem fecit ὑπὲρ (pro ὑπὸ) τὰς κεφαλὰς, e cod. Med. et paulo poſt, καὶ ταύτῃ μὲν εἰ γίγνοιτο, pro ἐγίγνοντο, quod in quatuor codicibus fuit: tandem e Mor. libro ἐντὸς (pro ἐγγὺς) τοῦ χάρακος. Non poteſt cap. 30. in. vulgatum, εἶτα τοῦ ποτὲ, intelligi, nec Rigaltii emendatio, εἶτα πȣ τότε, *Schwebelio* probatur: quare, ſecutus lectionem cod. Bav. et Nag. recepit, εἶτα περὶ τοῦ πότε. Ceterum accuſativum συλλογισάμενον abſolutum putat, et poſt hunc ἀπὸ κοινοῦ intelligendum, συλλογιστέον ἐστὶ, aut ſimile quid, ut cetera conſtent. Forte, ſi intelligamus συλλογίζεσθαι δεῖ, facilius

lius ferri poterit accuſativus. Poteſt quidem locus melius intelligi, quam antea; ſed manet aliquid duri. Recte cap. 32. p. 99. n. 7. ex ἐξηρτημένοι factum eſt ἐξηρτυμένοι. Ibidem locus ſic conſtituitur, maxime e cod. Mor. πολλὰ καὶ πρὸς τὸν ἀπὸ τῆς τύχης ἐπειγόντα κίνδυνον — παραβαλλόμενοι, cum hac interpretatione: *multa adverſus urgens a fortuna immiſſum periculum — audent.* Sed ut in πολλὰ καὶ aliquid latet, pro quo Mor. cod. forte melius πολλάκις habet, ita, ſi haec verba conferantur cum apodoſi ſimilitudinis, χειμὼν — περιςάσεις, videntur non omnino ſanata, praeſertim cum codices varient inter ἐπειγονται, ἐπάγονται, ἐπάγοντα. Cap. 35. p. 108. n. 11. plura uno loco mutantur, ἵνα, εἴ πως αὐτοὶ — κρατήσωμεν, pro ἤ — αὐτοῖς — κρατῆσαι, ubi ἵνα εἰ et κρατήσωμεν in Mor. cod. invenit, αὐτοὶ e conjectura fecit. Cap. 37. p. 110. loco verbi αὔτοπτον e cod. Mor. ὕποπτον in textu poſuit, et mox e cod. Bav. et Nag. ἀπεχθὲς, ſublato vulgato ἀπαχθὲς. Cap. 39. in. καταλήψεις τῶν πολεμίων locum non habet, etſi lectionem omnes codices defendunt. Ergo, cum de urbium expugnatione agatur, edidit τῶν πόλεων, confuſionisque exempla addidit. Cap. 42. p. 119. ἐρήμους καταλιπεῖν ἐπάλξεις καὶ πόλεις, de iis, qui ex muro fugiunt, vix recte dicitur, niſi pro πόλεις legatur πύλας, quod e Mor. cod. recepit. Multa huius generis exempla congesſimus, quibus multo plura addi potuiſſent, ea item loca, in quibus vel de literarum confuſarum occaſione agitur, vel correctiones aliorum ſcriptorum locis defenduntur, niſi jam effectum crederemus, quod nobis propoſitum fuit, ut Lectores de doctrina, ſtudio, et meritis *Schwebelii* nobiscum honorifice iudicare poſſent. Nondum antea ſic emendatus fuit Onoſander; cujus emendandi materia etſi ſuppetiit, tamen nunc et aucta, et ſic tractata eſt, ut ubique aliquid vitii tolleretur. Addemus huic obſervationum clasſi, nos etiam lacunas expletas reperiſſe. In his cap. 11. p. 60. poſt ἀπέχειν τοὺς πολεμίους inſeruit, quae in cod. Mor. addita leguntur, ἀναςήσας ἄγει τὸν ςρατὸν, ἐπειγόμενος

διὰ

διὰ μάχης ἐλθεῖν τοῖς πολεμίοις. Eidem codici debentur verba cap. 21. p. 78. adjecta: *ταξάμενος, ἀποτελεῖται,* (al. *ἀπωθεῖται*, et hoc in contextu edidit) *ταύτην τὴν κύκλωσιν τῶν πολεμίων, ἢ παρώρειαν ἐκλεξάμενος, αὐτοῖς* —.

Secundae obſervationum claſſi deſtinavimus *conjecturas*, ſed non in textum receptas. Cap. 4. p. 28. n. 12. gubernator dicitur inſtructis omnibus *ἐπιτρέχειν τῇ τύχῃ*, quod quid eſſe poſſit, accurate docuit: ſed malit *ἐπιτρέπειν*, cuius multa exempla collegit. De re conferri poteſt cap. 32. p. 89. fin. *ὥσπερ γὰρ* etc. Alia conjectura cap. 6. p. 34. n. 11. *πάνυ* ſuadet pro *πάλιν*, in his: *ἂν μὴ — ἀσφαλῆ πάνυ — νομίζῃ.* Cap. 9. p. 42. n. 4. dubitat, utrum ſit *ταῖς χειμαδείαις*, an *χειμασίαις* legendum: ergo de utroque ſeparatim dixit. Admodum veriſimilis eſt ſuſpicio, de cap. 10. ſect. 10. p. 58. propoſita, cum in loco de votis militum legendum cenſet, *ὅ,τι τ' εὔξονται*, pro *ὅ,τι τεύξονται*, quod nemo antea viderat. Nos praeterea credimus, illud *τ'* abjici poſſe, atque etiam obſervavimus, *τὴν ὑπὲρ πάντων καλλιέρησιν* opponi *τῷ, ὅ, τι εὔξονται κατ' ἰδίαν ἕκαστος*, et recte *τὴν καλλιέρησιν*, toti exercitui ominatam, contrariam poni *τῷ εὔχεσθαι* ſingulorum, non item *τῷ τεύξεσθαι.* Cap. 23. p. 87. jubetur imperator mortem hoſtilis ducis exercitui ſuo per fraudem alta voce nunciare, *ὡς θαῦμα καὶ τοὺς πολεμίους κατακήξειν*, ubi codices verbum *θαῦμα* ſervant, quod *Schwebelius* rem magnam et inuſitatam notare quidem poſſe docet; malit tamen *ὧδ' ἅμα* praeferre, quomodo Camerarius legiſſe videtur. Cap. 28. p. 92. *τὰ δι' ὄψεως δείγματα* dicuntur hoſtes perterrefacere: quo loco ſtudioſiſſime docuit, ſi quis *δείματα* ſuſpicetur, lectionem fore Graecae conſuetudini accommodatam, certe ſibi probari. Cap. 34. p. 104. poſt *αἱ ἀμοιβαὶ* excidiſſe *καλαὶ, ἄξιαι*, vel *πρέπουσαι*, recte admonitum eſt. Cap. 36. p. 109. n. 2. *ἐφεδρευέτω καιρὸν* mutari jubet in *καιρῷ*, cum ita ſemper Graeci loquantur: nobis etiam reliqua,

ἔνθα

Digitized by Google

ἔνθα—ἐλάττωσιν, finito verbo carere videntur, aut in participio οἰόμενος corrupta.

Tertia Claſſis contineat interpretationes et diſputationes de verborum ſignificationibus. Omnino verba rariora, fortaſſe Onoſandro propria, exquiſita, et in Lexicis vel praetermiſſa, vel nulla auctoritate munita, diligenter a *Schwebelio* indicata eſſe, Lectores facile reperient: tum optimorum ſcriptorum imitationem ſic interdum demonſtratam, ut Onoſander quaedam ad verbum ex antiquis expreſſiſſe videatur, grata mente agnoſcent: denique, cum Onoſander ſaepenumero, in notis, Atticorum imitator dictus ſit, totum hoc non niſi de magna parte formularum verborumque accipiendum judicabunt: nam urbanitas Xenophontiae orationis non magnopere ineſt. Legitur cap. 1. p. 12. rarum verbum, καταςκελετεύειν, ſignificatu *inſumendi*, *conficiendi*, de quo bene dixit; ut ibidem p. 14. n. 13. e Polybio verbi παραίτιος, pro αἴτιος, exempla ſat multa contulit. Qui ſit p. 13. ἄττων ἐπὶ πᾶν ςρατηγὸς, (ſic enim e libro Morelli edere maluit, pro ἄγοντα reliquorum codicum,) pluribus exemplis et obſervationibus de verbo ἄττειν explicavit; in quo celeritatis notio eſt, ſive corporis, ſive animi, conſentanea huic loco propter additam ὠκύτητα τῆς ψυχῆς, et τὸ ὀξὺ του ςρατηγȣ̃. Pag. 19. n. 32. de ὀβολοςάτῃ ſecundum veteres Grammaticos ſic loquitur, ut δανειςὴν interpretetur. Quomodo μετάβολος et ἔμπορος, qui ibidem occurrunt, differant, nobis videtur optime expediiſſe Hemſterhuſius ad Ariſtoph. Plut. p. 446. ſqq. Rurſus pag. 20. n. 34. μεμαργημένοι περὶ τον πορισμὸν | τῶν χρημάτων, ut putat, eſſe poſſunt *inſanientes avaritia;* ſaltem verbi μαργέω exemplum e ſcholiis ad Hom. Il. β. 692. poſuit; (quo loco tamen noſtra editio μεμορηκότας habet, et habere debet propter adjectum ἠχολημένȣς, quod ſimile eſt τῷ μορέω, *laboro*, non τῷ μαργέω ſeu μαργαίνω, ſed ad v. 840. μεμαργημέναι reperimus:) verum propter exemplorum paucitatem verius putavit μεμορημένȣς, pro μορȣ̃ντας, attica enallage, e codice Bav. et Nag. *nimis laboran-*

Dd *tes*

tes in coacervandis opibus, quam ſignificationem firmat e ſcholiis ad Il. ξ. 183. Od. σ. 297. Nondum intelligimus cap. 5. p. 30. de imperatore exercitum luſtrante, πᾶσαν σύνεσιν ἀποδιοπομπούμενος. Etſi enim σύνεσιν *conſcientiam*, et ἀποδιοπομπεῖσθαι *porricere*, ut vult *Schwebelius*, aut latius *averruncare*, *depellere*, interpretamur: tamen ſimulac conjungimus notiones conſcientiae et depellendi aut porriciendi, et quaerimus, quid conjunctim ſit σύνεσιν ἀποδιοπομπεῖσθαι, non ſatis certi ſumus, quid indicetur, niſi omnino, quod ex indice apparet, *purgandi* vis inſit. De verbo ἀποδιοπομπεῖσθαι ſeparatim ſatis perſpicue dixit. Interdum tamen, non quid verba per ſe indicent, ſcire intereſt, ſed quid in hoc contextu et notionum conjunctione, quae ſaepe ſingulorum verborum vim paulo aliter definit. Cap. 17. p. 71. κύκλους τῶν λίνων ἀποτελεῖν τῆς σφενδόνης, poetice dictum putat pro σφενδονίζειν, ſi quidem notionis unius circumlocutio ſtatim ad poeticum dicendi genus referri poteſt. Non enim, ſi quis pro *rotare fundam*, dicat *habenas fundae in orbem agere*, poetice locutus videtur. Onoſander τὸν κύκλον τῶν λίνων τῆς σφενδόνης mox appellavit ῥόμβον. Cap. 38. p. 111. de urbibus, quae ſe dedunt, dicitur, εἴ τινες ἐπιτρέποιεν αὐτὰς (l. αὑτὰς) ἀρξάμεναι. Hoc ἀρξάμεναι explicavit ἐν ἀρχῇ, eruntque ergo civitates, quae ſe ſtatim ab initio oppugnationis dedant. Si poſſet levi correctione ad imperatorem trahi, *ab initio ſe gerat humaniter*, ut mox, ὅστις πικρὸς εὐθὺς προσφέρεται, nec hoc incommodum ſenſum efficeret.

Eſt et aliud genus obſervationum, quas non male collectaneis comparaverimus, cum vel antiquitatum partem illuſtrent, vel exempla eorum, quae Onoſander praecipit aut diſſuadet, e Graecis et Romanis hiſtoricis collecta contineant; quae quamquam ab aliis pluribus explicata ſunt, fortaſſe tamen nonnullis lectoribus, qui libris careant, ſatis placebunt. Videant pag. 25. n. 1. de fecialibus, p. 26. n. 2. de juſtitia in bellis inferendis, pag. 42. n. 2. de hibernis, occaſione condendarum urbium, pag. 70. n. 1. de mili-

militibus levis armaturae, pag. 74. n. 4. de phalange, pag. 89. n. 2. de teſſeris, pag. 92. n. 1. de ſplendore armorum, pag. 103. n. 12. de donis militaribus.

In quibusdam viſi ſumus nimium obſervationum ſtudium deprehendere, quod numerum auxit, et fortaſſe non ubique exſpectatas aut neceſſarias animadverſiones peperit. Nam ſive pag. 3. numos ſpectemus, ideo expreſſos, ut nomen Auguſti familiae Caeſarum commune fuiſſe appareret, (quo loco obiter monuit, ſi Αὔγουστος et Σεβαστὸς differant, ſibi videri prius ad auguratum pertinere); ſive p. 36. formam ignis nocturni, e Lipſio repetitam; ſive pag. 58. imaginem militis ſacrificantis, e Begeri Theſauro, pag. 71. armatorum militum, et pag. 83. militis verſo equo animoſi: ea profecto omnia ad Onoſandrum illuſtrandum parum proderunt. Vel verbo confici potuit, cap. 1. p. 15. n. 17. μέσον, praeſertim in tali contextu, eſſe hominem mediae ſ. militaris aetatis: ibid. pag. 18. n. 29. αἱρήσεται pro αἱρεθήσεται auctorem poſuiſſe: cap. 6. p. 37. n. 25. infinitivum loco imperativi per ellipſin accipi: pag. 49. n. 1. diverſa tempora miſceri, cujus cauſa duodecim circiter loca congeſſit: cap. 14. p. 65. n. 2. οὐχ ἥκιστα eſſe μάλιστα: cap. 33. p. 101. εἰργάσθαι activo ſignificatu dici.

Uterque index, et rerum, et verborum Graecorum, diligenter factus eſt, inprimis verborum, qui paſſim admonitionibus et explicationibus utilior eſt redditus, ut vel hoc percurrendo tota dictio Onoſandri quodammodo cognoſci poſſit.

Verſio Gallica Baronis de Zurlauben, quae Pariſiis 1757. prodiit, et hic a *Schwebelio* repetita eſt, non eget hoc loco judicio noſtro. In ejus praefatione vidimus de verſionibus, editionibus, aetate, oratione, et ingenio Onoſandri, non parum accurate expoſitum eſſe.

OCELLUS LUCANUS EN GREC ET EN Francois.

Digitized by Google

h. e.

OCELLUS LUCANUS, GRAECE ET GALlice, adjunctis diſſertationibus, de praecipuis argumentis Metaphyſices, Phyſices, ac Moralis ſcientiae veterum, per Dom. d'ARGENS.

Berolini, 1762. pl. 21. in 8.

Pergit in propoſito, Philoſophiam illuſtrandi antiquam, et, quid veritati conveniat, quid eidem repugnet, declarandi, *Argentius*, iamque Ocellum Lucanum in manus ſumit, dignum omnino ſibi viſum, quem ob mirabiles, et a ſenſu intelligentiaque aliorum hominum remotas, quas paradoxa appellabant veteres, ſententias, ipſe diligentius explicet. Multum omnino ſtudii operaeque Auctor celeberrimus in hoc pertractando ſcriptore conſumpſit, egregiam ſane in omnibus fere doctrinae partibus ſcientiam oſtendit, copioſiſſimis eum diſſertationibus exornavit, itaque ſe geſſit, ut plurimum ei niſi nos debere fateremur, ingrati ſane ſummo jure haberi poſſimus. Sed inſunt tamen in his Commentariis varia, non omnibus forte probanda: in quibus breviter recenſendis ſi paululum commoremur, et noſtram ex animo ſententiam dicamus, haud putamus Auct. Clariſſ. aegre laturum; cum eam, quam ſibi ſumpſit, libertatem, aliis aeque conceſſurum ſperemus, ac praeconium ſibi tributum accepturum confidamus. In praefatione de vita Ocelli exponit, et tempus, quo vixerit, multis latere obſcuritatibus involutum declarat; forte tamen 80. aut 100. annos ante Socratem vixiſſe arbitratur. Affert literas Platonis, ad Archytam de libello Ocelli miſſas; ſed dum παραδεδομένον μύθον per *Hiſtoire* vertit, mallemus omnino narratiunculam ad poſteros propagatam, incertumque rumorem explicare. Affert tum teſtimonia veterum, et laudes Ocello tributas. Graeca etiam adjunxit, ſed quaedam interdum in verſione omittit, ut, in loco Luciani verba, καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμιληταῖς. Praemiſſis his ad verſionem

nem libri accedit, nullamque accuratiorem et exactiorem concinnari poſſe ſibi perſuadet. *Tous ceux, qui ſavent le Grec, verront, qu'il eſt impoſſible d'en faire une qui ſoit plus fidèle.* Quod an praeſtiterit, deinde excutiemus. Tranſtulit quidem Comes Nogarella, Italus, Ocellum in linguam Latinam, ejusque verſione uſus eſt Vizanius, ſed nimis obſcura et imperfecta haec Noſtro videtur verſio, quod adeo verboſe copioſeque in hoc opere verſatus ſit, ut dubium ſaepe confuſumque relinquat lectorem. Inſtituti ſui poſtea rationem declarat. Sentit eadem, quae Patres coetus ſanctioris antiqui, et ſimpliciter; quod ratio multa infirmitate laboret, et veritates multae, non judiciis hominum, ſed fide ſint percipiendae. *Je penſe avec les plus illuſtres Pères de l'Egliſe, qu'il eſt un nombre d'opinions, qu'il faut recevoir ſimplement par la foi, parceque les raiſonnements des hommes ne ſont pas capables de nous en démontrer la verité, qui cependant n'en eſt pas moins ſure, puis qu'elle nous eſt revelée par les Ecritures.* Hinc ſanctum Thomam ducem auctoremque fideliſſimum maxima conſcientia ſequitur; et quanquam intelligat, rationem nonnullis opinionibus ab hoc proditis refragari, tamen hujus viri veſtigiis inſiſtere nullo modo dubitat, quare religioſiſſimum profecto hominem declaravit. Poſtremo ea, quae de generatione hominis, parum certe honeſta, nec ab omnibus legenda, attulit, excuſare ſtudet, non Monachis, non Benedictinis ſororibus, non Abbatibus, non aliis devotioni deditis, ſed Philoſophis et doctis ea ſe tradere confeſſus.

Iam ad ipſum Librum accedamus, et primo de Verſione, tum de Commentariis dicamus. Adeſt Graecus Textus, adjuncta eſt Verſio Gallica, plurimis in locis accurata, ubique vero elegans, et ita comparata, ut omnino ſingularem Argentius inde gloriam reportet. Sed tamen nonnulla ſunt, ubi bonum dormitare Editorem exiſtimamus; ejusque rei comprobandae gratia, ne nimis longi copioſique ſimus, caput modo primum perpendemus. Verba, περὶ τῆς τȣ̃ παντὸς φύσεως, vertit, *ſur le monde:*

 quod

quod quidem univerſo contextui convenire putamus, melius tamen ad verbum ſic exprimi potuiſſe cenſemus, *de natura mundi.* Vox ἐκμαθὼν transfertur *lui ont été ſuggerées.* Sed eſt *perdidicit;* neque enim omne ſuggeſtum nobis perdiſcitur, ſed ſaepius negligitur rurſus, atque ex animo dimittitur. Hoc ἐκμαθὼν ſummam diligentiam requirit maximumque laborem, quae vero duae res verbo illo Gallico nequaquam denotantur. Verba: τὰ δὲ καὶ δόξῃ, (ἐκμαθὼν) μετὰ λόγυ τὸ εἰκὸς ἀπὸ τῆς νοήσεως ϛοχαζόμενος, vertuntur, *quelques autres par l'opinion, et par le raiſonnement, et quelques autres par les reflexions et par les conjectures, ſur ce qui eſt le plus probable.* At verba μετὰ λόγυ, cum illis καὶ δόξῃ minime cohaerent, ſed cum participio ϛοχαζόμενος; neque valent *par le raiſonnement*, ſed *duce ratione.* Praeterea, ubi voces, *quelques autres,* in textu extant? Ad haec, ἀπὸ τῆς νοήσεως non indicant *par les reflexions*, nec εἰκὸς eſt *ſur ce qui eſt* le plus *probable.* Illud enim obſervationem rerum, in ſenſus incurrentium; hoc probabile ipſum declarat. Senſus igitur Ocelli hic eſt: *In aliis enim opinionem ſecutus ſum, ita, ut ex iis, quae viderem ſentiremque (in mundo), ratione duce probabile colligerem.*

§. II. ἔγχρονον transfertur: *ſoumis au temps.* Secutus nimirum in hoc, ſicut et in aliis, eſt Argentius interpretem latinum, qui reddidit, *tempori ſubditum.* Poterat melius exprimi, *in tempore.*, quod, cum Ocellus aeternum ſtatuit mundum, eundem in tempore eſſe negat, ſeu potius a tempore pendentem, hoc eſt, ortum. Inſerit nunc §. 2. longam paraphraſin textui, quae aeternitatem mundi clare luculenterque demonſtret; ſed eam potius obſervationibus, quam ipſi verſioni mallemus inſertam. Haud multo poſt vox *certainement* eſt immiſſa, quae deſideratur in Graeco. §. 3. ἀρχὴν γενέσεως vertit *au commencement de la production;* ſed γένεσις eſt generatio. Non omnia autem producta vocari generata poſſunt, ut angelorum animarumque exempla cuilibet animum advertenti declarant. Ακμὴν vertit *vigueur;* ſed ſummum eſt atque praeſtantiſſimum, ita ut nihil plane rei ad ampli-

amplificandam ejus dignitatem addi poſſit : ut Cicero de Caeſare dicebat, in te omnia ſunt ſumma. Poteſt autem quis vigorem habere, neque tamen ideo ſummum rei cujusdam gradum et faſtigium conſecutus dici. Minus etiam reſpondet ſibi Auctor hac in voce, dum §. 4. eandem mox *la force*, mox *la plus grande force*, quae ſane eſt convenientiſſima, interpretatur. §. 4. verba: *ἅπασα φύσις, ἡ ἔχουσα διέξοδον, ὅρους ἔχει τρεῖς*, ſic transferuntur: *Toute nature a une progreſſion de trois termes.* Sed ita potius reddi debebant: omnis natura, quae progreditur (incrementa capit), tres habet terminos. §. 5. ſtatim initio voces *ἐξ αὐτοῦ* omiſſae ſunt in verſione Gallica, et *γενόμενον* explicat *engendré*; cum aliud ſit *γεννώμενον*, aliud *γενόμενον*. Neque enim omnia generata ſunt, ut coeli, ſtellae, prima animalia; ſed facta. Quod ipſe etiam Auctor Clar. poſtea perſpexit, dum *γενόμενον* convertit, per, *que devient*. Eadem §. verba, *κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως διατελεῖ* Gallice ſic ſonant: *il perſevére toujours dans le même état.* Senſus eſt: ſemper idem, (quoad naturam et ſubſtantiam,) et eodem modo (quoad accidentia), perſeverat. §. 6. Voces, *ἀριθμοὶ γοῦν καὶ χρόνων περίοδοι*, ab Interprete tacentur. §. 7. *διὰ τοῦτο καὶ τῆς προσηγορίας ἔτυχε ταύτης, ἐκ τῶν ἁπάντων δὴ κοσμηθείς* : *c'eſt à cauſe de cette univerſalité, qu'il a obtênu le nom qu'on lui a donné.* Il eſt *orné de* toutes *les perfections.* Sed nullas Ocellus hic memorat perfectiones, verum ſubſtantias, ſeu ea intelligit, ex quibus compoſitus mundus. Qui vero omnes perfectiones ſunt ſubſtantiae? Videtur tamen Auctor poſtea melius perſpexiſſe, quod *τὴν τῶν ὅλων φύσιν* exprimit per *toutes les ſubſtances.* Ibidem: *σὺν τούτῳ τὸ πᾶν*, *avec lui*, deficit *tout.* Porro: *σὺν τούτῳ πάντα ἔχειν*, il comprend tous les Etres *diſérents.* Poſtrema vox praeter neceſſitatem adjecta eſt. §. 8. in fine, amplificat Argentius ſenſum Ocelli, his adjunctis: *Et ſa nature eſt indépendante* de celle de tous les Etres particuliers. §. 9. Verba, *par une ſimple comparaiſon*, deſideraveris in Graeco. Eodem loco vitium in Graecum textum irrepſit, et

et pro *αὐτοῦ θερμόν ἐστι*, ſcribendum eſt: *αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ θερμόν ἐστι.* Vertitur ibidem *πῦρ* Soleil, cuius rei non perſpicimus rationem, cum de quolibet igne, non de ſole modo Philoſophus diſputet, ejusque effecta declaret. Eadem §. *αὐτὸ ἐξ αὐτοῦ γλυκύ ἐστι*, verſa ſunt, doit étre doux lui même. Qui *ἐξ αὐτοῦ* praetermittitur? §. 9. in verbis, de la perfection *de toutes les choſes*, poſteriora rurſus ab Argentio proficiſcuntur. Sequentia, *αὐτὸς ἄρα ἐξ ἑαυτοῦ ἀΐδιός ἐστι, καὶ αὐτοτελὴς*, ex parte in verſioue transpoſita ſunt, et *ἐξ ἑαυτοῦ* ad ſequentia, *παραίτιος γινόμενος*, relata, partim haud accurate translata, cum vocem *αὐτοτελὴς* alto ſilentio in verſione praetermiſſam videamus. §. 10. initio ſtatim haud expreſſum eſt vocabulum *ὅλως*, magnae omnino virtutis. Ibidem verba, *οὐ γὰρ ἔσται τοῦ παντὸς φθορὰ, ἐὰν εἰς τὸ ὂν διαλύηται*, haud digna viſa ſunt Argentio, quae in Gallicam converteret linguam. §. 11. *καὶ κατὰ τοῦτο καὶ σώζεται καὶ συνήρμοσται, καὶ βίον ἔχει, καὶ ψυχὴν*, verſa ſunt: *elles ont par lui leur exiſtence.* Sed quam multa hic deſunt, gravisſime a Philoſopho pronuntiata, ſed ab interprete incurioſius neglecta. §. 12. *προσάγουσα ἐπὶ πᾶν τὸ θνητὸν, la ramenant à la mortalité*; melius fortaſſe, injungens omnibus mortalibus, ſcil. creaturis. §. 14. vox *eſſuïé* abundat. Ibidem *τὸ περιέχον* vertitur, *qui contient tous les Corps*, haud male, ex doctrina et ingenio Ocelli, qui nullos ſtatuebat ſpiritus, ſed tamen interpretis legibus haud convenienter. §. 15. Verba, *ἡ οὐσία τῶν πραγμάτων ἀνέκβατος καὶ ἀμετάβλητος*, transferuntur, *l'Univers n'eſt ni paſſager, ni muable.* Sed aliud eſt univerſum, aliud ſubſtantiae rerum; nec *ἀμετάβλητος* eſt *paſſager*, ſed quod augeri non poteſt, ut ex ſequentibus apparet. Hactenus de Verſione Capitis I. Nam omnia pertractare capita nobis moleſtum foret, nimisque operoſum.

Jam his breviter obſervatis, ad obſervationes diſputationesque doctisſimas, ingenii Cl. Auctoris luculentisſimas teſtes, tranſimus. Orditur ab aeternitate mundi, ac Philoſopho-

ſophorum de ea veterum ſententias copioſe recenſet. Laudat tamen eorum opinionem, qui mundum omni deſtitutum initio cenſuerint, idque ſyſtema in primis naturae conveniens, neque tam multis impeditum difficultatibus, arbitratur. Argumentum autem quod adfert, neque novum, neque ſatis idoneum, ſed infirmisſimum merito habetur. Repetit enim a materia prima aeterna, quae in ipſo Deo ſemper extiterit, atque ab aeterno vi agendi fuerit praedita, ob eamque rem mundum ab aeterno produxerit. Sed quam multa hic ponuntur, non tam dubia, quam plane falſa? num materia extitit ſine initio, imo num potuit eſſe? Quae vis agendi, quae rei ineſt, neceſſario ſe ſtatim exerere actu debet, quamprimum exiſtit vis illa? Addimus alterum argumentum: Si mundus eſt bonus, ac neceſſarius, nunquam ſane Deus retardare potuit, quin efficeret illum atque produceret, ſed nihil elegantius mundo, nihil magis neceſſarium. In qua argumentatione abſolute neceſſarium et bonum confunditur cum eo, quod ſub certis modo conditionibus utilitatem neceſſitatemque comprehendit, qualem mundus continet. Hic vero etſi Philoſophorum tantum eas fuiſſe ſententias adjicit; haud tamen dubitamus quin Argentius, rationem ſuam ſi ducem ſequatur, easdem comprobet, quanquam codici ſanctiori majorem eſſe fidem tribuendam declaret. Semel enim, iterumque, ac ſaepius ex hoc libro perſpeximus, afferre eum argumenta, ex ratione ut ei videtur repetita, eademque, opinione ſua, firmiſſima: ſed aliud rationem, aliud revelationem ſtatuere ſibi perſuadet; quod qua ratione affirmari, quoque modo utrumque hoc donum Dei ſapientiſſimi repugnare ſibi poſſit, nos quidem ignorare ultro fatemur. Perſuadet ſibi deinde, omnes fere coetus Chriſtiani Patres, usque ad Auguſtinum, Deo corpuſculum quoddam tribuiſſe; idque ex notione vocis *ἀσώματος* corroborare ſtudet: quod argumentum nobis nimis leve, et propter explicationem vocis Graecae haud irridiculum videtur. Labitur idem vehementer, ſi veteres Chriſtianos nullam plane ſimplicis hujus ſubſtantiae,

Digitized by Google

quae in Deo eſt, cognitionem habuiſſe opinatur, quod vox incorporalis et ἀσώματος tribus amplius Seculis fuerit remota, et ipſi veteres Chriſtiani abſurdum cenſuerint, poſſe aliquid exiſtere, quod non ſit e partibus conflatum. Ut ſacros libros, ad quos tamen provocat A. taceamus, clariſſime temerariam hanc ſententiam revincentes: optaremus ſane, evolviſſet Patrum optimorum ſcripta, longe ſanctiora atque ſaniora proponentium. Ex quibus unicum modo Ammonium, Philoſophum Chriſtianum, circa A. C. 220. florentem, memoramus, qui diſertis verbis dicit: ὅταν εἶπεν πνεῦμα ὁ Θεὸς, ἐδὲν ἄλλο δηλεῖ, ἢ τὸ ἀσώματον. vid. Catena Patr. Graecor. in Ioann. IV, 24. p. 131. Jam de ordine mundi, eodem ſemper, de proportione motuum coeleſtium, terrae et planetarum, diſſerit, qui tamen, etſi ſuo quodque ordine, variatur omnino ac mutatur, eaque re ipſam mundi aeternitatem refellit. Convertit ſe hinc ad animam, cuius immortalitatem negat ex ratione perſpici poſſe, quanquam omnino, cum ſanctiores eam Litterae confirment, affirmanda eſſe videatur: ſed quae adfert, ita profecto ſunt comparata, ut facile ſolvi poſſe cenſeamus. Nondum ſatis cognita eſt nobis animae natura. Bene. Igitur nec negandum eſt temere, eandem eſſe ſpiritum, omnibus partibus deſtitutum. Anima neceſſario eſt in loco, ideoque extenſa. Ergo et Deus, qui eſt ubique locorum, corpore pariter erit praeditus? Et cogitationes, quae inſunt in anima, longitudinem, latitudinem, profunditatemque habebunt, quia a cauſa compoſita proficiſcuntur? Sed ſatis hae ſententiae a Leibnitio, Wolfio, Reinbeckio, aliisque confutatae ſunt, ut noctuas mitteremus Athenas, ſive potius lumen ſoli accenderemus, ſi pluribus ea de re exponere velimus. Nollemus autem, tantopere Argentius in Theologos invectus eſſet, ut philoſophica eorum argumenta, pro ſtabilienda animae ſimplicitate allata, inanes nugas verborum, *un vain ramas de paroles* appellaret, propterea quod, cum non omnes animae proprietates norint, tamen eam ſubſtantiam ſimplicem audeant appellare. Sed num is omnes animi vires cognitas

cognitas habere debet atque exploratas, ei qui ſimplicitatem tribuit? Perinde ac ſi omnes rei cujusdam virtutes perſpicere oporteat, ſi miraculum vere contigiſſe adfirmare velim. Satis eſt animam cogitare, ſatis eſt corpus cogitandi facultate non poſſe non carere. Et quae de anima agente in corpus A. adfert, ea nondum ita ſunt ad liquidum perducta, ut neceſſario influxum concedere cogamur, cum Harmonia praeſtabilita maiori fortaſſe veri ſpecie ſe commendet, ut nonnulli arbitrantur. Sed demus influxum: qua, quaeſumus ratione, ideae abſtractae in animam Auct. noſtri, ſi compoſita eſt, operantur? Nullas igitur ille prorſus, niſi ad individua ſpectantes, habebit, et tamen Philoſophi nomen tuebitur? Fabula autem in medium allata, quo modo tam gravem et commendatione dignam doctrinam illuſtrare poſſit, nos quidem latet: id tamen affirmamus, contrariam potius exinde ſententiam defendi poſſe. Dum ruſticus ille lupum conſpiceret, animal certe eſſe cognoſcebat, etſi, in quam claſſem beſtiarum referret, plane ignoraret. Dum igitur certo ſciret eſſe ratione deſtitutum, hominem non eſſe, extra omnem dubitationis aleam erat poſitum. Anima quid ſit, neſcimus, fatemur. Sed dum animam cogitare novimus, illud ſimul novimus, non eſſe corpus, quia nullum umquam corpus animae expers cogitavit. Exponit dein A. de immortalitate animae, et argumenta, quibus Philoſophi eam ſtuduerint ſtabilire, commiſeratione digna iudicat. Sed cum haec doctrina ſimplicitate naturae nitatur, quid miramur, Auctorem ingenioſum ita ſentire. Soli igitur revelationi hujus rei notitiam deberi praedicat, et ſimul univerſos ac ſingulos rogat lectores, ne ea quae afferat ipſe, ſibi ſuaeque fidei, ſed tantum infirmitati rationis, (quod ſenſu certo minime inficiamur,) tribuat, coecae nimirum iſtius rationis, niſi ſanctiores litterae accedant. Recte vero ſapienterque, in rebus ad ſalutem ſempiternam ſpectantibus, non in rebus mere naturalibus, ita ut velut arundo moveamur perpetuo, nec Pyrrhonicorum more ultro citroque vagemur. Haud enim prodeſt alterum eruere oculum,

Digitized by Google

lum, quo acrius altero videas. Tum actionem, paſſionem, reactionem, naturam elementorum attingit, reprehendens Vizzanium, et Auctores Diarii Trevoltienſis, et Eccleſiaſticar. Epiſtolar. omnia, ut ſibi videntur, cognitione complexos. Converſus tum rurſus ad aeternitatem mundi, gravi oratione, virum ſingulari ſanctitate doctrinaque inſignem, (quem Thomam Aquin. eſſe opinamur,) laudat, qui aeternitatem mundi, Deumque cauſam ipſius primam, haud ſibi repugnare exiſtimaverit. It in eandem ſententiam Argentius, horribili illo, et contra omnes impetus inviĉtiſſimo nimirum argumento permotus. Cauſa mundi efficiens cum Deus ſit, isque aeternus exiſtat, effici, ut ipſe quoque mundus ſit aeternus. Praeclare. Argentius, Vir doctisſimus, cauſa hujus quem recenſemus libelli, ante triginta et plures annos extitit, ergo et hic idem liber, effectus ab eo, per hoc temporis ſpatium extitit, etſi demum anno 1762. in lucem fuerit emiſſus. Quam optaremus, Auctor tenuisſima et levisſima evolviſſet compendia philoſophica, ex iisque, quantum interſit inter effectum contingentem et abſolute neceſſarium, perſpexiſſet. Si mundus effectus Dei eſſet abſolute neceſſarius, non modo aeternus, ſed ipſe Deus eſſet: quo quid abſurdius eſſe poteſt? At, inquies, voluntas Dei mundum creandi fuit aeterna, et efficax ſemper, nonne igitur ab aeterno produxerit univerſum? Valde hoc argumento triumphat noſter, ſed ante victoriam. Habuit ab aeterno Deus ſibi propoſitum mundum condere, ſed neutiquam in aeterno, verum initio temporis, quocum ipſe mundus primordia caperet. Quam enim luculenter ſibi repugnat, aeternitatem ſucceſſionemque cuidam rei tribuere ſimul, cum ab aeternitate ſucceſſio omnis abſit. Imo ſi conditus eſt mundus, quandocunque id fuerit, habuit certe initium. Sed quod initium habet, num id aeternum eſſe poteſt? Neque vero haec, tironibus philoſophiae, prima modo principia tenentibus, cognita, repeteremus, niſi Auctorem Clar. argumenta haec a ſe allata pro certisſimis habere, eorumque ipſam rationem ducem ſtatuere, videremus.

Digitized by Google

mus. Sed ecce reſpondet ad hos ſcrupulos adverſariorum, ſtrenuus heros, nec ipſe tamen, ſed doctisſimus Thomas de Aquino. Iis enim, qui Deum mundo priorem credunt, quod cauſa ſit prior effectu, concedit in iis, quae per motum agant, at denegat illis, quae agant in inſtanti. Quodſi accidat poſtremum, non poſteriorem eſſe effectum cauſa, ut neque Sol prior eſt luce in terram noſtram immiſſa. Sed quis umquam aſtrorum peritus hoc dabit Thomae, ut eodem momento, quo Sol oritur, terram dicat illuſtratam? Praeterea hic eſt effectus abſolute neceſſarius. Sol enim ſine radiis, in alium locum conjectis, eſſe non poteſt: at mundus effectus Dei contingens recte iudicatur. Sed inſtet quis, aeterno nihil poſſe adjici, ſed tempori, quo mundus coeperit, multa poſſe addi? Quid hic ſapiens? Tempus durationis mundi, ſi a priori aeternitate conſideretur, vere eſſe infinitum: *Nihil prohibet, infinito ex ea parte additionem fieri, qua eſt finitum.* Eleganter. Infinitum eſt ſimul finitum, quod nullum habet initium, habet tamen ſucceſſionem et finem. Qui haec concoquere posſit, vere is habeat ſtomachum ſilice duriorem. Sed mittamus aliquando philoſophica, et ad philologica veniamus. Diſſerit de daemonibus p.97.ſq. et laudat Huetium, qui eosdem ſubtiliori corpore veſtitos declaret, quod Deus omnium tenuiſſimo corpore ſit inſtructus, angeli craſſiore, homines crasſiſſimo. Miramur hic vehementer Auctorem, omninoque Deum compoſitum et mutabilem ſtatuere neceſſario debere cenſemus, quod in aeterno ne cogitari quidem poteſt. Tum de lapſu Angelorum, de concubitu eorum cum filiabus hominum, multa diſputat; ſed paulo poſt deceptos in opinione ſua Patres oſtendit. Cui igitur fides habenda erit? Quanta ſimilitudo inter daemonas gentium, et genios coeleſtes intercedat, copioſe ingenioſeque A. exponit; ubi ſimul Auguſtinus, tam carus Argentio, tamque dilectus, erroris cujusdam poſtulatur, quod aeternitatem poenarum apud inferos ſtatutarum affirmavit, quam opinionem ſummae omnino rationi adverſari Philoſophus noſter cenſet; etſi,

cum ſanctiores eam literae corroborent, omnino ideo concedendam arbitratur. Vides hic rurſus, ex mente Auctoris Scripturam S. multa continere, quae rationi ſanae repugnent. Et num homo ea, quae veritatum nexui obnituntur, ſuſcipere, iisque ſuum praebere aſſenſum cogetur? minime vero. Apparet, quo tandem auctoritas codicis ſanctioris evadat. Sed redeamus ad cauſam. Dum igitur, ad infringendam illam poenarum infernarum aeternitatem, partim ad infinitam Dei poteſtatem, quae vel contraria poſſit efficere, partim ad miſericordiam ejus confugit, nihil ſane boni affert, ſed talia, quae centies jam imo millies a bonis philoſophis noſtris, ac Theologis, refutata, in optimis eorum Voluminibus leguntur. De loco tum, quo daemones mali commorentur, qui ante conflagrationem mundi extra inferos ipſis aſſignatur; de genio tutelari, quem affirmat; de comitibus piorum moribundorum, iisdem geniis, agit: atque ut nonnulli certe Proteſtantes huic opinioni ne repugnent, atque ut ab erroribus rectam in viam ſe duci patiantur, vehementer optat. Quod quidem praeſidium Angelorum, piis in extremo vitae momento deſtinatum, an ab viris religioni Evangelicae addictis temere negetur, magnopere dubitamus; ſimul tamen ſincerum Auctoris animum, grati lubentesque agnoſcimus. Tranſit dein ad Phyſica, et de terrae marisque mutationibus, de excidiis urbium, exponit. Placuit hic nobis inſignem in modum, quod devaſtationem Troiae haud in fabulis numerat; et ſine dubio plures jam ante Homerum poetas idem ceciniſſe ſibi perſuadet. Qua tamen in re cum adhuc pauliſper dubius videatur, auctores ei ſumus, ut Fabricii Bibliothec. Graec. ejusque Libr. I. evolvat, ubi complures Trojani belli ante Homerum ſcriptores cognoſcet. Attingit tum cauſas, quibus eveniat, ut nonnullae artes ad ſummum ſurgant faſtigium, aliae deiiciantur repente ac concidant. Pertractat generationem hominis p. 142. ſq. et invehitur in vitam coelibem, univerſae regioni maximum detrimentum inferentem; ideoque ducenta millia Monachorum et Sacerdotum

cerdotum in Gallia indignatur florere, inutilem plane ad agriculturam, arma, commercia, et ad artes ſellularias; optatque, ut quarta modo eorum pars ad defendendas Gallorum provincias adhibeatur, tum multo beatiorem Galliam futuram. Hinc Patres antiquioris aetatis male eum habent, tanti tamque indefeſſi caſtitatis ac coelibatus defenſores et commendatores: Lycurgus autem multo praeclarius ſe illi probat, quod ſingularem Legem Lacedaemone de propaganda ſobole promulgaverit. Tranſeundo quaſi Ieſuitas laudat, et Moliniſtis ac Ianſeniſtis longiſſime anteponit; niſi quod illi tamen pontificis Romani augere poteſtatem, regum contra minuere ſtudeant. Praeter opinionem ad eruditionem Gallorum delabitur, et Pariſiis maxime habitantes eruditos tam male Graecos, ut Demoſthenem, Platonem, Pindarum, Thucydidem, imitari docet, ut quam longiſſime ſint ab iis remoti, neque ullas eorum Veneres aſſequantur. Habes confitentem Gallum. Oſtendit tum, feros homines atque agreſtes ſaepius ſuperare doctos atque eruditos, ideoque poſteriores reprehendit. Ad controverſias deſcendit inter Lockium et Leibnitium, inter Rouſſeau et Voltaire agitatas, et de literariis publicis diariis judicium fert haud ſane jucundum. Porro, quantum luxus et ſuperſtitio incommodi regionibus adferat, multis ex antiqua Hiſtoria petitis exemplis eleganter demonſtrat. Reverſus ad matrimonia, quomodo ea a principibus, adminiſtris, aliis, contrahi debeant, quibuſcum potiſsimum iniri, quid de Eunuchorum conjugiis ſtatuendum ſit, et talia, exponit, tandemque de praeſtantia et ratione inſtituendae juventutis differit. Dum autem Epicurum et Epicureos confundit, omnino putamus fefelliſſe Cl. Auctorem, parique modo a vero nonnihil aberraſſe, dum Iuſtinum M. aliosque patres, vel illos beatos praedicaſſe ſibi perſuadet, qui providentiam negarint. Etenim μετὰ λόγου βιοῦν Iuſtino non eſt philoſophiae morali profanae indulgere, ſed cultum rationi haud repugnantem Deo praeſtare, qualem Paulus requirit, λογικὴν λατρείαν appellans. Ceterum Epicuri ſenſa doctrinasque affert,

fert, nequaquam contemnendas. Attingit notum ſatis la Mettrie, ſibique minime cum ipſo convenire declarat; tantoque magis Hallerum, Gellertum, Rabnerum, Tralleſium, Erneſtium, Gottſchedium, Eulerum, Sulzerum, Merianum, Marggrafium, Heinium, Pfaffium, Formeium, Hermannum, Sackium, aliosque Germanos omnes magnopere extollit. Confert ſe poſtea ad ſceleratam Pontificum plurimorum vitam, et varia notatu digna promit. Ad concubitum reverſus, de moderatione ac temperantia in eodem obſervanda agit, et tempus ipſum, quo voluptati ſtudendum ſit, ex Hippocrate ſatis lepide deſcribit; perinde et de gradibus confinitatis tali ſocietate conjungendis differit. Quod cum nonnulli legibus naturalibus et ideis inſitis repugnare putent, occaſionem inde arripit, pertractandi hoc argumentum; nimia tamen confidentia omnes notiones innatas pernegat, eoque procedit, ut vel ipſam Dei notionem inſitam a natura humanis mentibus inficietur, perinde ac ſi nunquam eo audaciae ferociaeque progrederentur mortales, ut extinguerent eandem, omnique data opera evellerent, vel, id ſi minus accidat, certe negligentia ſua pigritiaque debilitari frangique paterentur. Quae enim ex Lockio A. protulit, integras reperiri nationes, omni ſummi Numinis cognitione deſtitutas, tantum abeſt ut Hiſtoriae reſpondeant, ut potius exactis noviſſimisque regionum illarum recenſionibus maxime repugnent. Neque vero, ut cenſet A. Clar. ex eo multitudo deorum fluxit, quod omnes gentes, ſi Dei notio quaedam eſſet inſita, plures olim deos coluerunt. Etenim, ſi accurate loqui velis, nequaquam omnes nationes huic ſuperſtitioni indulſerunt, quippe a qua abhorruerunt ſemper Iudaei, veri illi, nec fucatae fidei. Potius hoc ipſa vox θεότης, homines natura ad Deum quendam colendum inclinare, ſatis comprobat, etſi in ipſo, quem venerarentur, deo, a veritate aberraſſe confiteamur. Satis eſt perſpexiſſe gentes, cultu quodam afficiendum eſſe ſummum Numen; eaque eſt notio inſita: ſed ad falſos deos colendos eosdem eſſe delapſos, pravitatem

vitatem naturae corruptionemque declarat. Habent eam igitur ideam omnes homines actu primo, etſi non ſemper ſecundo, quod non exercent iſtam facultatem animis impreſſam, cognoſcendi Deum, etſi poſſent omnino, imo vero deberent. Utinam vero S. Thomas et Gaſſendus ideas recepiſſent innatas, quam facile A. Clariſſ. ad eorum ſe opinionem accommodaſſet. Sed ſatis, ohe, de hoc libro, in quo permulta haud certa, plura erudita, plurima ingenioſa deprehendimus, ita ut, ſi proprias ejusdem ſententias praetermittamus, haud contemnendum eundem cenſeamus. Illud autem mirati ſumus, Coniugem ejus doctiſſimam, olim Cochois dictam, in libello quodam longe alia ſentire, et aeternitatem mundi, materialitatem animae, alioſque errores, tam ſolide, tamque graviter refutaſſe, ut quid Argentius de his ſentiat ſcire pervelimus.

SYLLOGE COMMENTATIONUM ET OBſervationum Philologico-Exegeticarum et Criticarum: Faſciculus Prior, Auctore A. F. RUCKERSFELDER, SS. Th. D. ejusd. et Philologiae Orientalis P. P. in Athenaeo Daventrienſi, Soc. Reg. Scient. Goetting. Commerc. Litterar. iuncto.

Daventriae 1762. Alphab. 1. plagg. 13. in 8.

Haec *Sylloge* Obſervationum Philologico-exegeticarum *Ruckersfelderiana* triplicis eſt generis. Ab initio conſpicitur *Commentatio*, quaedam *Cantica Sacra ex Genio Pindaricorum illuſtrans*, cujus, pro inſtituti noſtri ratione, brevem deſcriptionem exhibebimus. Multa enim habet iſta Commentatio utilia, et cognitione omnino digna. Poeſin magnopere docetur prodeſſe intelligentiae Scripturae Sacrae, ut *Lowth* in *Praelectionibus*, et *Zwinglius* aliquo loco,

Digitized by Google

praeclare demonſtrarunt. Auctor Ven. aliquando *Deborae carmen*, facta cum Pindari Odis comparatione, illuſtrare conatus eſt; quam rem cum videret multorum doctorum Virorum plauſum tuliſſe, eadem ratione in hiſce Obſervationibus quaedam S. S. carmina explicat. *Capite I.* ait, explicaturum carminis Pindarici genium, docere debere, quomodo a reliquis Poetis lyricis differat: quem diligenti obſervatione duplicis generis eſſe intelliget, vel *internum*, h. e. ſoli Pindaro proprium; vel *externum*, qui etiam aliis Odis conveniat. Quo loco Auct. bene monet, non Pindari nomine dignas eſſe Odas, quae interno illo charactere privatae, ſimilitudinem tantummodo metri, aut rhythmi referant. Recte. Cum enim, ut fieri ſolet in hac imbecillitate humana, vocabula etiam mutationi ſint obnoxia, factum eſt, ut nunc Odae Pindaricae aut Anacreonticae vernaculorum Poetarum non ſint, quae vim ſublimitatemque iſtorum Poetarum veterum, ſed quae metrum referant. Primum illum Pindari characterem, judice Auctore, omnium optime *Horatius*, Od. 2. lib. IV. expreſſit:

Monte decurrens, velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Fervet, immenſusque ruit, profundo
Pindarus ore.

Recte Pindarus cum amne propterea comparatur, quod per tota carmina, objectum quod canit, ante oculos indeſinenter habeat, in eoque perſequendo nullis difficultatibus impediatur. Haec quidem bene, ſed non ſatis accurate diſputantur. Pergit autem Auctor in demonſtratione, et illum characterem, quem antea *Pindaro* proprium dixerat, contra quosdam doctos viros, qui eum etiam ſcriptis aliorum convenire exiſtimarunt, defendit his argumentis: 1) propter diſcrimen quod eſt inter Hiſtoricum et Poetam: 2) quia

2) quia in rebus et verbis Poetae major quam Hiſtorico datur libertas: 3) quia Pindarus non diverſa ſubjecta, ut v. c. Horat. l. XII. od. 8. aut Davides Pſ. XIX. perſequitur, ſed unam tantummodo ſingulis Odis exprimere ſolet, ex quo appareat, quam excellens in eo viro ingenium fuerit. In §. V. altera Characteris Pindarici pars conſtituitur in ſublimitate, quae ſine tumore, ſententiis acutis ornata, Pindarum a reliquis Poetis omnibus diſtinguit. Porro, celeres atque praecipites tranſitus ab uno objecto ad aliud, iſti Poetae ita proprii eſſe videntur, ut eum ab omnibus aliis diſtinguant, quia lectores non ducit, ſed rapit; et huic tranſeundi celeritati cauſſae obſcuritatis tribuendae ſunt. *Cap. II.* §. VII. maximas ait A. alios Pindaro tribuere digreſſiones, alios vero in omnia alia ire: in quo tamen hi quidem vehementer peccent, propterea quod digreſſionibus neglectis iſtae Odae intelligi explicarique non poſſint. Quod ut clarius appareat, Auctor operoſa analyſi *Odes* Olymp. III. aliarumque docet. *Caput III.* §. XIII. in eo verſatur, ut doceat, characterem Pindari externum in illo inprimis notiſſimo *Steſichori* ternario ſitum eſſe, qui omnes Odas in *Strophas*, *Antiſtrophas*, et *Epodos* dividit: quo loco merito cauſſas Scholiaſtae Pindari, quas pro iſta diviſione affert, ridet. Veruntamen haec diviſio lyricorum carminum non fuit arbitraria: nam Poetae debebant conſulere primo auditoribus, qui Ode ita in partes reſecta, tempus ſenſus inveniendi haberent; deinde vero etiam recitantium cura habenda erat, ne eos, ſi tot verba uno ſpiritu pronuncianda eſſent, vox deficeret. Quis autem non videt, haec argumenta valde lubrica atque fallacia eſſe? Ceterum late Auctor de hac re diſputat, et §. XIX. regulas quaſdam conſtituit, quarum ope indagari poſſit, ubi haec diviſio locum habere debeat, eamque ex mente Auctoris etiam ad Pſalmos quoſdam pertinere videbimus. Prima igitur regula eſt: Ternarius *Steſichori*, carminibus, quae ſunt *ἐπινίκια*, et cum Pindaro ali-

Digitized by Google

quid habent commune, tribuendus eſt: v. c. Pſ. XXVII. In qua tamen re hoc diligenter tenendum, ne perſonarum permutatione commoveamur; deinde, ne in majores difficultates incidamus, ubi inducto ternario, unam alteramve tolli poſſe intellexerimus. Secunda regula huc redit: Si tot in carmine ſunt difficultates, quae nulla ratione, niſi inſtituta hac diviſione, explicari poſſint, recte haec medicina carmini adhiberi poſſe cenſenda eſt. Diviſiones ipſae in iſtis locis collocandae ſunt, ubi non tam membri, quam nexus ratio poſtulat, quia non probabile eſt, Poetam rudem atque imperfectam Poeſin Hebr. potius, quam nexum ſecutum eſſe. Haec ſunt ipſius Auctoris verba. At vero nos, qui haec legimus, atque ſcribimus, perſuadere nobis non poſſumus, ut exiſtimemus, adeo rudem atque imperfectam Hebraeorum Poeſin fuiſſe. Ars poetica, ut ſciunt artis periti, atque ars Muſica, arctiſſimo vinculo tenentur: vix probabile eſt, frigente arte Muſica, Poeſin elegantem eſſe poſſe. *Cap. IV.* perſequitur A. inſtitutum iter, ita ut doceat, multos doctos viros exiſtimaſſe, antiquiſſima Hebraeorum carmina Choris diſtincta fuiſſe, quorum non obſcura ubique veſtigia expreſſa ſint. Nam cum Hebraei habeant carmina, quae laudes Dei, item victorum, celebrent, et propterea proxime ad illa Pindari accedant, probabile fit, ea etiam eodem modo diſtincta fuiſſe. Haec probabilitas juvatur praeterea Exod. XV. et ipſa facilitate, qua ſenſus, huius diſtinctionis interventu, inveniri poteſt: qua re permoti multi docti viri, exiſtimarunt, Poeſin primo a Iudaeis inventam, deinde ad Aegyptios, aliasque gentes veniſſe; unde non male collocata opera eorum cenſenda eſt, qui carmina Hebraeorum ad primas illas leges revocare conentur. His rebus impulſus Auctor, conſtituit Odas quasdam Davidis, ad hunc modum reſtituere, praemiſſa brevi confutatione libelli *Baarii* cujusdam. *Capite Quinto* igitur carmen *Deborae*, et Pſalmus LXIIX. ad leges ſupra ſcriptas,

et

et ad genium Odarum Pindaricarum exiguntur: in quo examine, primo argumentum et occaſio ſcribendi carminis proponitur, et facta analyſis §. XXIII. pluribus defenditur; quae ſane defenſio ingenioſa atque ſubtilis eſt. *Capite Sexto* Pſalmum illum LXIIX. difficillimum eſſe oſtenditur, atque interpretum variae opiniones commemorantur. Prima interpretatio eſt *Vatabli*, *Grotii*, *Clerici*, qui de exitu Iſraelitarum ex Aegypto, et victoria quadam Iudaeorum de hoſtibus, Pſalmum explicant. Sed haec interpretatio facile auctoritate Pauli, Epheſ. IV, 8. 9. 10. confutatur. Altera eſt *Molleri*, *Vitringae*, *Riveti*, qui ad Chriſtum omnia in Pſalmo hoc referenda eſſe contendunt. Vtraque interpretatio, judice auctore doctiſſimo, magnas difficultates habet, eaeque facillime, inducto ternario Steſichori, ſuperari poſſe videntur; quod propterea fit probabile, quia Davides, cum hanc Odem ſcriberet, ad carmen Deborae reſpexiſſe videtur. Hactenus de prima parte iſtarum Obſervationum, venimus ad alteram. Inſcriptio haec eſt:

Deſcriptio Codicis M. S. Hebraici in Bibliotheca Publica Ill. Gymnaſii Daventr. Prophetas continens, cum Indice omnium in eo variarum Lectionum.

Eſt duplex Cod. MS. in Bibliotheca Publica Gymnaſii Daventrienſis, alter Pentateuchi Hebraeo-Chaldaici partem, et quinque *Megilloth*, alter vero Prophetas complectitur. Horum neutrum *Wolfius* vidit, *Uffenbachius* in *Itinerario* eorum mentionem facit. Codex alter eſt membranaceus quadratus, forma quam in folio dicimus, ſuperans ſolitam tabularum Geographicarum magnitudinem: complectitur folia LVII. in quibus leguntur Prophetae, inde a Jeſ. XXXVII, 21. usque ad Zach. Cap. I, 2. Ordinem librorum habet eum, quem omnes fere eruditi antiquiſſimis Codd. tribuere ſolent. Incipit nempe a Jeſaia et Ezechiele, et probabile eſt, Jeremiam primum obtinuiſſe locum: Ezechielem

lem excipiunt Prophetae minores, eodem quo in impreſſis ordine. Non idem de textu iſtius Codicis, quod de punctis, accentibus, aliisque additamentis ſtatuendum eſt, quia haec omnia a recentiori manu addita ſunt, quae etiam varias emendationes et correctiones adjecit; quod Venerandus Auctor ita probat: 1) quia atramentum, quo ipſe Codex ſcriptus eſt nigerrimum eſt, illud autem, quo puncta et reliqua additamenta picta ſunt, eſt paullo pallidius, ita ut vix puncta legi poſſint, et in quibusdam locis temporis antiquitate fere abſumta ſint: 2) librarius, qui Cod. deſcripſit, nitidiſſimo litterarum ductu uſus eſt, quae autem a punctorum auctore addita ſunt, ad illam elegantiam non accedunt. 3) Scriptor textus diverſam a Maſorethis ſequitur lectionem, puncta autem addentis manus, puncta aut ad Maſoretharum leges refinxit, aut, ubi hoc fieri non poterat, vocem integram ſine punctis reliquit, allita margini recepta Maſoretharum lectione. Quod ad vocales attinet, litteris *Begadkephat*, quoties non ſunt dageſſatae, lineola *Raphe* ſuperſcripta eſt; ה Mappikatum a quieſcenti per punctum ſubjectum diſcernitur; Cholem in יהוה fere ſemper deficit. In quibusdam locis lectio marginalis in ipſo textu legitur. Variae autem Cod. lectiones hae ſunt: in quo tamen Auctor monet, ſe in eorum numerum etiam lapſus librarii retuliſſe, quod facere debebat, ut eo magis lectores de pretio Cod. judicare poſſent. Jeſ. XXXVII, 32. eſt מהר יהוה ציון deeſt יהוה in impreſſis et v. 38. אסר הדן ut una vox ſcribitur porro deeſt לפניך et particula נא eodem verſu abeſt, ſed utraque ad marginem notata fuiſſe videtur, licet legi non amplius poſſit v. 19. הוא deeſt. Sed ad marginem ſcripta eſt vox. Cap. XXXIX, 3. רחקה ſine ו v. 6. נשא כל recentior manus interſeri vult, et hunc in finem ſuperſcripſit את v. 8. דברת Kametz in Pauſa. Cap. XL, 6. כל omnino ſine punctis, ac ſi punctans, eam vocem legi noluiſſet. v. 12. בארח legitur pro בדרך recentior tamen manus

manus illam vocem obelo notavit, et ad marginem hanc appoſuit. Videtur librarii lapſus fuiſſe. V. 21. הלא ſine ו quater. v. 23. ושפטי a recentiori manu ו additum eſt. v. 29. ירבה deeſt tota vox, ſed in margine legitur. Cap. XLIV, 16. עלחציו punctator praefigi vult ו v. 16. יסגר ſine ו quod punctans ſuperſcripſit. Cap. XLIX, 12. יבא ואלה ad אלה praefigitur ו ſuppreſſa particula הנה et mutato verbo ex plurali in ſingul. Sed Auctor punctorum ad receptam lectionem mutavit. Cap. L, 3. גוי נתתי למכים ſine ullo accentu. E vaticiniis Ezechielis haec notanda exiſtimavimus. Cap. II, 9. אלי deeſt. Cap. VII, 21. הארץ deerat ה quod punctans adſcripſit. Cap. X, 1. אליהם Aleph pro Ajin. Sed punctans correxit. Cap. XII, 4. בכלי Praef. ב pro כ verſ. 18. omiſſa eſt vox לחמך et ב praef. ut legatur רעש תאכל; ſed hac voce non punctata pro more, lectio recepta in margine habetur. verſ. 23. מידכם affix. maſc. pro femin. ut etiam in ſequenti voce, ſed correxit Auctor punctorum. Cap. XVI, 5. Cod. habuit תשלכתי ſed punctans delevit ת. Cap. XVII, 9. תצלח punctans praefigi vult ה interrogativum: v. 21. voces לכל רוח deſunt, ſed recentior manus margini adſcripſit. Cap. XX, 2. את־זקני punctans legi vult אל et hinc vocem את non punctavit, illam ad marginem appoſuit. Cap. XXII, 3. דמיך in plural. ſed punctans י transfixit. Cap. XL, 14. ויעש punctans legi vult וימד. Cap. XLVII, 22. pro שבטי legit Codex בני quod ad marginem notatur. In Hoſea haec invenimus. Cap. I, 9. להם vitioſe tertia pro ſecunda perſona, ſed punctans mutavit. Cap. XII, 2. עם deeſt, ſed in margine legitur. verſ. 10. עד abeſt, ſed notavit punctorum Auctor. Cap. XIII, 2. מסכה deeſt vox, ſed in margine ſervata. Lectiones ceterorum librorum non annotandas exiſtimavimus, quia pleraeque erant lapſus librariorum; quare ad tertiam Partem Opuſculi feſtinamus, quae inſcribitur:

Speci-

Digitized by Google

Specimen Stricturarum Criticarum in Viri doctiſſimi Benj. Kennicoti Diſſertationem Priorem de ſtatu textus Hebraici impreſſi.

Houbigant promiſerat Editionem V. T. e Codice ante Chriſtum natum ſcripto, ſed cum in ea re, judicio omnium doctorum virorum, nil praeſtiterit, jure *Kennicoti* induſtria ejus temeritati et negligentiae praeferenda eſt. Venerandus igitur Auctor legendo libro Kennicoti varias obſervationes, pertinentes ad loca S. S. in quae Kennicotus criſin exercuerat, notaverat, ſpeque Kennicotum non aegre laturum, quo facilior in hoc genere ſummorum virorum lapſus ſit, eas typis exprimendas curavit. *Kennicotus* igitur comparato 2 Sam. V, 1-10. et XXII. idem 1 Chron. XI. conjicit vocem הננו 2 Sam. V, 1. pro qua eſt 1 Chron. XI, 1. הנה corruptam eſſe, unde ad hanc conjecturam refellendam docetur, apud Hebr. Suffixa ſaepius redundare, v. c. Exod. II, 6. Geneſ. XLIV, 16. Ezech. V, 8. Collato porro 2 Sam. V. cum 1 Chron. XI, 2. ſuſpecta Kennicoto eſt particula גם ter repetita l. l. Chron. cum in libris Sam. bis tantum legatur. Ita igitur argumentatur; iſtam repetitionem ternariam non eſſe neceſſariam, quia neque Alex. Interpretes expreſſerint, neque ſenſus neceſſario poſtulet. Sed loco Jud. XII, 22. illam repetitionem ab ingenio linguae Hebraeae non eſſe alienam oſtenditur. Duplicem Kennicotus in verbis Sam. הייתה מוציא והמבי ſtatuit corruptionem. Prima pertinet ad litteram ה quam in fine verborum ſuperfluam eſſe, et ex ſequente vocabulo ortam, contendit: porro radicale א in fine ſecundi participii elapſum arbitratur, ad quae ita Vir doctus reſpondet: ה paragogicum praet. 2. perſ. maſc. addi poteſt, auctore *Schultenſ.* Grammat. Hebr. et ה articuli adeſſe et abeſſe poterat: quod ad א attinet, notandum eſt, ultimam quieſcentem א ſaepius excidere; vid. I. D. Michaelis Gramm. Hebr. p. 164. Late Kennicotus diſputat ad 1 Chron. XI, 8. ubi

ubi pro שאר, שר, et pro יחיה legendum יהיה exiſtimat: At vero Venerandus Auctor ita contra: את nunquam nominativo, qui a verbo Subſt. regitur, addi poteſt. Hiſtoria porro haec emendatio non juvatur, quae Joabum nunquam שר העיר, ſed שר צבא appellat. Ex hoc igitur Specimine facile credimus quemcunque intellecturum, quam elegans ſit, quamque varia in Venerando Auct. eruditio. Multa egregie contra criſin Kennicoti diſputat, adeoque librum diligenter legendum exiſtimamus.

ACTA PACIS OLIVENSIS INEDITA, TOMUS I. in quo IOACHIMI PASTORII ab HIRTENBERG Aurora pacis, Diarium Pacificationis, e Bibliotheca Zaluſciana nunc primum prolatum, Oliva Pacis, continentur. Recenſuit, illuſtravit, Tabulas publicas et obſervationes adjecit, IOANNES GOTTLOB BOEHMIUS, Hiſtoriogr. regius, Hiſtoriar. Profeſſ. Publ. Ordinar.

Vratislaviae apud Kornium et Gampertum, 1763. Alph. 4. in 4.

Laetiſſimum hoc tempus, ob reſtitutam patriae tranquillitatem, (quam tot annis, tam anxie, totque votis a Deo Optimo Maximo expetivimus, et ſine qua, qui litteris operamur, parum proficimus,) longe pulcherrimo munere illuſtravit IOANNES GOTTLOB BOEHMIVS, Vir Ampliſſimus, Collega noſter conjunctiſſimus, emiſſis in lucem his praeclaris Commentariis pacificationis Olivenſis. Renovata enim memoria rerum circa eam geſtarum, ingentem utilitatem hiſtoriae cultioris Europae quum praeſtet, ipſum etiam omen peropportune

ne accidit, quod Paci Auguſtae, et Fortunae Reduci Optimi Principis, hoc monumentum dedicatum eſt. Quae enim vota publice, pro ſalute et incolumitate Regis Potentiſſimi atque Clementiſſimi, omnes boni nuncupaveramus, ea privata hac *Boehmii* pietate, cum viridiſſima hac Oliva occurrentis, tamquam ſcitae et fauſtae imaginis, exemplo exprimuntur. Inſcriptum vero ſimul opus eſt Reipublicae Polonae, cuius jura et res praeclare geſtae ex eo mirifice illuſtrantur. Tomus autem hic I. haec continet, quae ordine memorabimus. Initium facit *Boehmii* prooeminm, diſertum et perpolitum, ad *Joſ. Andream Zaluſcium*, Epiſcopum Kievienſem, Illuſtrisſimum Sarmatiae Maecenatem, qui fide erga patriam et Regem tantum eminet, quantum ſtudiis et litterarum amore excellit. Huic meritas gratias perſolvit, quod ejus benignitati potiora huius Operis monumenta in acceptis refert. Sed debitae etiam laudes tribuuntur aliis, quorum opera et ſubſidiis tantos adparatus inſtruere ſollertisſimo editori licuit. Nam quum *Boehmius* noſter a fratre ſuo, *Ioanne Ehrenfrido Boehmio*, Viro doctisſimo et humanisſimo, didiciſſet, Ioach. Paſtorii diarium pacificationis Olivenſis inter theſauros litterarios Zaluſcii adſervari, ſuumque deſiderium illud in lucem producendi Illuſtrisſimo poſſeſſori expoſuiſſet, is non has modo preces perbenignus admiſit, ſed paullo poſt beneficium etiam duplicavit, ſubmiſſo alio codice e bibliotheca, cedro dignis chartis refertisſima, codice Polonico, quem *Zaluſcianum* ideo *Boehmius* vocat, ſummi pretii, et praecipuae auctoritatis atque fidei. Auctoris quidem nomen non erat indicatum, ſed *Boehmius*, ſagaci et felicisſima conjectura, eum Chriſtophoro Pacio, ſupremo Lithuaniae Cancellario, vindicavit. Continet autem narrationem exactam eorum, quae a IV. Id. Octobr. MDCLIX. ad XII. Kalend. Mai.

Digitized by Google

Mai. anni inſequuti acta ſunt. Quae quidem cum Paſtorii narratis ſatis dilucidis conveniebant, omittenda *Boehmius* recte cenſuit; ſed tabulas publicas, quas fruſtra antehac per ſcrinia et bibliothecas ſummorum virorum inquiſiverat, pleraſque, ex illo, luci expoſuit. Celebrat etiam grata mente editor, Illuſtrisſimi Bernsdorfii, Comitis in Dania Conſiſtoriani, humanitatem, ad quam ope Io. Frid. Bariſieni, Misſi Danici ad Tingitanos, aditus ipſi paratus quum fuiſſet, commendatione ejus, a Rege Daniae Optimo, ſaeculi apud ſuos aurei parente, (verba ſunt *Boehmii*), impetravit chartas publicas haud paucas, et ipſum Legati Danici diarium. Joſephi Barrii, Cancellarii Academiae Pariſienſis, operam praedicat, qui ipſi litterarum Antonii Lumbrani, pacificatoris Galli, nonnullas particulas, quae quidem inveſtigari potuere, transmiſit. Illuſtrisſimi Comitis Eckebladii, Regni Sueciae Cancellarii, beneficio, cura autem et ſtudio Amplisſimi Stiernmanni, Equitis Stellae Polaris, Ephemerida Suecicam ſeſe accepiſſe, profitetur; ut etiam viri magni benignitatem laudat, a quo Felkerſamii, Cancellarii Ducis Curoniae, et ad conventum Olivenſem legati, commentarios diurnos eſt nactus. Reliqua pars prooemii rationem inſtituti redditam exhibet; de qua ipſa commodius nunc ſecundum ſeriem Operis exponemus. Prima exhibetur Aurora pacis, ſeu Paſtorii Oratio, in Athenaeo Gedanenſi, ad Legatos, Caeſareum, Polonicum, Brandenburgicum, ante conventum Olivenſem habita; ſequitur ejusdem diarium, quod ex bibliotheca Zaluſciana proferri diximus; et ſubiicitur Oliva pacis, ſeu Oratio Paſtorii, rurſus ad ſeptentrionis pacatores. Magnum flumen eloquentiae in oratione utraque mirandum eſt; at in diario fides, candor, et gravitas ſcriptoris merito aeſtimantur. Nam ſtilum quidem recentioribus in-

ſtituris et vocabulis, perſpicuitatis et moris aularum publici cauſſa, adcommodare coactus vir latini ſermonis peritiſſimus, rerum pondere verborum peregrinitatem bene compenſat. Summam autem curam doctiſſimus editor adnotationibus adjectis impendit, qua obſcura aut dubia ex optimis auctoribus et documentis declararet, ut neſciamus adeo, copiamne diffuſae lectionis, an judicium acre magis admiremur. Specimini ſufficiant pulcherrima obſervata de Thorunii deditione; de inſignibus gentis Waſiacae; de epiſtolis Paſtorianis, ad Adrianum van der Linda; de victoria Danorum et foederatorum in Fionia; de Boleslao Chrobraeo; de primum tentatis, inter Io. Caſimirum et Carolum Guſtavum, pacis conſiliis; de diſceptatione, ob mentionem *belli ſociorum;* de titulis et inſignibus regni Sueciae, a Io. Caſimiro omiſſis, poſt Oxenſtiernae contentionem; de Britannorum, Gallorum, Belgarumque ſtudiis et decretis, in pactione Pyrenea, ut per ſeptentrionem pax conciliaretur; de iis, quae Sueci, tamquam Oldeslaviae et Wiſmariae jam promiſſa, poſtulaverant; de pactis Bidgoſſienſibus; de Polonorum recuſatione externorum religionis arbitrorum; de diſſidentium in religione, quos dicunt, rebus; de Czarnecio, duce fortiſſimo; de Belgarum aemulatione, adverſus Principum Electorum eminentiam; de contentione ob Livoniam; de controverſiis, circa alienorum regnorum titulos uſurpatos; de ceſſione Livoniae; de Polonorum conſultationibus, cum Legato pacificatore, e codice Zaluſciano; de cauſſa Burggraviorum a Dohna; de Koenigsmarckii captivitate; de cauſſa Radziviliana; de Polonis, rationem Daniae habere recuſantibus; de ſtatu rerum, circa obitum Regis Suecici; de quaeſtione, utrum morte Principis mandantis, mandatum, miniſtro datum, exſpiret; de limitibus Curoniae et Livoniae; de

de poſtulato ſatisfactionis Suecicae ; de religionis per Livoniam αὐτονομίᾳ diſceptatione ; de Caeſareanorum expeditione Pomeranica ; de Sigismundo L. B. Guldenſternio ; de rationibus ſponſionum , ſuper conſervatione pacis ; de *Butovia* et Lauenburgo ; de juranda publicarum pactionum fide ; de mutuis Auſtriae et Poloniae foederibus ; de Suecorum expoſtulationibus , quaſi Imperator legibus pacis Weſtphalicae haud ſteterit ; de titulo SERENISSIMI controverſo ; de Hieron. Radzieiovio ; de foedere Rhenano ; de ſollemniore pacis Olivenſis promulgatione , et celebratione : et quae alia non his minus memorabilia , concinna , erudita , quamvis breviter interdum , locis prope innumeris , adjecta ſunt. In univerſum , ex hac varietate rerum obſervatarum Lectores noſtri intelligent , quam late uſus praeſtantiſſimi Operis pateat , ut nec ad ſolam rerum ſeptentrionalium hiſtoriam faciat. Inde ſubjiciuntur Paſtorianis lucubrationibus Acta Publica numero LXXVII , de quorum pretio dicere nihil attinet , quum nemo paullo humanior ignoret , quantum adcuratae rerum notitiae , et formando judicio , ea conferant. Magna pars hic primum in lucem profertur , et e theſauris , praeſertim Zaluſcianis , ad XLVII , pauciora ex libris editis , reliqua ex optimis tabulariis , Polonico , (Acta Metrices Cancellariae minoris vocant ,) et Danico , depromuntur. Sed vel maximum decus huic volumini conciliant elegantiſſimae obſervationes *Boehmii* noſtri , ſingularem in librum redactae ; cujus tamen prior ſolum pars , a prima ad XIII , hoc Tomo comprendi potuit , decade reliquarum ad ſequuturum volumen poſtremum reſervata. Initium facit elogium Joachimi Paſtorii , facundum , argutum , atque floridum. Quae de viri litteratiſſimi operibus hiſtoricis nondum publicatis legimus , ea valde magno deſiderio nos adfecerunt , optamusque ; ut , abo-

lita tandem lapſu aevi invidia, Illuſtriſſimi Zaluſcii erga litteras beneficiis adnumerari editio poſſit. Altera de cauſſis belli, a Carolo Guſtavo, Rege Succiae, adverſus Ioannem Caſimirum, Regem Poloniae, geſti, inſignem rerum Europaearum peritiam in *Boehmio* prodit. Poſtquam enim de cauſſis, tam obtentui ſumtis, quam ex conditione temporum et adfectibus ortis, conjectando expoſuit, et, ſententiis aliorum ad examen revocatis, ipſe rationes prudenter ſubduxit, plus momenti ad has Boreae procellas in animo vaſto Caroli Guſtavi, quam ex ulla alia invitante occaſione fuiſſe, recte quidem ſtatuere multis videbitur, ſi praeſertim vera narravit Terlonus, ſaepius ex ipſo audire ſaſſus: *Septentrione ſeſe ſubacto Italiam terra marique petiturum, et, alterius Alarici inſtar, Romam rurſus Gothis ſubjecturum.* Tertia, ſuperiori haud diſſimilis, inſcribitur: de arcanis pacis Olivenſis. Contaminari Auctoris cogitata, aut carptim referre quum minime deceat; tum nihil apertius idoneis auctoritatibus doceri putamus, quam Reginae Polonicae artibus et feſtinationi tribuendum eſſe, ſi tali in articulo rerum Suecicarum plus obtineri haud potuit. Quarta, de praecipuis pacis Olivenſis ſcriptoribus, egregias notationes praeſtantiſſimorum operum Terloni, Leonis ab Aitzema, Pufendorfii, aliorumque habet, et ad minutas etiam commentationes, quae uſum praeſtant, reſpicit. Quinta, quae praeſcribitur: Recenſio Actorum pacis Olivenſis, ingentis diligentiae ſpecimen praebet. Sexta, cui titulus: Gallus ſequeſter pacis, egregias memorias ardui operis, e praeſtantiſſimis ſcriptoribus, eleganti ſelectu, repetit. Septima, de monaſterio Olivenſi, inter reliquas utiles notitias, meritiſſimas laudes Praeſulis Alexandri Keſſovii, cujus prudentia et virtus in hac pacificatione maxime eluxerant, complectitur. Omnium praeſtantisſima, noſtro quidem iudicio, eſt octava, in qua elogia Legatorum elegantisſime et acutisſime compoſita leguntur. Nona, de legatione

gatione Danica aliquot monumenta nondum publicata exhibet, et rebus memoratu dignisſimis abundat. Decima, de legatione Belgica, huic plane ſimilis, multa etiam ſingularia raris ex auctoribus continet. In undecima, de legatione et cauſſa Neoburgica, quum ipſum negotium luculentisſime exponitur, tum IV. inſtrumenta publica, tria e codice Zaluſciano, unum e tabulario Polonico, (Actis Metrices,) inſeruntur, quibus egregia lux controverſiis Iuliacenſibus adfunditur. In duodecima, de Etceterationibus, cui verbo ſcite et polite veniam *Boehmius* praefatur, inter Sueciae et Poloniae Reges quondam controverſis, doctrinae copiam et floridam eruditionem iure miramur, qui hunc locum curioſa arte excoluit, et controverſiarum illuſtrium ingenia eximio exemplo expresſit. In decima tertia, de Hieron. Pinocio, et legatione eius, ad Belgas et Britannos, tam ubertatem optimae frugis, quam reconditas memorias, et ſubtilem rerum antehac vix cognitarum explicationem, deprehendimus. Et hic quidem, ob Voluminis molem, finire primum hunc Tomum *Boehmio* placuit. Reliquas XIV. praemiſſa, de antiquo iure Imperii Rom. Germ. in Livoniam, XV. de contentione Sueciae et Poloniae ſuper Livonia, ante pacificationem Olivenſem; XVI. de contentione eadem in ipſa pacificatione; XVII. de contentione propter ſacra Livoniae, in conventu Stumdorfiano; XVIII. de Sigism. Guldenſternio, Caſtellano Gedanenſi; XIX. de S. Brigittae bonis, et patronatus iure, in pacif. Oliv. controverſis; XX. de vectigalibus Pomeranicis inter Suecos et Electorem Brandeburgicum diſceptatis; XXI. de pacis Olivenſis et Weſtphalicae comparatione; XXII. de ſubſcriptione pacis Olivenſis; XXIII. de rebus miſcellis, Tomus alter, quem avidisſime exſpectamus, complectetur. Titulum interea eius ſubiicimus, ipſum, ubi prodierit, quod propediem fore ſperamus, opportune indicaturi: „Acta Pacis Olivenſis

„ſis inedita Tomus II. in quo Pacificationis Olivenſis Diaria, Suecicum, Danicum, Curonicum, e tabulariis et ſcriniis nunc primum prolata, continentur. Recenſuit et illuſtravit Ioannes Gottlob Boehmius, Hiſtoriogr. Regius, Hiſt. Prof. Ord. in Acad. Lipſica." Felicitati ergo ſollertisſimi et politisſimi editoris nobiſcum lectores noſtri gratulabuntur, quod non tantam modo copiam abditorum monumentorum eruere, ſed ſuperbum hoc quaſi hiſtoriae Europaeae theatrum tam magnifico adparatu inſtruere, ipſi contigerit, et noſtro ſaeculo exemplum dederit, quantum ex actis mundi prioris, in uſum et reipublicae, et litterarum, trahere liceat, quoties decora ingenia tam nobilis ardor agit, ut argutulis Mileſiis et ſcenicis nugis res ſerias praeſerant.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Junii Anno MDCCLXIII.

Pars I.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIentiarum Imperialis Petropolitanae TOMVS VIII. pro annis MDCCLXI. et MDCCLXII.

Petropoli, typis Academiae Scientiarum, 1763. Alph. 3. plagg. 9. in 4. cum tabb. aen. XIV.

Dici non poteſt, qua contentione, illuſtris Academia Petropolitana de republica litteraria bene mereri pergat, edendis Commentariorum Voluminibus, quibus tot inſunt perfectae doctrinae, et ad extendendam ſeu Mathematicae, ſeu Phyſicae ſcientiae, ſeu aliarum diſciplinarum cognitionem, inprimis idoneae commentationes, dudum doctis hominibus omnibus exoptatiſſimae. Nos in indicandis Tomi eius, qui nunc eſt in manibus noſtris, divitiis, ſumma capita cujusque diſſertationis, ad ordinem claſſium, Lectoribus noſtris proponemus; excitaturi ea re guſtum, ipſi Operi legendo.

Sunt igitur primum MATHEMATICA. In his I. *De integratione aequationum differentialium* diſſertatio LEONARDI EULERI. Saeculum mox erit elapſum, ex quo idea Differentialium et Integralium feliciſſimo ſucceſſu in Analyſin eſt introducta; unde etiam haec ſcientia tanta ſubito

cepit incrementa, ut, quicquid antea fuerat exploratum, vix comparationem ſuſtineat. Quantumvis autem hoc novum calculi genus ſummorum ingeniorum ſtudio et indefeſſo labore adhuc eſt excultum, minime tamen id exhauſtum eſt reputandum; et quo ulterius in hac ſcientia progredi licet, eo ampliores campos etiam nunc prorſus incultos detegunt Geometrae, qui vires humanas longe ſuperare videntur. Cum igitur labores in hoc ſtudio impenſi jam tantum utilitatis attulerint, eo magis hinc animi Geometrarum incendi debent, ad immenſum hunc campum diligenter omnique cura perſcrutandum. Quorum quidem ſtudia antiquis tantum elementis ſunt adſtricta, vel qui a Mathematicis diſciplinis prorſus abhorrent, eos idea Infiniti, cui ſublimiores iſtae inveſtigationes ſunt ſuperſtructae, non mediocriter offendere ſolet, et voce perperam intellecta, plerumque ſibi perſuadent, ſubtiliorem hanc Analyſeos partem tantum in vanis circa infinite magna et infinite parva ſpeculationibus conſumi, neque inde quicquam utilitatis ad vera cognitionis noſtrae objecta, quippe quae omnia ſint finita, expectari poſſe. Quae opinio, etſi utiliſſimis inventis, quae ſublimiori Analyſi accepta referre debemus, jam funditus eſt everſa, haud tamen abs re erit perverſas illas Infiniti ideas, quibus ea innititur, removere et emendare. Cum igitur univerſa Matheſis in omnis generis quantitatum contemplatione et comparatione verſetur, nemo ignorat, pleraſque quantitates, quas in mundo deprehendimus, continuo variari, et perpetuis mutationibus eſſe obnoxias. Caelum inſpicienti mox patet, ſolem, lunam, et ſtellas, ſitum ſuum jugiter mutare, ſola illa ſtella, ſi quae forte in ipſo mundi polo fixa apparet, excepta. Si tum autem per quantitates cognoſcimus, dum locum cuiusque Stellae, ſive reſpectu noſtri Horizontis per Altitudinem et Azimuthum, ſive reſpectu Aequatoris per Aſcenſionem rectam et Declinationem, ſive denique reſpectu Eclipticae per Longitudinem et Latitudinem definimus; unde perſpicuum eſt, totam Aſtronomiam cognitione quantitatum contineri, quarum

rum aliae continuas mutationes patiantur, modo majores, modo minores, aliae vero perpetuo eaedem maneant, veluti Latitudo cujusque ſtellae fixae, etiamſi nunc quidem hic levis variatio ſit obſervata. Harum ergo quantitatum, quas natura nobis offert, diviſio in variabiles et conſtantes, ſatis eſt manifeſta, ſimulque intelligitur, difficillimam noſtrae cognitionis partem in accurata quantitatum variabilium inveſtigatione eſſe conſtitutam. Scilicet, tum demum perfectam cognitionem motuum caeleſtium, veluti Planetae, ſeu Cometae, ſumus adepti, cum pro quovis tempore ejus locum in caelo, hoc eſt, ejus Longitudinem et Latitudinem asſignare valuerimus. Ponamus, lunae motum hac ratione nobis eſſe exploratum, quo melius cogitationes noſtras figere queamus; quicquid enim de hoc caſu dixerimus, id facile ad omnis generis quantitates variabiles transferetur. Cum igitur ad quodvis tempus, quod pariter quantitate metimur, Lunae tam Longitudo quam Latitudo asſignari queat, utraque haec quantitas per tempus determinatur, ſeu ſi tempus a certa epocha elapſum denotetur litera *t*, tam Longitudo quam Latitudo lunae exprimetur certa quadam formula per tempus *t*, utcunque definita, cuius valorem pro quovis tempore *t* asſignare liceat. Hujusmodi formula generalis, cujus valor determinatus pro quolibet tempore determinato exhiberi poteſt, vocatur in Analyſi Functio quantitatis *t*, ſicque noſtro caſu et Longitudo et Latitudo lunae erit certa quaedam Functio temporis *t*, cujus natura, hoc eſt ratio compoſitionis, ſi nobis eſſet perſpecta, motus lunae perfectam haberemus cognitionem, quae ideo tota in ratione illorum functionum ſita eſt cenſenda. Cum igitur inde conſtet, quantam mutationem lunae Longitudo et Latitudo quovis tempore ſubeat; variatio etiam minimo tempore facta, quae utique et ipſa erit minima, definiri, ejusque relatio ad ipſum tempus minimum asſignari poterit; quae cognitio maximi eſt momenti, cum inde mutatio momentanea innoteſcat, nihilque hic impedit, quo minus tempuſculum iſtud evaneſcens, ſeu infinite parvum, accipiatur. Atque hic eſt fons infinite

 parvo-

Digitized by Google

parvorum, in Analyſi receptorum; ubi probe notari convenit, non tam ipſorum parvitatem, quam rationem mutuam, quae utique eſt finita, conſiderari: et quemadmodum hujusmodi infinite parva Differentialia vocantur, ita Calculus, in eorum relatione ſcrutanda occupatus, Differentialis appellatur; neque hic quicquam de infinite parvis eſt metuendum, cum omnis calculus in eorum relatione, quae eſt finita, abſolvatur. Hactenus quidem aſſumſimus, indolem earum formularum, ſeu Functionum, quae Longitudinem Lunae et Latitudinem per tempus exprimunt, eſſe cognitam; verum, ſi viciſſim ipſa mutatio momentanea daretur, quippe quam ex viribus Lunam ſollicitantibus colligere licet, tum quaeſtio ad naturam illarum Functionum inveſtigandam reducitur, cui et tota Lunae theoria eſt ſuperſtruenda. Hic igitur ex mutatione momentanea, ſeu, ut Geometrae loquuntur, ex data relatione Differentialium, indoles ac natura ipſarum Functionum determinari debet, in quo Calculus Integralis continetur. Quemadmodum itaque Calculus Differentialis docet Functionum Differentialia, ſeu potius eorum rationem inveſtigare, ita viciſſim Calculus Integralis ex data Differentialium ratione indolem Functionum eruendi methodum tradit. Utriusque ergo vim ita commodiſſime deſcribere licet, ut ſi v fuerit Functio quaecunque quantitatis t, ac ponatur Differentialium ratio $\frac{dv}{dt} = p$, Calculus Differentialis methodum exhibeat, ex indole Functionis v hanc Differentialium rationem p definiendi; contra autem Calculi Integralis munus ſit, ex data hac ratione p, ſeu ejus relatione ad ipſas quantitates t et v indolem Functionis v eruere. Scilicet, ſi inter has quantitates p, t, et v, aequatio quaecunque proponatur, totum negotium eo redit, ut inde natura Functionis v ſeu quomodo ea per t determinetur, concludatur. Quia vero ex illa aequatione data quantitatem $p = \frac{dv}{dt}$ per t et v definire licet, hinc ejusmodi aequatio $M\,dt + N\,dv = 0$ naſcetur, Differentialis appellata, in qua literae M et N ut-

cunque

cunque per t et v determinatae ſunt intelligendae, et jam quaeritur, cujusmodi functio quantitas v ſit ipſius t, ſeu, quod eodem redit, aequatio relationem inter t et v exprimens requiritur, unde pro quovis valore ipſius t valor ipſius v aſſignari queat. Hanc igitur quaeſtionem, in latiſſimo ſenſu acceptam, Cel. Eulerus in hac diſſertatione contemplatur; et poſtquam animadvertit, eam tantum pauciſſimis caſibus adhuc reſolvi poſſe, atque in hunc finem methodos maxime diverſas a Geometris adhiberi ſolere, methodum multo ſimpliciorem magisque naturalem proponit, omnes illos caſus expediendi, quae ſimul viam ad plurimos alios caſus patefacere videtur. Quantum hic ſit praeſtitum, ex ipſo Auctoris ſcripto eſt judicandum; hic tantum notaſſe juvabit, aequationem hanc $M\,dt + N\,dv = 0$, etiam in latiſſimo ſenſu acceptam, exiguam tantum particulam univerſae Analyſeos infinitorum continere, quia tantum Differentialia primi ordinis complectitur. Quodſi enim v fuerit functio quaecunque ipſius t, et Differentialium ratio ponatur $\frac{dv}{dt} = p$, etiam haec quantitas p eſt variabilis, ex cujus variatione iterum ſimiliter ſtatui poteſt $\frac{dp}{dt} = q$, quae quantitas q Differentialia ſecundi ordinis involvere dicitur: quae cum pariter a t pendeat, ponaturque $\frac{dq}{dt} = r$, haec litera Differentialia tertii ordinis implicare cenſetur, et ita porro. Quibus poſitis, Calculus Integralis ita deſcribi poteſt, quod ſit methodus, ex data relatione Differentialium cujusque ordinis indolem Functionis v inveſtigandi, ex qua illa Differentialia naſcantur, ſeu, quod eodem redit, ex data aequatione quacunque inter quantitates t, v, p, q, r, etc. quemadmodum quantitas v per t determinetur, inveſtigari oportet. Ab hoc autem perfectionis gradu omnia adhuc inventa Analyſeos artificia multo magis ſunt remota, et quae adhuc ignorantur, immenſum ſuperant exiguam illam particulam, quam etiamnum evolvere licuit. Verum ne ſic quidem tota vis Analyſeos infinitorum exhauritur, quia ejusmodi tantum

Digitized by Google

tum functiones hic ſunt propoſitae, quae per unicam variabilem determinantur, veluti longitudo vel latitudo Lunae ſpectari poterat, tanquam Functio ſolius illius quantitatis, qua tempus exprimitur. Dantur autem utique caſus, quibus ejusmodi Functiones quaeruntur, quae ſimul per binas, vel ternas, vel adeo plures variabiles determinantur. Hujusmodi exemplum ſe offert, quando motus fluvii definiri debet, ubi aquae celeritatem pro omnibus punctis, quae in fluvio concipere licet, determinari oportet. Cujuslibet autem puncti ſitus per ternas coordinatas x, y, et z definitur, et celeritas in quolibet puncto tanquam Functio ternarum iſtarum variabilium x, y, et z, erit conſideranda: quodſi ergo relatio inter harum et ipſius functionis quaeſitae differentialia intercedens proponatur, quam forte ex principiis motus colligere licet, quaeſtio huc redit, ut ejusmodi functio v ternarum variabilium x, y, et z, definiatur, cujus Differentiale dv ad harum Differentialia dx, dy, dz, datam teneat relationem; ſeu ſi ponatur $dv = p\,dx + q\,dy + r\,dz$, ex data relatione inter quantitates v, x, y, z, p, q, r, aequatione quacunque expreſſa, quaeritur, quomodo functio v per variabiles x, y, et z, exprimatur. Tum vero, cum etiam p, q, r, futurae ſint functiones coordinatarum x, y, et z, earum quoque Differentialia, quae ſecundi ordinis ſunt cenſenda, in computum ingredi poſſunt; unde hanc quaeſtionem, ut latiſſime pateat, etiam ad relationem Differentialium ſecundi altiorumque ordinum extendi conveniet. Quod ſi motus fluminis etiam cum tempore varietur, tum ad ejus cognitionem, celeritatem non ſolum pro quolibet puncto, quod jam ternis coordinatis definitur, ſed etiam ad quodvis tempus aſſignari debet, ex quo celeritas quaeſita, tanquam Functio quatuor variabilium, trium ſcilicet coordinatarum et temporis, erit ſpectanda. Quocirca Calculus Integralis generaliſſime ita definiri poterit, ut dicatur eſſe methodus talem Functionem quotcunque variabilium inveſtigandi, cujus Differentialia cujusque ordinis propoſitam teneant relationem. Quidquid autem adhuc in hoc genere

eſt

eſt praeſtitum, ad unicum fere caſum pertinet, quo functio unius variabilis ex data Differentialium relatione quaeritur; et parum admodum, quod quidem ad functiones plurium variabilium pertineat, in medium a Geometris eſt allatum. In quo cum quaſi Calculi Integralis pars altera ſit conſtituenda, fateri cogimur, eam etiam nunc fere totam incultam jacere. Interim tamen certum eſt, univerſam Theoriam motus fluidorum huic Analyſeos parti maximam partem inniti, in eaque vix quidquam ſolidi ante expectari poſſe, quam fines Analyſeos etiam in hoc genere haud mediocriter fuerint prolati. Fortiori certe incitamento Geometris haud erit opus, ut omnes vires ad hoc quaſi novum Analyſeos genus excolendum intendant.

II. *Solutio Problematis de inveſtigatione trium numerorum, quorum tam ſumma, quam productum, nec non ſumma productorum ex binis, ſint numeri quadrati:* Auctore LEONARDO EULERO. Etſi hujus generis problemata plerisque Geometris nimis ſterilia videntur, quam ut in iis ſolvendis operam ſuam collocare aequum judicent; negari tamen nequit, quin inde inſignia incrementa Analyſis acceperit. Ac certe in genere affirmare licet, quo magis cujusquam problematis reſolutio fuerit abſcondita, methodisque adhuc cognitis fruſtra tentata, eo maius ſolutioni, ſi tandem ſucceſſerit, pretium eſſe conſtituendum. Ad hoc autem genus omnino referendum videtur problema hic pertractatum, cujus difficultatem non ſolum plures conatus irriti, antequam ad ſolutionem pervenire licet, ſuſcipiendi, ſed etiam magnitudo numerorum ſatisfacientium manifeſte declarat. Quam quidem ſolutionem Cel. Auctor tanquam ſimpliciſſimam affert, ea maximis numeris continetur; verum hic non parum intererit obſervaſſe, ex ipſa Auctoris ſolutione multo minores numeros, quaeſtioni ſatisfacientes, ſatis expedite elici poſſe: Poſitis enim ternis quaeſitis numeris nx, ny, nz, ut tres ſequentes numeros

I. $n(x+y+z)$; II. $nn(xy+xz+yz)$; III. n^3xyz quadratos effici oporteat; prima et tertia conditio impletur

ſumendo

ſumendo $z = \frac{vv(x+y)}{xy - vv}$ et $n = m^2 xy\,(x+y)\,(xy - vv)$.
Ut autem ſecunda impleatur, ſtatuit Auctor:

$$xy - vv = uu;\ x = tv,\ \text{ut ſit}\ y = \frac{vv + uu}{tv}\ \text{et}\ z = \frac{vv}{uu}$$

$(x+y)$ tum vero deducitur ad hanc aequationem:

$$\frac{vv}{uu} = \frac{tt + 1 - ss}{2s(tt+1) - 3tt - 2}$$

cui facillime ſatisfit ſumendo $s = \frac{3}{2}$; ſiquidem hinc ſequitur $\frac{vv}{uu} tt - \frac{5}{4}$. Capi ergo convenit $t = \frac{pp + 5qq}{4pq}$; unde fit: $\frac{v}{u} = \frac{5qq - pp}{4pq}$, ubi numeros *p* et *q* pro lubitu aſſumere licet, ita ut hinc innumerabiles ſolutiones obtineantur: inter quas ſimpliciſſima videtur, quae oritur ſumendo $t = \frac{3}{2}$ unde fit $v = 1$ et $u = 1$, porro $x = \frac{3}{2}$, $y = \frac{4}{3}$ et $z = \frac{17}{6}$. Iam ob $x + y + z = \frac{17}{3}$, capiatur $n = 6.\,34$ ex prima conditione, ſicque tres numeri ſatisfacientes minimi erunt:

I. . $9.\,34 = 306$; II. . $8.\,34 = 272$; III. . $17.\,34 = 578$,
quorum ſumma eſt $= 1156 = 34^2$.
Summa productorum ex binis $= 8\,9.\,34^2 + 9.\,17.\,34^2 + 8.\,17.\,34^2 = 19^2\,34^2$
productum omnium $= 8.\,9.\,17.\,34^3. = 8^2.\,3^2.\,17^4$.
Hinc pronunciari poſſe videtur, minimos numeros integros problemati ſatisfacientes eſſe 272; 306; 578; fractos autem hos $\frac{1}{2}$; $\frac{4}{17}$; $\frac{9}{34}$. Ceterum hic notaſſe juvabit, ſi tres numeri integri x, y, z, deſiderentur, ut tantum haec formula $xy + xz + yz$ fiat numerus quadratus, eos in genere ita exhiberi poſſe, ut ſit:

$$x + y = (a - b)^2 + (d - e)^2$$
$$y + z = (b - c)^2 + (e - f)^2$$
$$z + x = (c - a)^2 + (f - d)^2$$

unde fit $x + y + z = aa + bb + cc - ab - bc - ac + dd + ee + ff - de - ef - df$, ipſique numeri ita ſe habebunt:

x =

$$x = (a-b)(a-c) + (d-e)(d-f)$$
$$y = (b-c)(b-a) + (e-f)(e-d)$$
$$z = (c-a)(c-b) + (f-d)(f-e)$$

unde ſit:

$$\sqrt{(xy + yz + xz)} = a(e-f) + b(f-d) + c(d-e)$$ Vel ſimplicius haec ſolutio ita enunciari poteſt, ut ſit:

$x = lm + pq$; $y = mn + qr$; $z = nl + rp$, ſumtis his ſenis numeris l, m, n, et p, q, r, ita ut ſit:

$l + m + n = o$ et $p + q + r = o$, tum vero erit:

$$\sqrt{(xy + yz + xz)} = lq - mp = mr - nq = np - lr.$$

III. *Theoremata Arithmetica nova methodo demonſtrata.* Auctore LEON. EULERO. Singulari omnino Auctor hic utitur methodo, ad plures inſignes numerorum proprietates demonſtrandas, quarum quidem nonnullas jam alio modo demonſtratas dedit, reliquae vero novae ſunt habendae, atque ad alias majori adhuc attentione dignas viam munire videntur. Ipſa quidem methodus ita dilucide eſt expoſita, ut nihil ad ampliorem ejus illuſtrationem afferri poſſit; at vero praecipuas veritates, quas Auctor feliciter inveſtigavit, hic recenſuiſſe juvabit. Poſtquam is jam gemina methodo eximium illud Theorema, quod forma $a^{p-1} - 1$ ſemper ſit diviſibilis per numerum p, ſiquidem is ſit primus, neque numerus a per eum dividi posſit, demonſtraſſet; hic non ſolum tertiam demonſtrationem ex aliis principiis petitam adjicit, verum etiam idem Theorema, quod ad numeros tantum primos erat adſtrictum, ad omnes plane numeros extendit. Propoſito ſcilicet quocunque numero N, definit inde numerum n, ut forma $a^n - 1$ per illum numerum N certe diviſionem admittat; ubi quidem numerus a pro lubitu aſſumi poteſt, ſed tamen ita comparatus eſſe debet, ut cum numero N nullum habeat diviſorem communem, ſeu ut numeri N et a ſint inter ſe primi; quae quidem conditio ſemper eſt ſubintelligenda, etiamſi verbis non exprimatur. Demonſtrat igitur Auctor, exponentem n ſemper ita pendere a numero propoſito N, ut aequalis ſit multitudini numerorum ipſo N minorum, qui ſimul ad eum

Digitized by Google

ſint primi, id quod exemplo magis perſpicuum reddetur. Sit igitur numerus propoſitus $N=10$; numeri autem eo minores, ad eumque primi, ſunt 1, 3, 7, 9, ideoque quatuor, unde fit $n=4$. Sumto jam pro a numero quocunque ad 10 primo, ſeu qui neque per 2, neque per 5 dividatur, ac certo pronunciare licet, hanc formam a^4-1 eſſe per 10 diviſibilem, hoc eſt, omnium hujusmodi numerorum biquadrata unitate minuta diviſionem per 10 admittunt. Veluti ſi $a=3$, fit $a^4-1=80$; ſi $a=7$, fit $a^4-1=2400$ et ita porro. Quaeritur autem hic ante omnia, quomodo pro quovis numero N multitudo numerorum ipſo minorum, ad eumque primorum, cui numerus n aequalis eſt ſumendus, commode definiri poſſit? ubi quidem perſpicuum eſt, ſi N fuerit numerus primus, fore $n=N-1$, propterea, quod omnes numeri ipſo minores, quorum multitudo utique eſt $=N-1$, ſimul ad eum ſunt primi. Sed ſi numerus N non eſt primus, ejus ratio compoſitionis ex primis eſt ſpectanda; ubi cum exiſtentibus p, q, r, s numeris primis, omnes numeri ad hanc formam $p^\alpha q^\beta r^\gamma s^\delta$ etc. revocari poſſint, ab Auctore eſt demonſtratum:

Si ſit $N=p^\alpha$, fore $n=p^{\alpha-1}(p-1)=N.\frac{p-1}{p}$

Si $N=p^\alpha q^\beta$, fore $n=p^{\alpha-1}(p-1).q^{\beta-1}(q-1)=N.\frac{p-1}{p}\frac{q-1}{q}$

Si $N=p^\alpha q^\beta r^\gamma$, fore $n=p^{\alpha-1}(p-1).q^{\beta-1}(q-1).r^{\gamma-1}(r-1)$

ſeu $n=N.\frac{p-1}{p}.\frac{q-1}{q}.\frac{r-1}{r}$:

ſicque porro, ita ut pro dato numero N numerus n inveniri poſſit ex ſolis numeris primis in eum ingredientibus, nullo ad eorum poteſtates habito reſpectu, quod in diſſertatione non eſt animadverſum. Ita ſi $N=120$, qui numerus ex primis 2, 3, 5 componitur, unde fit $n=120.\frac{1}{2}.\frac{2}{3}\frac{4}{5}=32$; atque forma $a^{32}-1$ certe erit diviſibilis per 120, dum a nullum horum numerorum 2, 3, 5 complectatur. Verum hic inſuper obſervare licet, plerumque minorem poteſta-

poteſtatem eadem proprietate praeditam eſſe. Rationem enim harum demonſtrationum perpendenti mox patebit, ſi fuerit $N = p^{\alpha} q^{\beta} r^{\gamma}$, formam $a^{n} - 1$ per hunc numerum fore diviſibilem, non ſolum cum *n* fuerit productum ex his tribus numeris:

$$p^{\alpha - 1}(p-1);\ q^{\beta - 1}(q-1);\ r^{\gamma - 1}(r-1)$$

ſed ſufficere, ſi pro *n* minimus communis dividuus horum numerorum accipiatur; quae obſervatio haud inelegans in diſſertatione eſt praetermiſſa. Ita ſi ſit $N = 120 = 2^3 . 3, 5$, terni numeri pro exponente *n* inveniendo ſunt 4; 2; 4. quorum minimus communis dividuus eſt 4: ſicque pronunciare licet, hanc formam $a^4 - 1$ ſemper eſſe per 120 diviſibilem, dummodo *a* ad 120 fuerit primus.

Simili modo ſi $N = 63 = 3^2 . 7$, hi duo factores dant numeros 6 et 6. quorum minimus communis dividuus cum ſit 6, haec forma $a^6 - 1$ erit per 63 diviſibilis, ſi modo *a* neque ternarium, neque ſeptenarium contineat. Sit $N = 32760 = 2^3 . 3^2 . 5 . 7 . 13$, qui factores inter ſe primi praebent hos numeros: 4; 6; 4, 6, 12, quorum communis dividuus eſt 12, ex quo haec forma $a^{12} - 1$ ſemper per 32760 diviſionem admittit, modo *a* nullum horum numerorum primorum, 2, 3, 5, 7, 13 involvat: veluti ſi $a = 11$, eſt

$$a^{12} - 1 = 3138428376720 = 32760 . 95800622$$

ubi notari convenit, eſſe:

$$95800622 = 2 . 37 . 61 . 19 . 1117$$

Saepenumero autem evenire poteſt, ut pro ſumto numero *a* etiam minor poteſtas ſatisfaciat; ſed talis diminutio ab indole numeri *a* pendet, neque in genere minor poteſtas, quam hic eſt aſſignata, theoremati tribui poteſt.

IV. *Supplementum quorundam theorematum arithmeticorum, quae in nonnullis demonſtrationibus ſupponuntur*, Auctore LEON. EULERO. Verſantur haec theoremata circa numeros, qui ſunt aggregata ex quadrato et triplo alterius quadrati formata, ideoque hac formula generali $pp + 3qq$ continentur. Scilicet, ſi duae ſeries conſtituantur, quarum altera conſtet ex numeris quadratis, altera ex iisdem triplicatis, uti

I. 1, 4, 9, 16, 25, 36, 49, 64, 81

II. 3, 12, 27, 48, 75, 108, 147, 192, 243

atque ſinguli prioris ſeriei ſingulis poſterioris ſeriei addantur, oriuntur ii numeri, quorum indoles hic conſideratur, et qui ſecundum ordinem magnitudinis diſpoſiti ſunt ad centum usque

4, 7, 12, 13, 16, 19, 21, 28, 31, 36, 37, 39, 43, 48, 49, 52, 57, 61, 63, 64, 67, 73, 76, 79, 84, 91, 93, 97, 100.

Hinc ſi primo excerpantur numeri qui ſunt primi

7, 13, 19, 31, 37, 43, 61, 67, 73, 79, 97 hi omnes unitate minuti per 6 diviſibiles deprehenduntur, ſeu in formula $6n+1$ continentur; cujus quidem ratio facile perſpicitur, cum ex forma $pp+3qq$ alii numeri primi oriri nequeant, niſi qui per 3 diviſi unitatem relinquant. Sed ejus inverſum, quod viciſſim omnes numeri primi iſtius formae $6n+1$ ſimul in illo numerorum genere occurrant, veritas eſt multo magis ardua, cujus demonſtratio maximas ambages poſtulat. Demonſtrari ſcilicet oportet, ſemper dari numeros p et q, ut ſit $6n+1=pp+3qq$, ſi quidem numerus $6n+1$ fuerit primus, ubi inprimis notari convenit, niſi $6n+1$ ſit primus: hanc proprietatem ſaepius fallere, uti fit in numeris 55, 85, qui, etſi multiplum ſenarii unitate ſuperant, tamen neutiquam in forma $pp+3qq$ continentur. At ſi hujusmodi numerus $6n+1$ fuerit primus, quantumvis ſit magnus, veluti 20161, certo pronunciare licet, duo dari quadrata pp et qq, ut ſit $20161=pp+3qq$, reperitur autem $p=31$ et $q=80$, neque plus uno modo hoc fieri poteſt. En ergo ſummam Theorematum hic ſingulari prorſus modo demonſtratorum, quod omnis numerus primus formae $6n+1$ ſemper in hac forma $pp+3qq$, idque unico tantum modo, contineatur; ex quo ſequitur, ſi quiſpiam numerus formae $6n+1$ vel prorſus non in forma $pp+3qq$ contineatur, vel plus uno modo, tum eum certe non fore primum. Fundamentum autem harum demonſtrationum in hac propoſitione eſt ſitum, quod ſi numerus formae $pp+3qq$ non fuerit primus, eum non alios admittere diviſores, niſi

niſi qui ipſi in eadem forma pp+3qq contineantur. His autem principiis Auctor jam olim erat uſus, cum demonſtraſſet, non dari duos cubos, quorum ſumma vel differentia ſit cubus; tum vero etiam nuper, cum nova plane methodo problema de tribus cubis inveniendis, quorum ſumma ſit cubus, ſolviſſet: quamobrem, ut hic nihil amplius deſiderari poſſet, omnino neceſſe erat theoremata iſta rigidis demonſtrationibus confirmari. Ceterum, ingenue fatetur Auctor, has demonſtrationes ex principiis nimis alienis eſſe petitas, fonteſque magis proprios dari eo deducentes, ex quibus *Fermatius* hauſiſſe videtur, cum inde ſe demonſtraſſe aſſeveret, hanc aequationem generalem $a^n+b^n=c^n$ numquam locum habere poſſe, ſtatim atque exponens *n* binarium ſuperet, cum tamen *Eulerus* hanc impoſſibilitatem tantum pro caſibus n=3 et n=4 demonſtrare valeat; ex quo eo magis dolendum eſt, Fermatiana inventa temporum injuria periiſſe.

V. *Conſideratio formularum, quarum integratio per arcus ſectionum conicarum abſolvi poteſt*, Auctore LEON. EULERO. Quando integrationes algebraice perficere non licet, valores integralium per quadraturas linearum curvarum vulgo exhiberi ſolent, dum ſcilicet linea curva aſſignatur, cujus area eundem valorem exprimat, vel ſaltem ejusmodi quantitatem, ex qua is determinari poſſit. Inter hujusmodi quantitates, quae, dum limites Algebrae communis quaſi transcendunt, Tranſcendentes appellantur, frequentiſſime occurrunt, quae a quadratura circuli et hyperbolae pendent, quorſum omnes formulas integrales, nullam irrationalitatem involventes, reduci poſſe conſtat: atque hae binae tranſcendentium ſpecies jam ita uſu in Analyſin ſunt receptae, ut propemodum inſtar algebraicarum tractentur. Quae nimirum a quadratura circuli pendent, eae nunc quidem per calculum angulorum feliciſſime expediuntur; quemadmodum eae, quae a quadratura hyperbolae pendent, logarithmis comprehendi ſolent, quorum calculus nunc fere inter elementa refertur. Quodſi vero quadraturis magis

Digitized by Google

complicatis opus eſt, evolutio multo majoribus difficultatibus eſt obnoxia. Etſi enim deſcriptio linearum curvarum conceditur; tamen in praxi nimis eſt moleſtum, areas iis incluſas ſatis exacte dimetiri. Quam ob cauſam jam pridem Geometrae in hoc elaboraverunt, ut loco quadraturarum potius rectificationes curvarum in hunc uſum traducerent; quia ſtatim ac linea curva accurate fuerit deſcripta, longitudinem cujusque arcus, ſine ullo apparatu, ope fili dimetiri licet; in quo negotio olim *Hermannus* immortalem gloriam eſt aſſecutus, dum problema ab aliis pro deſperato habitum, ſumma ſagacitate reſolvit, et pro cujuscunque curvae quadratura lineas curvas adeo algebraicas invenire docuit, quarum rectificatione idem praeſtari queat. Cum igitur nullum ſit dubium, quin hujusmodi conſtructiones eo ſint elegantiores, quo facilius curvae, quarum rectificatio adhibetur, deſcribi queant: in hoc negotio ſectionibus conicis, Ellipſi ſcilicet et Hyperbolae, merito primae partes ſunt tribuendae. Et cum plerumque difficillimum ſit, indolem illarum formularum integralium perſpicere, quarum valores per arcus, ſive ellipticos, ſive hyperbolicos, exprimere liceat: Auctor hic ſingulari methodo praecipuas formulas integrales inveſtigat, quae hoc modo conſtructionem admittunt. Cel. *Alembertus* quidem hoc idem argumentum jam pridem in Actis Acad. Reg. Pruſſicae pertractavit; *Euleri* tamen methodus plane nova, qua arcus ſectionum conicarum aliarum curvarum inter ſe comparare docuit, in hac inveſtigatione eximiam praeſtitit utilitatem, ut hoc negotium multo uberius confeciſſe videatur. Plurimae autem transformationes, quibus Auctor in hac ardua evolutione utitur, in Analyſi haud ſpernendam utilitatem habere poſſunt. Interim laudi ac dignitati hujusmodi inveſtigationum nihil detrahetur, ſi obſervaverimus, nunc quidem, in calculi applicatione ad praxin, neque curvarum quadraturam, neque rectificationem, magnopere deſiderari, cum omnia multo facilius et accuratius per methodos appropinquandi expediri queant.

VI. Con-

Digitized by Google

VI. *Conſtructio aequationis differentio-differentialis*, etc. Auctore LEON. EULERO. Forma aequationis, quam Auctor hic conſtruendam ſuſcepit, ita eſt comparata, ut latiſſime pateat, ac per univerſam Analyſin ampliſſimum habeat uſum; cum in ea omnia, quae olim de illa celeberrima aequatione Riccatiana ſunt inveſtigata, contineantur. Si hoc negotium per methodos uſitatas tentetur, ſummae difficultates obſtant, quo minus ad finem perduci queat: novam igitur Auctor, ac prorſus ſingularem methodum exponit, hujusmodi aequationes tractandi, cujus quidem jam pridem nonnulla egregia ſpecimina edidit; neque ullum eſt dubium, quin iſta methodus, ſi diligentius excolatur, inſignia incrementa Analyſi ſit allatura. Caſu autem evenit, ut haec tractatio non penitus ad finem ſit perducta, ſive quaedam capita perierint, ſive ab Auctore ſint neglecta. Quae autem hic proferuntur, omnino ſufficiunt ad vim novae hujus methodi perſpiciendam, atque adeo, quae deſunt, ab attento lectore, harum rerum ſtudioſo, haud difficulter reſtituentur. Quin etiam ſi ex hac parte attentio excitetur, nullum eſt dubium, quin Analyſis inde multo majora incrementa ſit conſecutura.

VII. *Annotationes in locum quendam Carteſii, ad circuli quadraturam ſpectantem*, Auctore LEON. EULERO. Peripheriam circuli ad diametrum eſſe incommenſurabilem, ſeu nullam dari menſuram, qua tam diametrum, quam peripheriam, ita metiri liceat, ut nihil relinquatur, jam ab antiquiſſimis Geometris eſt obſervatum; etſi hoc etiam nunc aliter demonſtrari non poteſt, niſi quod omnes conatus, hujusmodi menſuram inveniendi, fuerint irriti. Nullos ſcilicet ejusmodi binos numeros exhibere licet, qui inter ſe eandem praeciſe rationem teneant, quae inter diametrum ac peripheriam intercedit, ex quo in praxi tales numeri uſurpari ſolent, qui tantum proxime ad iſtam rationem accedant, cuiusmodi ſunt Archimedi 7 ad 22, et Metiani 113 ad 355: tum vero ab aliis iſta vera ratio multo accuratius numeris expreſſa, ut etiam in maximorum circulorum computo error


omnino

omnino ſit contemnendus. Incommenſurabilitas autem in ſe ſpectata non obſtaret, quo minus ratio diametri ad peripheriam geometrice aſſignari poſſet, cum quadrati diagonalis ad latus quoque ſit incommenſurabilis, atque in genere omnes quantitates irrationales, quae ab extractione radicum oriuntur, geometrice conſtrui poſſint. Verum peripheria circuli ad genus Irrationalium longe ſublimius referenda videtur, ad quod demum radicis extractione infinities repetita pertingere liceat; unde etiam geometrice plus praeſtari non poteſt, quam ut vera peripheriae ad diametrum ratio continuo propius exprimatur. Atque hoc modo conſtructio Carteſiana, quam Cel. Auctor hic perpendit, eſt comparata, ut continua rectangulorum certa lege decreſcentium appoſitione, linea tandem eliciatur recta peripheriae circuli aequalis; haecque conſtructio ita ingenioſe excogitata eſt, ut facillima operatione citiſſime ad veritatem convergat; in quo eximium monumentum ſummae inventoris ſagacitatis mirari debemus. *Eulerus* autem, dum hoc inventum oblivioni ſubtrahit, plures egregias formulas et ſeries, ad circuli menſuram pertinentes, profert, quibus huiusmodi approximationes geometricae multiplicari magisque perfici queant. Veluti cum demonſtraviſſet, denotante q longitudinem quadrantis circuli, cuius radius $=1$, eſſe

$$q = \text{ſec.}\,\tfrac{1}{2}q.\ \text{ſec.}\,\tfrac{1}{4}q.\ \text{ſec.}\,\tfrac{1}{8}q.\ \text{ſec.}\,\tfrac{1}{16}q.\ \text{ſec.}\,\tfrac{1}{32}q.\ \text{etc.}$$

Hinc ſequens conſtructio ſatis concinna et elegans concluditur.

Con-



Conſtituto Quadrante AOB radio OB iungatur normalis BC rectae OC angulum AOB biſecanti occurrens in C. Tum huic OC in C normaliter iungatur CD occurrens rectae OD angulum AOC biſecanti in D. Simili modo huic OD normaliter iungatur recta DE occurrens rectae OE angulum AOD biſecanti in E; hincque OE denuo normaliter recta EF occurrens rectae DF angulum AOE biſecanti in F; atque ita porro. Hoc modo tandem pervenietur usque ad radium OA productum, in cuius puncto Z constructio ultimo cadat; quo facto erit recta OZ longitudini quadrantis BcdefgA praeciſe aequalis. Plurimas autem alias huiusmodi conſtructiones ex formulis Auctoris facile derivare licet. Notaſſe hic iuvabit, puncta B, C, D, E, F reperiri in tali linea curva, cuius natura, poſito angulo quocunque AOD $= \phi$ et recta OD $= v$, ita exprimitur, ut ſit $v = \frac{q \text{ ſin. } \phi}{\phi}$. Hinc enim ſumta quacunque ratione inter angulum ϕ et angulum rectum, cuius menſura eſt arcus q, ut ſit $\phi = \frac{m}{n} q$; erit $v = \frac{n}{m} \text{ſin.} \frac{m}{n} q$ ideoque recta v geometrice asſignari poteſt. Cum autem angulo ϕ continuo imminuendo ad angulum evaneſcentem fuerit perventum, ubi ſit

$\frac{\text{ſin.}\,\Phi}{\Phi} = 1$, tum recta v manifeſto fit Quadranti q aequalis: ſimiles autem formulas alias quotcunque pro lubitu fingere licet.

VIII. *Demonſtratio generalis Theorematis Newtoniani de binomio ad potentiam indefinitam elevando.* Auctore F. V. T. AEPINO. Ut veritates mathematicae, quarum certitudo in aliis diſciplinis tanquam exemplum imitandum proponi ſolet, extra omnem dubitationis aleam collocentur, non ſufficit, eas eiusmodi demonſtrationibus muniri, quibus animi ad diſcendum parati atque ingenio ſatis perſpicaci praediti acquieſcant, ſed etiam omnino eſt neceſſarium, ut omnes obiectiones ſolide refellantur, atque adeo cavillationes Sophiſtarum explodantur. Ad hoc genus inprimis eſt referenda demonſtratio Euclidea de aequalitate angulorum alternorum in lineis parallelis, quae haud levibus dubiis eſt obnoxia, ut etiam ſummi Geometrae in ea firmius ſtabilienda ſtudium atque operam collocaverint; in quo autem non parum eſt dolendum, quod iſtae emendationes nimis ſint prolixae et arduae, quam ut elementis inſeri queant. In Analyſi etiam pura eiusmodi occurrunt demonſtrationes, quas cavillandi ſtudium non mediocriter labefactare eſt anniſum, cum circa quantitates plurimae veritates tanquam generales admitti ſoleant, etiamſi demonſtratio tantum ad numeros integros ſit accommodata. Huiusmodi obtrectatione inprimis expertum eſt Theorema Newtonianum, quo poteſtas binomii $(x+y)^m$ generaliter in hanc ſeriem evolvi ſtatuitur:

$$x^m + \frac{m}{1} x^{m-1} y + \frac{m}{1} \cdot \frac{m-1}{2} x^{m-2} y^2 + \frac{m}{1} \cdot \frac{m-1}{2} \cdot \frac{m-2}{3} \cdot x^{m-3} y^3 + \text{etc.}$$

cum tamen iſta reſolutio non niſi pro iis caſibus, quibus exponens m eſt numerus integer, ſit demonſtrata. Tantum autem abeſt, ut pro reliquis caſibus, quibus m eſt vel numerus fractus, vel irrationalis, vel tranſcendens, vel adeo imaginarius, de eius veritate dubitetur, ut potius huic Theoremati, in latiſſimo ſenſu accepto, univerſa Analyſis infinito-

nitorum ſit ſuperſtructa. Hinc ii, qui ejus veritatem in genere, Analyſi infinitorum in ſubſidium vocata, demonſtrare ſunt conati, manifeſto vitioſiſſimum circulum in ratiocinando commiſerunt. Non itaque inutiliter collocavit laborem Auctor, cum demonſtrationem fundamentalis hujus totius Analyſeos principii, idque per ſola Algebrae communis elementa, condere aggreſſus eſt. Singulari autem omnino artificio, poſtquam formulam $(x+1)^m$ huic ſeriei $Ax^m + Bx^{m-1} + Cx^{m-2} + Dx^{m-3} + Ex^{m-4} +$ etc. aequalem finxit, oſtendit primo quidem ſemper eſſe $A = 1$; tum vero a quantitate B reliquas CDE etc. ita pendere, ut ſit:

$$C = B\frac{B-1}{2}; \quad D = C.\frac{B-2}{3}; \quad E = D.\frac{B-3}{4}; \text{ etc.}$$

verum mirifico prorſus caſu hic uſu venit, ut ipſa quantitas B hinc non determinetur. Altera igitur hujus demonſtrationis pars in hoc verſatur, ut aliunde A. oſtendat, ſemper eſſe $B = m$, quod quidem tanto rigore praeſtat, ut nulli plane dubio locus relinquatur.

IX. *De functionum Algebraicarum integrarum factoribus trinomialibus realibus commentatio.* Auctore F. V. T. AEPINO. Spectat haec commentatio ad Theoriam aequationum algebraicarum cujuscunque ordinis, ſcilicet

$x^n + Ax^{n-1} + Bx^{n-2} + Cx^{n-3} +$ etc... $+ Mx + N = 0$ quam conſtat, ſemper reſolvi poſſe in totidem factores ſimplices formae $x+p$, quot maximus exponens n contineat unitates. Saepenumero autem evenit, ut iſti factores ſimplices evadant imaginarii, ac tum demonſtratum eſt, numerum hujusmodi factorum imaginariorum ſemper eſſe parem. Quod autem praeterea in Analyſi aſſumi ſolet, tales factores imaginarios ita eſſe comparatos, ut cuique ſuus conveniat ſocius, qui per eum multiplicatus productum producat reale; id quidem tantum pro aliquibus caſibus firmiter eſt demonſtratum, generalem vero demonſtrationem adhuc deſiderari, omnes, qui hanc Theoriam accuratius ſunt ſcrutati, confitentur. Quotcunque ſcilicet aequatio habuerit factores imaginarios, quorum unus ſit $x+p$, ideoque p quantitas imaginaria, demonſtrari debet, inter reliquos ſemper dari

unum illius quaſi ſocium $x+q$, ita ut productum $(x+p)(x+q)=xx+.(p+q)x+pq$ evadat reale; ad quod quidem requiri perſpicuum eſt, ut binarum quantitatum imaginariarum p et q tam ſumma, quam productum, abeat in quantitatem realem. Hujus itaque Theorematis demonſtrationem condere aggreſſus eſt Auctor, in quo quidem negotio ita procedit, ut ſi ſupponatur, (cujus perfectam demonſtrationem, ex Analyſi infinitorum petitam, ſibi vindicat Alembertus,) omnes quantitates imaginarias ad formam $A+B\sqrt{-1}$ reducibiles eſſe, poſtea ſingulari quodam artificio propoſitionis antea indicatae probationem inde deducat, quae quidem demonſtratio ita comparata eſt, ut per ſe attentionem mereri videatur, etſi concedatur, ſub aſſumta ab Auctore hypotheſi, dari forſitan faciliores aliquas ad demonſtrationem hanc abſolvendam vias.

X. *Solutio Problematis cujusdam ad maxima minimave pertinentis.* Auctore STEPH. RUMOWSKI. Problema hoc, cujus ſolutionem Cl. Auctor feliciter perfecit, omni Geometrarum attentione dignum eſt judicandum. Etſi enim ad famoſam illam de Iſoperimetricis quaeſtionem pertinet, circa quam, opera ac ſtudio Cel. Euleri, nihil amplius reperitur quod deſiderari queat: tamen ejus ſolutio in ſe ſpectata non ſolum eſt pulcherrima, ſed etiam tantas implicat difficultates, ad quas ſuperandas inſignia Analyſeos artificia requiruntur. Cl. quidem Auctor idonea Variabilium electione ſolutionem ita inſtruxit, ut commode prima Integratio ſuccederet, et altera quaſi ſponte ſeparationem Variabilium largiretur. In ſolutione autem, quam ab Eulero filio ſibi miſſam communicat, prima integratio multo majorem ſolertiam requirit, et haud contemnenda calculi artificia complectitur. Ceterum ipſa quaeſtio, qua pro data coni altitudine inter omnes baſes, quae cono aequalem ſoliditatem concilient, ea quaeritur, unde coni ſuperficies minima oriatur? neutiquam inutilis eſt putanda, cum talis minimi cognitio ſaepius ingentem lucem foenerari queat. Quod magis perſpicuum redditur, ſi quaeſtio eadem aliis verbis ita efferatur,

Digitized by Google

ratur, ut inter omnes conos, tam eiusdem altitudinis, quam eiusdem ſuperficiei, is definiatur, qui maxime ſit capax? Solutio autem huius problematis tandem ad eiusmodi aequationem perducitur, quae innumerabiles lineas curvas in ſe complectitur, inter quas circulus etiam tanquam ſpecies occurrit. Ingrediuntur enim in aequationem finalem tres novae conſtantes arbitrariae, unde pro earum diverſa determinatione infinitae curvae diverſae obtinentur. Quae infinita multitudo, quomodo cum problematis natura conſiſtere poſſit, haud facile apparet, ampliorique explicatione indiget. Namque ſi baſis circularis ſatisfacit, ita ut conus ei ſuperſtructus minorem habeat ſuperficiem, quam ſi alia quaecunque figura eiusdem capacitatis baſi tribueretur; omnino mirum videtur, quid reliquae lineae curvae in ſolutione aeque contentae ſibi velint, et quomodo ad problema ſolvendum accommodari debeant? Ad hoc intelligendum, indoles huiusmodi quaeſtionum accuratius eſt perpendenda. Primo igitur, antequam tota coni ſuperficies undequaque terminata conſideretur, ſolutio ad quemvis arcum indefinitum baſeos ita pertinere eſt cenſenda, ut inter omnes curvas iisdem terminis comprehenſas, quae ſimul idem ſpatium includant, ea definiatur, ex qua minima ſuperficies conica gignatur. Hic ergo tres res tanquam datae ſunt ſpectandae, bina ſcilicet puncta, per quae curva tranſire debet, et area quam iſta curva includit. Quam ob rem ſolutionem completam ita comparatam eſſe oportet, ut curva quaeſita per data duo puncta deſcribi poſſit, ſimulque eius area inter haec puncta contenta datam quantitatem nanciſcatur. His ergo conditionibus ut ſatisfieri poſſit, omnino neceſſe eſt, ut aequatio finalis tres quantitates ab arbitrio noſtro pendentes involvat. Quo obſervato iam perſpicuum eſt, quid aequatio illa maxime generalis inventa ſibi velit, et quomodo ad uſum ſit traducenda? Quolibet enim caſu oblato duo puncta, per quae curvae eſt tranſeundum, tanquam data proponi ſunt intelligenda, una cum area inter ea comprehenſa, tum vero aequationis ternae conſtantes arbi-

Digitized by Google

trariae ita determinentur, ut linea curva per iſta duo puncta tranſeat, et area inter ea comprehenſa datam illam quantitatem obtineat: ex quo evidens eſt, in aequatione problema perfecte ſolvente, neceſſario tres conſtantes indefinitas ineſſe debere. Deinde etiam notari convenit, quomodocunque iſtas conſtantes pro lubitu determinaverimus, ut curva determinata reſultet, eam ſemper problemati ita ſatisfacere, ut ſumtis in ea ad libitum binis punctis, inter omnes alias lineas, quae per eadem puncta ductae aequale ſpatium includant, quarum multitudo utique eſt infinita, ea, quae fuerit reperta, minimam generet ſuperficiem conicam. Atque hoc modo utique evenire poteſt, ut curva ſatisfaciens maxime a circulo diſcrepet. Statim enim atque bina puncta data non aeque fuerint a centro baſis remota, areaque inter ea comprehenſa ab area ſectoris circularis diverſa, neutiquam fieri poteſt, ut circulus quaeſtionem reſolvat. Ex quo jam perſpicue intelligitur, cur ſolutio iſtius problematis infinitam diverſarum linearum curvarum multitudinem complectatur.

Secundo loco proponuntur PHYSICO-MATHEMATICA. In his ſunt I. *Dilucidationes de reſiſtentia fluidorum*, Auct. LEONARDO EULERO. Quantam reſiſtentiam quaevis corpora in fluido, veluti aqua aut aere, mota patiantur, et quantum inde eorum motus debilitetur? quaeſtio eſt in univerſa Phyſica maximi momenti, cum nullus motus in hoc mundo exiſtat, qui ab hujusmodi perturbatione ſit immunis. Ex quo jam dudum naturae ſcrutatores, atque inprimis Geometrae, ſummo ſtudio fuerunt occupati, ut leges iſtius reſiſtentiae, quam corpora in fluidis mota ſuſtinent, inveſtigarent, ejusque veram quantitatem quovis caſu aſſignarent. Primum quidem ſolam experientiam conſulentes mox animadverterunt, quo fluidum fuerit denſius, eo majorem eſſe reſiſtentiam, idemque corpus ſimili motu in aqua latum, tanto majorem pati reſiſtentiam quam in aere, quanto aqua aerem denſitate ſuperet. Tum vero etiam facile obſervarunt, in eodem fluido reſiſtentiam hoc eſſe majorem, quo motus fuerit

rit velocior. Inprimis autem ſenſerunt, reſiſtentiam plurimum a figura corporis pendere, effectumque fluidi eo eſſe minorem, quo obliquius in corporis ſuperficiem allabatur. Quod diſcrimen praecipue in navigatione cernitur, dum aliae naves, pro diverſa figura, aliis multo aptiores deprehenduntur ad reſiſtentiam ſuperandam; ex quo nata eſt quaeſtio plurimum agitata, cujusmodi figuram navi tribui conveniat, ut *minimam* reſiſtentiam patiatur. Quae phaenomena ut explicarent, atque accuratius explorarent Geometrae, ad motus principia confugerunt, indeque per calculum definire ſunt conati, quanta quovis caſu reſiſtentia eſſe debeat, cum ratione celeritatis, qua corpus in fluido promoveatur, tum vero ratione ejus figurae; atque tandem univerſam reſiſtentiae Theoriam ad duplicem regulam revocaſſe ſunt arbitrati, quarum altera ad motum directum pertinet, quo ſuperficies plana perpendiculariter in fluidum occurrit, eaque ſtatuitur, reſiſtentiam quadrato celeritatis eſſe proportionalem, et quovis caſu aequivalere ponderi cylindri fluidi, cujus baſis aequalis ſit ſuperficiei motae, altitudo vero cum illa conveniat, ex qua grave cadendo eam ipſam celeritatem acquirat, qua corpus adverſus fluidum movetur. Altera regula ad motus obliquos ſpectat, quando motus directio ad ſuperficiem eſt obliqua, eaque reſiſtentia quadrato ſinus anguli obliquitatis proportionalis ſtatuitur. Hinc, quaecunque fuerit corporis figura, ejus ſuperficies in innumerabiles particulas infinite ſecta concipitur, et pro qualibet angulus obliquitatis, ſub quo in fluidum incurrit, indeque quantitas reſiſtentiae definitur; atque ex his omnibus reſiſtentiis elementaribus tandem tota reſiſtentia colligi ſolet, quatenus quidem calculum expedire licet. Cel. igitur hujus diſſertationis Auctor in eo verſatur, ut principia, unde hae regulae ſunt deductae, accuratiori examini ſubiiciat, quae cum hypotheſi manifeſto falſae innitantur, qua, ad ſimilitudinem colliſionis corporum ſolidorum, particulae fluidi ſimiliter corpus in eo motum percutere aſſumuntur, eas tanquam omni fundamento deſtitutas reiicere non dubitat. Plerumque

que quidem eas tam parum a veritate recedere fatetur, ut error enormis non ſit metuendus; veluti evenit ſi corpus figura non nimis irregulari praeditum in fluido ampliſſimo moveatur, neque tamen celeritate adeo magna, ut pone corpus ob fluidum ſequi non valens quaſi vacuum relinquatur. Sin autem fluidum ſpatio ſatis anguſto eſt incluſum, in quo corpus motum partem ſatis notabilem occupet, manifeſtum eſt, illas regulas immaniter fallere debere. Si enim corpus totam cavitatem, qua fluidum includitur, repleret, procedere plane non poſſet, ac reſiſtentiam quaſi infinitam ſentiret, niſi quatenus fluidum ſe comprimi pateretur. Deinde etiam regulae illae memoratae tantum partem corporis anticam reſpiciunt, in quam fluidum allidit; pars vero poſtica plane non in cenſum trahitur, cum tamen experientia teſte, eius figura multum ad reſiſtentiam ſive augendam, ſive minuendam, conferat. His igitur perpenſis Auctor luculenter oſtendit, in reſiſtentia nullam plane colliſionem ſimilem ei, qua corpora ſolida in conflictu ſe mutuo percutiunt, admitti poſſe, quo ipſo totum fundamentum illarum regularum corruit. Partes autem fluidi anteriores, jam ante quam corpus motu ſuo ad eas pertingit, ad motum concitantur, quo juxta corpus defluunt, ſpatium pone corpus relictum occupaturae, ita ut reſpectu corporis fluidum continuo circa id refluat, quemadmodum navigantes vident aquam continuo a prora ad puppim defluere. Hinc perſpicuum eſt, corpus in fluido motum ab eo aliam vim non ſuſtinere, praeter preſſionem, quam fluidum praeterlabens in totam ejus ſuperficiem circumquaque exſerit, et reſiſtentiam nihil aliud eſſe, niſi effectum ex omnibus his preſſionibus natum, motui corporis contrarium. In quo primo tenendum eſt, ſi preſſio aquae, juxta corpus praeterfluentis, haud differret ab ea, quam aqua quieta in corpus exereret, quoniam tum omnes preſſiones ſe mutuo eſſent deſtructurae, nullum motus impedimentum, nullamque propterea reſiſtentiam inde eſſe exorturam. Eatenus ergo reſiſtentia exiſtit, quatenus aqua circa corpus praeterfluens aliam

aliam in id exercet preſſionem atque aqua ſtagnans; atque ex hoc fonte vera reſiſtentiae origo eſt haurienda. Primo igitur motum aquae praeterfluentis, tum vero preſſionem, qua inde corpus in ſingulis punctis ſollicitatur, definiri oportet, hincque demum ex omnibus preſſionibus inter ſe collatis vera reſiſtentiae quantitas aſſignari poterit. Haec autem inveſtigatio maxime ardua eſt cenſenda, cum perfectam Theoriam motus ac preſſionis fluidorum requirat. Etiamſi enim idem Auctor principia hujus Theoriae perfecte evolviſſet, ex iisque omnia, quae tam ad motum, quam preſſionem fluidorum pertinent, formulis analyticis eſſet complexus; tamen calculi ad eas expediendas neceſſarii ſubſidia adhuc deſiderantur, ut completam reſiſtentiae Theoriam inde vix ſperare liceat. Cum autem ea duplici inveſtigatione contineatur, altera ad motum fluidi iuxta corpus defluentis, altera vero ad eius preſſionem in ſingulis ſpectante, ejusmodi nexum Auctor ex Theoria agnovit, ut ex motu cognito preſſio, ac viciſſim, definiri poſſit. Quodſi ergo undecunque motus, quo fluidum iuxta corpus praeterfluit, fuerit cognitus, ex eo preſſionem, quam corpus in ſingulis punctis ſuſtinet, indeque porro reſiſtentiam ipſam determinare docet, idque ope regulae ſatis ſimplicis, qua evictum eſt, quo celerius fluidum in quocunque corporis puncto praeterfluit, ibidem preſſionem eo eſſe minorem, ita ut maxima preſſio ibi in corpus exeratur, ubi fluidi motus fuerit lentiſſimus. Atque hinc iam intelligitur, partem corporis poſticam in determinatione reſiſtentiae minime eſſe negligendam, ut fit in eius vulgari aeſtimatione. His expoſitis Auctor viciſſim inquirit, quomodo cognita reſiſtentia, ſeu preſſione, qua corpus circumquaque urgetur, inde ipſe fluidi motus iuxta corpus defluentis definiri, ſimulque conditiones aſſignari queant, ſub quibus talis motus locum habere poſſit, unde Theoria fluidorum haud ſpernenda incrementa capere videtur. Inprimis autem cum reſiſtentia per vulgares regulas definita ſaepenumero vix ſenſibiliter a veritate recedat, eos A. inveſtigat caſus, quibus haec determinatio cum veritate prorſus conveniat,

Ll inve-

invenitque hoc fieri non poſſe, niſi corpus habeat figuram conoidis parabolici, ſimulque ſecundum directionem axis in fluido promoveatur; quia autem hoc conoides nusquam terminatur, ſed in infinitum porrigitur, manifeſtum eſt, plane numquam vulgarem reſiſtentiae determinationem veritati conſentaneam eſſe poſſe.

II. *Principia Theoriae Machinarum;* Auctore, LEON. EVLERO. Hic non agitur de vulgari Machinarum doctrina, qua conſtructio earum et compoſitio ex machinis ſimplicibus tradi ſolet, et quae ex ſolis principiis Staticis naturae aequilibrii innixis petitur, ita ut ad ipſum modum, quo tamen totus effectus abſolvitur, vix reſpiciatur. In hac igitur diſſertatione ea potisſimum, quae ad effectum machinarum determinandum ſpectant, exponuntur, in quo negotio commode uſu venit, ut quomodocunque machina fuerit compoſita, nihil aliud inde in computum ingrediatur, praeter ſolam rationem quae inter celeritatem vis agentis et celeritatem oneris movendi intercedit, et ex machinae ſtructura ſecundum praecepta in ſtaticis tradita facile innoteſcit. Bina ſcilicet loca in qualibet machina ſunt conſideranda, in quorum altero vis movens, in altero vero vis oneris reluctans applicatur, motuque machinae impreſſo videndum eſt, quam rationem celeritates in his locis inter ſe ſint habiturae. Iam cognita hac ratione certum eſt, ad onus movendum tantam requiri vim, quae ad onus teneat eandem rationem inverſam. Hinc Auctor momentum vis agentis appellat productum, quod oritur, ſi haec vis per celeritatem, qua operatur, multiplicetur; et ut iſta menſura ſit determinata, celeritatem exprimit ſpatio uno minuto ſecundo confecto. Simili modo momentum oneris, ſeu vis reluctantis, vocat productum, quod oritur, ſi haec vis reluctans per ſuam celeritatem, ſeu ſpatium uno minuto ſecundo abſolutum, multiplicetur. Perſpicuum autem eſt, hoc momento oneris veram menſuram effectus, quam machina producit, contineri, cum ſine dubio effectus tanto maior ſit aeſtimandus, quo magis oneri renitatur, et quo celerius promoveatur; at

at momentum hoc modo expreſſum ſimul effectum uno minuto ſecundo editum accurate metietur. Simili modo prius momentum vis agentis veram menſuram actionis largitur, quam certe diſtinctius mente concipere non licet. In omnibus nunc motibus machinarum ope effectis ſemper momentum vis agentis aequale eſt momento vis reluctantis, ſeu actio aequalis effectui, ſi quidem a frictione mentem abſtrahamus, et motus machinae fuerit aequabilis. Verum frictionis ratio haud difficulter habetur, dum ob eam tantum oneris momentum augetur, ita ut tum hoc momentum ob frictionem auctum momento vis agentis aequale ſit ſtatuendum, unde pro data actione effectus machinae ob frictionem vtique diminuitur. In machinarum ergo conſtructione imminutio frictionis utique maximi eſt momenti, at perfectio machinarum non tam a minuta frictione ipſa, quam ab unminutione eius momenti pendet, quod quomodo obtineri poſſit, ipſa frictione non minuta, ab Auctore docetur. Quod vero ad motum machinae uniformem attinet, pleraeque quidem, dum ſunt in actione, aequabiliter moventur; verum tamen in earum partibus ſaepe motus inaequalitas ſpectatur, dum verbi gratia piſtilla alternatim attolluntur et detruduntur, unde actio machinae quoddam patitur detrimentum, quod Auctori anſam praebet, hanc machinarum conditionem accuratius inveſtigandi. His autem praemisſis tota machinarum perfectio eo revocatur, ut data vi agente machina ita inſtruatur, ut inde maximus obtineatur effectus: quae quidem quaeſtio primo intuitu ſolutionis non capax videtur, cum ſemper effectus ſit actioni huius vis aequalis, niſi totam perfectionem in ſola momenti frictionis imminutione quaerere velimus. Verum Auctor hic inprimis oſtendit, etiamſi vires ad machinam movendam adhibendae ſint datae, tamen idcirco earum actionem neutiquam eſſe datam, ſed prouti tardius vel celerius operentur, eam modo maiorem, modo minorem exiſtere poſſe; ex quo his viribus quovis caſu ita uti convenit, ut earum actio fiat maxima, quia tum etiam effectus machinae maximus efficietur. Hic igitur indoles

Digitized by Google

virium moventium potisſimum eſt ſpectanda, vbi primo quidem, ſi viribus hominum vtamur, notari oportet, quantacunque vi homo, dum eſt in quiete, operari, hoc eſt trahere vel trudere valeat, tamen eius vim, quo celerius idem opus exequi debet, continuo diminui ac tandem prorſus evaneſcere. Ita ſi homo, dum quieſcit, onus 100 librarum movere valeat, idem progrediens eo minus onus poſt ſe trahere valebit, quo celerius incedit, ac ſi maxima qua poteſt celeritate currit, ne minimum quidem onus protrahere poterit, cum omnes ſuas vires in proprium motum impendat. Ponamus eius vires conſumi, dum ſingulis minutis ſecundis ſpatium 6. pedum percurrit; et cum priori caſu, quo quieſcit, vis exerta ſit 100 libr. celeritas autem nulla, poſteriori vero vis nulla, celeritas autem 6. pedum, vtroque caſu actio hominis, productum ſcilicet ex vi in celeritatem, eſt nulla. Dabitur ergo certus celeritatis gradus, quo ſi homo operetur, tametſi minorem vim quam 100. libr. exerat, actio tamen eius ſit maxima, atque adeo machinae applicata maximum effectum producat. Ad hanc definiendam Auctor quidem ad hypotheſin confugit, ſed ratione non deſtitutam, atque experientia confirmatam. Sumit ſcilicet, ſi homo aliave potentia agens, in quiete exerere valeat vim $= A$, at vero celeritate $= f$ progrediens nihil amplius praeſtare posſit; tum ſi idem homo celeritate $= v$ incedat, exerere poſſe vim $= (1 - \frac{v}{f})^2 A$: vnde cum eius actio ſit aeſtimanda $= v(1 - \frac{v}{f})^2 A$, ea erit maxima, ſi fuerit $v = \frac{1}{3} f$, et ipſa actio maxima ſit $= \frac{4}{27} Af$. Ita ſi pro homine ſumatur $A = 100$ libr. et celeritas extrema $f = 6$ ped. homo efficacisſime operabitur, ſi celeritate 2 ped. uno minuto ſecundo aget, tum autem vim exeret $= \frac{4}{9}\, 100 = 44\frac{4}{9}$ libr. et eius actio erit $= 44\frac{4}{9}\, 2 = 89$. Quoties ergo ad machinas movendas operis hominum uti velimus, efficiendum eſt, ut hominum motus ſit 2 ped. ſingulis minutis ſecundis; ſcilicet ſi onus movendum cum frictione reſiſtentiam faciat R.

libr.

ibr. id tanta celeritate u moveri poterit, ut ſit $Ru = \frac{4}{27}Af$, ideoque $u = \frac{4}{27}\frac{Af}{R}$: vnde cum celeritas vis agentis ſit $= \frac{1}{3}f$, machinam ita inſtrui conveniet, ut ſit celeritas vis ad celeritatem oneris ut 1 ad $\frac{4}{9}\frac{A}{R}$. Idem tenendum eſt de viribus animalium cujusque generis, quae ad machinas movendas adhibentur; vbi inprimis notandum eſt, ea, quae maximae celeritatis ſunt capacia, maximum effectum producere. Ita ſi equus in quiete tantum anniti queat, quantum tres homines, ſimul vero triplo maiorem celeritatem ſuſtinere poſſit, eius actio efficacisſima novies erit maior quam unius hominis unusque equus tantum praeſtare poterit, quam novem homines. Eadem regula quoque locum habet in vi fluminis, cuius actio ad rotas circumagendas eſt maxima, ſi rota tanta velocitate verſetur, ut celeritas aquae allabentis ſit pars tertia. Haec igitur ſunt vera principia, ex quibus omnis generis machinae ad ſummum perfectionis gradum evehi poterunt, ad quod vulgarem machinarum doctrinam parum conferre manifeſtum eſt.

III. *De motu et attritu lentium dum ſuper catinis poliuntur*, diſſertatio LEON. EVLERI. Artifices olim in eiusmodi machinis excogitandis fuerunt occupati, quibus, ſpreta figura ſphaerica, lentibus vitreis figuram vel parabolicam, vel ellipticam, vel hyperbolicam, aliamve quamcunque inducere poſſent; nunc autem, etſi Dioptricae tam theoria, quam praxis, uberius eſt exculta, praeclare tamen nobiscum agi arbitramur, ſi modo lentes exactisſime ad ſphaericam figuram elaborari poſſent, hoc enim ſi praeſtare liceret, multo perfectioribus certe tam teleſcopiis, quam microſcopiis, vteremur. Duae autem ſunt res, quae huic praxi impedimento eſſe deprehenduntur: altera in ipſa vitri natura flexibili et elaſtica eſt ſita, qua fit, ut vitrum etiam planum catino concavo fortiter appreſſum eius figurae apprime ſe applicet, inde vero remotum in priſtinam figuram reſtituatur. Quamvis ergo lens exactisſime catini figuram induiſſe

Digitized by Google

videatur, plerumque tamen eius figura deinceps multum diverſa reperitur; quod vitium aliter evitare non licet, niſi ut vitrum, dum ſuper catino atteritur, ipſi leniſſime apprimatur, quo quidem modo labore multo diuturniore opus eſt, quem artifices aegerrime ſuſcipiunt. Alterum impedimentum in ipſo catino reperitur, cuius figura, dum lens atteritur, non parum vitiatur, ut neceſſe ſit ſaepius veram eius figuram reſtituere, antequam eandem fuerit adepta; attritu enim mutuo non ſolum a vitro, ſed etiam ab ipſo catino, plurimae particulae abraduntur. Hoc vitium inprimis ſe exerit in operis initio, quo lentis figura etiamnum vehementer diſcrepat a catini figura, ideoque catinus in certis tantum locis atteritur: cui vitio quidem artifices remedium afferre ſtudent, dum lentem per totam catini ſuperficiem circumducunt; caſui autem hic nimis latus campus relinquitur, quam ut quicquam inde ſperare liceat. Quando autem lens iam proxime catini figuram eſt adepta, ita ut laevigatione tantum ſit opus, minus illud incommodum metuendum videtur, ſiquidem ubique tantundem a catino abraderetur. Hinc Auctor ſedulo in attritum, quem catinus a lente patitur, inquirit: ubi quidem mechaniſmum nunc fere ubique uſu receptum contemplatur, quo lens ope ſtili eius centro applicati ita catino in gyrum acto apprimi ſolet, ut interea libere circa ſtilum gyrari poſſit. Hic igitur primo obſervat, motum gyratorium lentis ſemper aequalem eſſe motui gyratorio catini, ut utrinque eodem tempore totidem revolutiones peragantur; tum vero oſtendit, lentem quidem per totam ſuperficiem aequaliter atteri, attritumque eo eſſe maiorem, quo longius 1mo. lentis centrum a centro catini teneatur remotum, 2do. quo fortius lens ad catinum apprimatur, 3^{tio}. quo minor fuerit lentis ſuperficies, et 4to. quo celerius catinus in gyrum agatur; catinum vero demonſtrat admodum inaequaliter abradi, ſiquidem lentis centrum immotum teneatur; unde, cum eius figura mox depravetur, idem vitium in lentem transferatur neceſſe eſt: remedium autem, quo vulgo artifices uti ſolent, dum centrum lentis

per

Digitized by Google

per totum catinum deducunt, nimis incertum indicat, quin potius ſuadet, centrum lentis perpetuo in eadem a catini centro diſtantia detineri, atque ut catinus ubique aequalem attritum patiatur, definit figuram fruſti cuiusdam vitri, quod in alio loco catino certa vi impreſſum praeciſe tantum de catino abradat, ut tota abraſio ubique aequalis reddatur. Tutisſimus hic videtur modus, figuram catini ab omni depravatione immunem conſervandi, atque artifices hunc modum facile ad praxin accommodabunt. Conſultum quoque foret, lentem non vi manus nimis inconſtante ad catinum apprimi, ſed certo quodam pondere in moderando, ne prius incommodum ſupra memoratum locum habere poſſit; tum vero ſingulari artificio conatum lentis centrifugum coerceri conveniet, ut hoc pacto nihil plane fortunae et arbitrio artificis relinquatur. Fruſti autem illius vitrei per ſe otioſi figura facile determinatur, aeque ac vis, qua id ad catinum apprimi debet, ut deſideratus effectus obtineatur. Ceterum hic novum documentum principii minimae actionis praeter omnem expectationem cernitur: dum enim Auctor motum lentis ſuper catino definiuit, eum ita comparatum eſſe invenit, ut inde attritus minimus exoriretur; ex quo huius principii uſus amplisſimus et foecundisſimus, per univerſam naturam, eo clarius elucet.

IV. *De nova quadam vectis proprietate*, Diſſertatio F. V. T. AEPINI. In hac disſertatione denuo inſignis caſus, quo principium minimae actionis eminet, profertur, atque adeo ex natura vectis petitus, cuius proprietates, nemine contradicente, veritatibus aeternis ſunt annumerandae. Conſiderat ſcilicet Cl. Auctor, vectem aequalium brachiorum, quorum extremitates binae ad bina virium centra infinite remota ſingulatim viribus quibuscunque ſollicitentur, quaeritque ſitum, quo vectis ſit in aequilibrio futurus. Ad hoc vtramque vim reſolvit in binas, quarum altera ad vectem ſit normalis, altera vero in ipſam eius directionem incidens; atque

Digitized by Google

que demonſtrat, aequilibrium in eo ſitu fore, vbi ſumma harum poſteriorum virium in axis directionem cadentium futura ſit maxima. Dolendum autem eſt, hanc elegantem proprietatem nimis anguſtis limitibus contineri, dum ea non amplius locum habet, ſtatim ac brachia vectis inaequalis longitudinis aſſumuntur, ſeu centra illa virium non fuerint infinite remota: interim tamen non erit difficile hoc Theorema, adiiciendis adhuc quibusdam conditionibus, non quidem ſine elegantiae iactura latius extendere, quod autem eo minus neceſſarium videtur, cum iam firmisſimis rationibus ſit euictum, principium minimae actionis per univerſam Staticam, quorſum doctrina vectis eſt referenda, eminentiſſime regnare.

V. *Deſcriptio inſtrumenti cuiusdam, Nautis Barometri ad inſtar inſeruituri.* Auctore I. E. ZEIHERO. Cum Barometra vulgaria in navibus ob continuos motus et ſuccuſſiones nullum uſum praeſtare queant, iam olim inſtrumentum peculiare ad uſum marinum ab Hookio erat excogitatum. Nunc autem Cl. Auctor aliud inſtrumentum ex ipſa aëris indole petitum proponit. Cum enim quovis tempore exacta elaſticitatis aëris menſura deſideretur, cylindrum cauum aere omnino vacuum in hunc finem commendat. Quia enim aer extremus tota vi elaſtica ſua in baſin cylindri agit, easque, ſi eſſent mobiles, per cavitatem cylindri ad occurſum usque detruderet; ne hoc eveniat, elaſtrum inter baſes in ipſo vacuo conſtituit, cuius vi eae diſtentantur, ita ut tenſio elaſtri quovis tempore cum presſione aeris in aequilibrio eſſe debeat. Aucta ergo aëris elaſticitate, baſes illae, mobiles propius ad ſe invicem adiguntur; ea vero minuta ab elaſtro interno baſes magis repelluntur, ſicque ex earum intervallo ſemper veram aeris presſionem agnoſcere licebit, ſi modo frictio hunc effectum non impediat.

VI) *Duarum Machinarum etc.* deſcriptio a I. E. ZEIHERO. Cochlearum uſus per univerſam Mechanicam ita eſt amplisſimus, ut artifices in iis exacte elaborandis merito omne ſtudium et operam impendant. In quo negotio Cl. Auctor

Auctor feliciſsimo ſucceſsu iam dudum fuit occupatus, atque hic ingenioſas inventiones cum doctis communicat, quas ex ipſo eius ſcripto perſpicere oportet.

VII. *Acus nauticae nova deſcriptio.* Auctore I. E. ZEIHERO. Quemadmodum haec acus, exactisſime veram declinationem magneticam oſtendens, ſuſpendi atque ad uſum accommodari debeat, Cl. Auctor hic perquam ingenioſe docet; quod inventum eo magis eſt aeſtimandum, quo ampliorem nunc quidem vtilitatem a magnetis declinatione, in diverſis telluris locis accurate obſervata, expectare licet. Famoſisſimum enim de invenienda longitudine maris problema commodius feliciusque expediri nequit, quam ſi lex fuerit inventa, ſecundum quam declinatio magnetis in omnibus terrae locis ad quodvis tempus mutationibus eſt obnoxia. Omnino autem eſſet optandum, ut ſimul inclinationis ratio haberetur, cuius autem accurata obſervatio multo maiores ambages et apparatus poſtulat, quam ut a navigantibus commode inſtitui posſit.

VIII. *De aequilibrio virium corporibus applicatarum commentatio*, Auctore S. KOTELNIKOW. Quae de aequilibrio potentiarum in Statica tradi ſolent, huic propoſitioni fundamentali innituntur, quod potentia per diagonalem parallelogrammi expresſa aequivaleat binis potentiis per eius latera expreſſis: haecque veritas vulgo ita demonſtrari ſolet, ut motus ſaltem primo initio impresſi ratio habeatur; quod autem minime congruum videtur, cum Staticae principia ante ſolide demonſtrata eſſe oporteat, quam quicquam de motu explicari posſit. In primis quidem Commentariorum Academiae Tomis egregia occurrit huius veritatis demonſtratio, quae ab omni motus conſideratione immunis negotium quidem plane conficit, ſed tamen tantis ambagibus involvitur, ut ipſi inter prima elementa vix locus con-

Digitized by Google

cedi queat. Interim tamen hinc iſti propoſitioni palmariae tantum firmamentum comparatur, ut non ſolum ipſa, ſed etiam omnia quae inde circa aequilibrium quotcunque potentiarum proferuntur, veritatibus neceſſariis accenſeri debeant. Ea namque propoſitione ſtabilitur cuiusque potentiae reſolutio in binas alias, quarum directiones cum ad lubitum accipi queant, quovis caſu omnes potentias, quotcunque fuerint propoſitae, ad binas directiones fixas revocare licet, ex quarum momentis deinceps ſtatus aequilibrii facile determinatur. Cel. *Eulerus* poſtea eandem hanc propoſitionem fundamentalem, ex principio maximorum et minimorum ſingulari modo demonſtravit, dum aſſumſit, trium potentiarum puncto applicatarum aequilibrium tum dari, cum omnes potentiae iunctim ſumtae maximum effectum produxerint, ſeu ſingulae punctum, in quod agunt, ſecundum ſuam quaeque directionem maxime protraxerint. Hoc igitur eodem principio, per omnes ſcientias foecundisſimo, hic utitur Cl. Auctor, ad ſtatum aequilibrii, quando plures tribus potentiae puncto ſunt applicatae, definiendum; ſumto ſcilicet in cuiusque potentiae directione puncto fixo, eum quaerit ſtatum, ubi ſingulae potentiae, per diſtantiam quaeque iſtius puncti a puncto, in quod agunt, multiplicatae, minimum producunt aggregatum. Potentiis ergo, quotcunque fuerint per literas A, B, C, D etc. indicatis, et puncti, in quod agunt, diſtantiis ab aliis punctis, in cuiusque directione aſſumtis, per litteras p, q, r, s etc. ſtatus aequilibrii ibi datur, ubi quantitas $Ap+Bq+Cr+Ds+$ etc. fuerit minima, ſeu eius differentiale evaneſcens, ſcilicet $Adp+Bdq+Cdr+Dds+$ etc. $=o$. Unde ſimul patet, perinde eſſe, ubicunque illa puncta in cuiusque directione accipiantur. Tum vero angulis inter directiones potentiarum per litteras α, β, γ, δ etc. ſingulatim notatis, anguloque quodam indefinito φ in calculum introducto, Cl. Auctor ex illo principio ſequentem deducit aequationem §. 6.

A coſ.

Digitized by Google

$$\left.\begin{array}{r} A\ \text{coſ.}\,\phi + B\ \text{coſ.}\,\phi\ \text{coſ.}\,\alpha + C\ \text{coſ.}\,\phi\ \text{coſ.}\,(\alpha+\beta) \\ + D\ \text{coſ.}\,\phi\ \text{coſ.}\,(\alpha+\beta+\gamma) + \text{etc.} \\ - B\ \text{ſin.}\,\phi\ \text{ſin.}\,\alpha - C\ \text{ſin.}\,\phi\ \text{ſin.}\,(\alpha+\beta) \\ - D\ \text{ſin.}\,\phi\ \text{ſin.}\,(\alpha+\beta+\gamma) - \text{etc.} \end{array}\right\} = 0$$

quae in ſtatu aequilibrii ſemper locum habere debet, quicunque valor angulo ϕ tribuatur. Variis igitur ipſi ϕ valoribus tribuendis, pro quolibet potentiarum numero plures inſignes aequilibrii proprietates derivat, eximio vſu non deſtitutas. Si autem ipſa aequilibrii determinatio ſpectetur, duae aequationes, quotcunque etiam potentiae proponantur, ſufficiunt; ſiquidem binis angulorum α, β, γ, δ etc. definitis, poſitio puncti O determinatur. Cum igitur ſuperior aequatio evaneſcere debeat, quicunque valor angulo ϕ tribuatur, facile perſpicitur, hoc evenire, ſi modo bina membra, quorum altero coſinus anguli ϕ afficitur, altero eiusdem ſinus, ſeorſim nihilo aequentur, unde ſequentes binae aequationes obtinentur:

$$A + B\ \text{coſ.}\ \alpha + C\ \text{coſ.}\ (\alpha+\beta) + D\ \text{coſ.}\ (\alpha+\beta+\gamma) + \text{etc.} = 0$$
$$\text{et}\quad B\ \text{ſin.}\ \alpha + C\ \text{ſin.}\ (\alpha+\beta) + D\ \text{ſin.}\ (\alpha+\beta+\gamma) + \text{etc.} = 0$$

quae non ſolum omnes formulas a Cl. Auctore allatas in ſe complectuntur, ſed etiam aeque late patent. Conveniunt autem eae quoque egregie cum regulis ex vulgari theoria petitis, quibus ſtatus aequilibrii definiri ſolet. Si enim per punctum O recta in directionem potentiae A incidens ducta intelligatur, omnesque vires ſecundum binas directiones, quarum altera cum illa convenit, altera vero eidem eſt perpendicularis, reſolvantur, tum omnium harum virium reſolutarum eae, quae in dictam directionem cadunt, ſimul ſumtae, ſe mutuo deſtruere debent, perinde ac eae, quae ad illam directionem ſunt normales. Illud ſcilicet priori aequatione indicatur, hoc vero poſteriori.

Digitized by Google

IX. *De commoda acus declinatoriae ſuſpenſione diſſertatiuncula*, Auctore S. KOTELNIKOW. Ut acus magnetica ſtilo, ſuper cuius cuſpide libere gyretur, imponi queat, vulgo perforari et capitulo inſtrui ſolet; quoniam vero huiusmodi perforatione curſus materiae magneticae non mediocriter interrumpitur, quo fit, ut plerumque acus plures duobus polos recipiat, eorum ſtudium maxime eſt laudandum, qui ſine ulla acus magneticae laeſione idoneam ſuſpenſionem excogitare conantur, quod quidem acum cum alio corpore, in quo ſuſpenſio fiat, firmiter connectendo, facile praeſtari poſſe videtur. Verum hic obſervandum eſt, punctum, circa quod acus mobilis reddatur, aliquantillum ſupra commune centrum gravitatis exiſtere, ſimulque totum pondus minimum effici debere, ne frictione motus impediatur. Cl. Auctor igitur in eo potisſimum eſt occupatus, ut minimo adiuncto corpore peregrino his conditionibus ſatisfaciat.

Sequuntur PHYSICA. In his ſunt I. *Plantarum rariorum deſcriptiones completae*, Auctore IOH. CHR. HEBENSTREIT. Si non noua in regno naturae reperire occaſio detur, quod quidem in uno loco haerentibus rarius occurrit: cognita, at nondum ſatis deſcripta, pleniore deſcriptione notiora reddere operae pretium eſt. Hanc ſibi provinciam excolendam ſumſit, dum in Academia Petropolitana commoraretur, Cl. *Hebenſtreitius*, cuius ſtudium in accurata et completa Plantarum hic deſcriptarum, et iconibus ad vivas plantas illuſtratarum, prima eſt *Meſſerſchmidia*, hoc nomine nuncupata in honorem viri de omni Hiſtoria naturali meritisſimi, *Danielis Gottlieb Meſſerſchmidii*, Medicinae Doctoris, qui iuſſu Petri Magni per novem annos totam fere Sibiriam, ea cura, quae intelligentisſimum et ſolertisſimum naturae indagatorem decet, perluſtravit, eamque ad fontes Arguni fluvii circa lacum Dalai reperit, Meſſerſchmidii ſchedis

Digitized by Google

dis uſus b. *Ammannus*, deſcriptionem huius plantae edidit, ſub Arguſiae nomine; monuit autem, ſe non refragaturum, ſi quis ab inventore Meſſerſchmidiam vocare voluerit. Hoc fecit Ill. *Linnaeus*, at deinceps Tournefortiae generi acc enſuit. *Hebenſtreitius* omnino ſui generis plantam eſſe docet, quae filamentis, ſitu antherarum, ſtilo, fructu, a Tournefortia differat. Altera *Aeſchynomene*, vel *Hedyſarum Sloani*, planta eſt, a Viro Illuſtri, *Hans Sloane*, in inſula Iamaica primum reperta, cuius vegetationis hiſtoriam, et reliqua, Hebenſtreitius accurate deſcribit, et iconem ſuppeditat, iſta, quam Sloanius ad ſiccam, ut videtur, plantam fieri curaverat, meliorem. Tertia *Verbeſinae* ſpecies, vel Rudbeckia Zinnii, vel Zinnia Linnaei, ex Galliis originem ducit, Lipſiae primum culta, et abinde Goettingam, Upſaliam, Petropolin propagata. Secundum methodum plantarum Cel. Ludwigii ad genus Verbeſinae referendam eſſe Noſter exiſtimat. Hic autem characteres quoque ab Ill. LINNAEO in noua editione Syſt. Nat. Tom. II. pag. 1377 ſuppeditatae, conferri merentur. Quarto loco *Braſſicae* ſpecies occurrit, Sinis indigena, et alias quoque nota, at hic pluribus deſcripta, una cum aliis obſervationibus, quas Botanophilis non ingratas futuras eſſe arbitramur.

II. *De gradibus Frigoris ac Caloris ſummis, quos certa fluida ferre poſſunt, etc.* Diſſertatio I. A. BRAVNII. Sunt phaenomena congelationis et ebullitionis diverſorum corporum, haud exigui momenti, adeoque attentione et indagine digniſſima. Non igitur mirandum eſt, viros ſummos indagare eiusmodi phaenomena ſtuduiſſe, quos inter magnus Newtonus primus ſcalam graduum caloris et frigoris in Actis Societatis Regiae Londinenſis menſe Aprili 1701. N. 270, publicauit. Facit eiusmodi indagatio ad naturam corporum fluidorum et firmorum detegendam, et ad diverſos, in diverſis corporibus, effectus caloris et ignis cognoſcen-

Digitized by Google

ſcendos, qui ſaepe ſunt mirandi. Corpora modo apparent in forma fluidorum, modo in forma ſolidorum, qui duplex corporum ſtatus ſolius caloris et ignis eſt effectus; uti quoque forma vaporum, in quos reſolvi ſaepius corpora ſolent, praecipue in eorum ebullitione, huc eſt referenda. Hinc ſequitur, corpora fluida ſolo frigore in corpus firmum abeuntia, glaciem quandam, quae pro diverſitate corporum diverſa eſt, conſtituere, et ſtatum fluiditatis a certo caloris gradu pendentem nil niſi glaciem eſſe fuſam, uti eſt aqua. Quum igitur fluiditas et firmitas conſtituant tantum diverſum unius eiusdemque corporis ſtatum, manifeſtum eſt, hunc duplicem ſtatum ad eſſentialia corporis non eſſe referendum, ſed ad extraeſſentialia et accidentia, ſeu modos, dum eiusmodi commutatio ſtatus ſoli calori, nempe vel eius augmento, vel decremento, debeatur. Non enim exiſtimandum eſt, calorem et frigus eſſe res ſua natura diverſas, licet diverſis nominibus, iisque poſitivis, ad illa deſignanda uti conſueverimus. Frigus enim ſola privatio et diminutio caloris eſt, et quando in thermometris quibusdam terminus inter calorem deſinentem et frigus incipiens ponitur, id mere eſt arbitrarium. Nam gradus frigoris 200, ſcalae Delilianae, pro gradu caloris inſigni haberi poteſt et debet, reſpectu gradus 600, qui circiter hydrargyrum congelare ſolet. Quodſi igitur corpus firmum calore fundatur, idem corpus eſſentialiter maneat neceſſe eſt, eiusdem generis. Cera fuſa manet cera, aurum, argentum, et omnia metalla fuſa, manent metalla, et eiusdem generis, ſcil. aurum, argentum etc. quo ipſo patet, duritiem et firmitatem perpetuam pro charactere metallorum eſſentiali haberi non poſſe, alias metalla fuſa, in ſtatu ſcilicet fluiditatis, pro metallis non eſſent reputanda, quod eſt abſonum. Quum hodie conſtet, hydrargyrum ſolo frigore abire in corpus prmum, quae eiusdem huius diſſertationis Auctoris Cl. *Braunii* inventio eſt, et calore rurſus mutari in corpus fluidum, an dubitari poteſt,

Mercu-

Mercurium aeque ac reliqua metalla, aurum, argentum, plumbum, ſtannum etc. ſi in forma fluidorum apparent, dum fuſa ſunt pro metallo vero fuſo reputand ı eſſe? Differentia enim nulla alia eſt, niſi quod Mercurius multo minore caloris gradu fundatur, quam reliqua metalla, et propter hunc minorem gradum, qui ſemper in Atmoſphaera regnat, perpetuo quoque in noſtro terrarum orbe fluidum ſeu fuſum maneat neceſſe eſt, et frigore naturali in metallum firmum et durum, uti reliqua, abire nequeat. Deſinat igitur Mercurius locum inter ſemimetalla occupare, evehatur potius ad dignitatem perfectorum metallorum; quod omnino fieri debere luce meridiana clarius eſt, niſi quis manifeſto veritati demonſtratae repugnare velit. Sunt igitur ſoli gradus caloris diverſi, qui efficiunt, ut corpora modo ſub ſpecie fluidorum, modo ſub ſpecie firmorum adpareant. Et hos ipſos gradus caloris diverſos Celeberr. Auctor in diverſis corporibus, multis accuratisque, quantum fieri potuit, experimentis, determinare ſtuduit. Pleraeque determinationes novae ſunt; quae vero plane nova non ſunt phaenomena, experimentis detecta, ita tamen ſunt comparata, ut cognita partim confirmentur, partim vero emendentur. Haec generatim dicta ſufficiant: ad ſpecialia deſcendere non attinet, quae in Diſſertatione ipſa Lector harum obſervationum cupidus evolvere non praetermittet.

III. *Cautelae circa obſervationes Meteorologicas adhibendae*, Auct. PETRO VAN MUSCHENBROEK. Solas obſervationes, et experimenta ſola, veras firmasque eſſe baſes Philoſophiae naturalis, recte Cel. Auctor ſub finem diſſertationis monet, quoniam ſine his vera theoria condi nequit, ſed loco verae et firmae ſcientiae naturae inanes ſpeculationes, et hypotheſes fictae, quas delet dies, proferuntur. Sequitur hinc, inveſtigationes huius generis veritatum ſcrutatoribus naturae praecipue commendandas eſſe, ex quibus conſectaria ad veram

veram ſcientiam naturae condendam hauriri et deduci queant. Ad veritates huius generis pertinent quoque obſervationes Meteororum, quae tantum abeſt ut ſint negligendae, aut ſuperficiarie inſtituendae, ut potius omnem accurationem mereantur et requirant, quoniam theoria Meteororum, quae tot et tantas generi humano promittit utilitates, quam longisſime adhuc a ſua perfectione abeſt. Uti igitur theoria aſtronomica, quae inſigni perfectione hodie gaudet, non niſi poſt innumeras obſervationes multorum annorum condi potuit; ſic quoque Meteorologia non niſi poſt multorum annorum obſervationes ad perfectionem quandam poterit perduci. Sunt quidem obſervationes meteorologicae a multis hinc annis iam factae, ſed paucae ſcopo indicato ſervire poſſunt, quia ſunt pleraeque minus accuratae et perfectae. Operae igitur pretium eſt, defectus et imperfectiones obſervationum meteorologicarum vulgarium, quod Auctor in hac diſſertatione fecit, indicare, et ſimul, quo modo accuratae et perfectae ſint faciendae, oſtendere. Et quem quis tutiorem viae ductorem deſideraverit, quam eum, qui per totum fere vitae ſuae decurſum eam calcavit? Cel. *Muſchenbroekii* experientia, et ſolertia in obſervationibus et experimentis naturalibus inſtituendis, neminem latet. Hinc nullum dubium eſt, quin ipſius conſilia vtilitatem ſint allatura. Hinc quoque Academia non ſupervacaneum cenſuit, eadem, etiamſi plura alias quoque in univerſum nota contineant, inſerere Commentariis ſuis.

IV. *Halonum extraordinariarum deſcriptio*, Auctore F. V. T. AEPINO. Si ingenioſe vnquam in lucem producta eſt hypotheſis, explicando phaenomeno cuidam naturali deſtinata, ea certe eſt, quam de Halonum atque Parheliorum cauſis propoſuit magnus Chriſtianus Hugenius. Etſi autem hypotheſis iſta miro modo phaenomenis conſentiat, de veritate ipſius tamen dubitandi, immo penitus ipſam reii-

reiiciendi, cauſas ſatis praegnantes invenerunt recentiores Phyſici, quarum unicam hic adduxiſſe ſufficiat. Conſtat ex obſervationibus, et ab ipſo Hugenio ita ſtatuitur, eſſe diametrum Halonis interioris fere ſemper 44 ad 45°, atque ſi plures adſunt, ſecundae Halonis diametrum conſtanter duplum huius reperiri, et ad 90° aſcendere: quae quidem obſervatio ita conſtans eſt, ut ad rarisſima phaenomena pertineant Halones, quarum diametri antea asſignatis notabiliter aut maiores aut minores reperiantur. Cum vero Vir ſummus phaenomena haec ex ſphaerulis atque cylindris glacialibus, in aere volitantibus, opaco nucleo praeditis, derivet, pendere debent diametri Halonum, ſecundum ipſius hypotheſin, a ratione quae inter diametros globuli glacialis et nuclei opaci intercedit, quam quidem rationem pro halonibus 45° ipſe Hugenius, 1000 ad 480, ac pro halonibus 90°. 1000 ad 680 ſtatuit. Ardua itaque iam oritur quaeſtio, unde fiat, ut natura, in producendis globulis glacialibus, modo allegatas corticis diaphani ad nucleum opacum proportiones prae aliis affectet, ac fere nunquam, et inter innumeros, qui ad datae Halonis formationem concurrunt, globulos, vix aliquem producat, in quo alia obtineat proportio. Effectus enim naturae determinati a vagis proficiſci cauſis nequeunt, ſed determinatas depoſtulant. Quicquid autem de ortu et formatione globulorum glacialium imaginari velimus, nunquam aliquam tamen mente concipere poterimus cauſam, quae non ad producendas quasvis corticis et nuclei proportiones quaſi indifferens eſſet, unde miraculi inſtar habendum foret, quod inter plures caſus, quorum nullus prae reliquis gaudet privilegio, unicus ſolus fere conſtanter accidere ſoleat. Prouti haec evidenter probant, theoriam atque explicationem Halonum et Parheliorum ad deſideranda adhuc pertinere; ſic praeſens diſſertatio evincit, phaenomenon ipſum ad hunc usque diem Phyſicis non ita cognitum fuiſſe, ut omnes et praecipuas

 ipſius

ipſius circumſtantias perſpectas habuerint. Producitur namque novum genus Halonum, quod Philoſophiae naturalis ſcrutatoribus huc usque ignotum fuit, etſi videatur in ſeptentrionalibus terrae regionibus non ita infrequens eſſe, ut inter rariora numerandum ſit. Vidit nempe Auctor, Haloni conſuetae circulari 45°, iunctam Halonem ellipticam, cuius axis minor et verticalis diametrum Halonis circularis aequabat, axis vero maior, horizonti parallelus, ſex circiter diametris ſolaribus axem minorem ſuperabat. Solerter inquiſivit Auctor, qui deſcriptum ſe legiſſe phaenomenon non recordabatur, an alicubi mentionem ipſius iniectam invenire poſſet, at fruſtra; unde pro novo et incognito hactenus habendum eſſe ſtatuit. Notiſſimum quidem eſt, hinc inde allegari apud Auctores Halones ellipticas; ſed patet ex intuitu, ſermonem nullibi eſſe niſi de Halonibus quae in ſe circulares quidem ſunt, et actuali inſtituta dimenſione tales reperiuntur, aſt per fallaciam opticam, ellipticam ſeu ovalem potius figuram mentiuntur. Eae vero Halones, quas Auctor hic producit, id peculiare habent, quod non ſolum ellipticae videantur, ſed dimenſae actu quoque tales inveniantur, et praeterea axis ipſarum maior horizonti parallelus ſit, qui in prioris generis Halonibus nunquam non horizonti perpendiculariter inſiſtere videtur. Etſi itaque Auctor nullum invenerit veſtigium, deſcriptas eſſe alicubi Halones vere ellipticas, non difficile tamen ipſi fuit agnoſcere, apparuiſſe idem hoc phaenomenon quibusdam obſervatoribus, aſt ita incompletum, ut iuſtam ſibi eius ideam exinde formare non potuerint. Quamvis tandem Auctor, in nuda phaenomeni maxime notabilis deſcriptione hic ſubſiſtat, neque ad eruendam cauſſam ipſius ac ſimilium phaenomenorum animum advertat; iungit tamen cogitationes aliquas ſuas huc pertinentes, quaeſtionum ſub forma, in quarum aliqua inſinuat, mirabilis phaenomeni Halonum et Parheliorum cauſam, ſua ex mente, ſine dubio in iis quaerendam

Digitized by Google

rendam eſſe, quae ſummus Newtonus de proprietate luminis, quam acceſſuum facilis transmisſionis et reflexionis nomine inſignivit, detexit; unde optandum eſt, ut aliquis Phyſicorum ad ulterius examinandam hanc doctrinam, quae, neſcimus quo fato, inde a Newtoni tempore fere neglecta ac inculta iacet, animum advertat.

V. *Piſcium rariorum e Muſeo Petropolitano exceptorum deſcriptiones*, Auctore I. T. KOELREUTER. Recte Cl. Auctor celebrat ingentem rerum naturalium theſaurum in Muſeo Petropolitano aſſervatum, et inprimis Collectionem piſcium, quam immortalis memoriae Imperator *Petrus Magnus* a V. Cel. Alb. Seba haud parvo pretio comparavit. Ipſe quidem Seba res Muſei ſui rariores deſcribere inſtituit, et elegantisſimis iconibus illuſtratas duobus Tomis evulgavit; tertium tamen, qui piſces exhibere debebat, mors in lucem emittere prohibuit. Hinc operam pro amplificanda Hiſtoria naturali non inutiliter collocavit *Koelreuterus*, dum piſces rariores, quorum vel nomina tantum, vel nimis breves et defectuoſae deſcriptiones apud Auctores Ichthyologos extant, tam pleniore et accuratiore deſcriptione, quam iconibus ſuo ductu confectis, notiores reddere aggreſſus eſt. Sunt autem piſces a Koelreutero, dum in Academia Petropolitana commoraretur, deſcripti, in univerſum tredecim. Ex his tres hoc loco comparent: Gaſteropelecus Gronovii, ſive Clupea (Sternicla) Linnaei, Trutta dentata, Piabucu Braſilienſium Marcgrafii, et Gobionis ſpecies a nemine antea indicata. Reliqui ſequentia Commentariorum volumina ornabunt. Rationem, qua Auctor in deſcribendo, et omnes piſcium partes menſurando procedit, laudare ſuperfluum foret. Fatebuntur artis periti, nihil, quod notatu dignum ſit, praetermiſſum eſſe, et ſi omnes Ichthyologi ea via incederent, fore, ut nihil in hac ſcientia dubium aut incertum remaneat. Monemus tantum, in nova Syſtema-

Digitized by Google

tis Naturae editione anni 1758. III. Linnaeum nomen vulgare Sterniclae, et denominationem Gaſteropeleci Gronovii, non Clupeae pinnis flavis, ventralibus minutisſimis, ſed Clupeae pinnis ventralibus nullis, adſcripſiſſe.

Ultimo loco ſunt ASTRONOMICA. In his I. *Inveſtigatio poſitionum inſigniorum Rusſiae locorum*, Auctore A. N. GRISCHOW. Atlantem Ruſſicum An. 1745. ab Academia evulgatum multa emendatione indigere, nemini notius eſt, quam ipſi Academiae, quae ideoque ſtatim poſt primum hoc tentamen abſolutum, de corrigendis eius erroribus, ac ſupplendis defectibus, ſerio cogitavit. Pluribus opus erat obſervationibus Aſtronomicis, ad poſitiones locorum accurate ſtabiliendas. Nonnullarum quoque provinciarum novae delineationes geodaeticae deſiderabantur, prioribus, quae extabant, praeſtantiores, ſine quibus poſitiones locorum ex obſervationibus aſtronomicis erutae parcam tantum lucem iteratis laboribus affunderent. Rem hanc, propter magnitudinem Imperii Ruſſici, ultimis cogniti orbis limitibus terminatam, lente procedere, mirum nemini videbitur. Delineatae autem ſunt, quantum ex novis cum Academia communicatis ſubſidiis fieri potuit, tabulae novae Geographicae complures, quae, poſtquam ultimam limam expertae fuerint, teſtabuntur, non inanem fuiſſe eorum operam, qui huc usque in Atlante Ruſſico emendando verſati ſunt. Cura b. Griſchovio hunc in finem demandata haec fuit, ut poſitiones locorum, de quibus obſeruationes aſtronomicae habebantur, ex iisdem ac correſpondentibus aliis inveſtigaret; quod quanta accuratione ac ſollertia praeſtiterit, lectores in ipſo eius ſcripto non ſine voluptate perſpicient. Nos tantum Longitudines ac Latitudines locorum, ex eius inveſtigatione determinatas, hic apponemus:

Nomi-

Nomina locorum.	Longitudo.			Latitudo.		
Archangelopolis	56°.	21'.	15".	64°.	33'.	36".
Riga	41.	18.	45	56.	56.	24
Revalia	41.	57.	30	59.	26.	22
Dagher-Ort	39.	35.	0	58.	56.	0
Narva	—	—	—	59.	23.	27
Bereſow	—	—	—	63.	56.	14
Samarowskoi jam	—	—	—	60.	55.	30
Demianskoi jam	—	—	—	59.	30.	34
Tobolsk	—	—	—	58.	6.	46
Novo Uſolie	74.	13.	0	59.	23.	54
Weretie	74.	15.	15	59.	22.	40
Saigatka	70.	43.	0	56.	43.	15
Sarapul	70.	13.	0	56.	26.	40
Uſt-Ykskoe	69.	13.	0	51.	51.	50
Swinji gori	67.	43.	0	55.	36.	0
Caſan	66.	28.	0	55.	45 vel	47
Niſchnei Nowgorod	—	—	—	56.	18.	0
Moſcua	55.	12.	45	55.	45.	46

Non poſſumus non monere, haberi quoque Latitudinem urbis Tobolsk, opera V. Cl. *Chappe d'Auteroche*, cum tranſitum Veneris per diſcum ſolis a. 1761. ibidem obſervaret, magno rigore ſtabilitam, ex cuius obſervationibus etiam patet, Latitudinem urbis Caſan aliqua correctione indigere. Habet namque Vir accuratiſſimus

pro Tobolsk 58°. 12'. 22" } vid. eius Mémoire du Paſſa-
pro Caſan 55. 43. 58 } ge de Vénus.

Quadrantis quidem verificationem, dum Caſani eſſet, non inſtituit: inſtrumentum autem optimum, quo vſus eſt, tan-

tis variationibus, ac iſtud Cel. Deliſle, obnoxium eſſe non potuit; unde de Chappiana obſervatione intra minuti primi intervallum ſecuri ſumus, cum in Deliſleanam ſuſpicio erroris aliquot minutorum cadat. Ceterum non ingratum erit lectoribus aſtronomis, declinationes Stellarum Rigel, γ Draconis, ſtellae polaris, et Pallicii, ex propriis obſervationibus b. Griſchovii exacte admodum ſtabilitas, hic reperire.

II. *Latitudinum Specularum aſtronomicarum Tych. Brahei etc. diſquiſitio*, Auctore A. N. GRISCHOW. Inter obſervationes aſtronomicas Saec. XVI. inſtitutas, maximam certe merentur attentionem eae, quas ſummi nominis Aſtronomus Danus, Tycho de Brahe, Uranoburgi, aliisque in locis, magno numero inſtituit. Etſi enim organa, quae adhibuit Tycho, perfectione hodiernis aequari nullo modo queant, magna tamen Ill. Aſtronomi ſollertia, ipſaque vetuſtas harum obſervationum, ſummum illis pretium conciliant. Ut vero tantus obſervationum aſtronomicarum theſaurus, et nobis, et poſteris in uſum cedere queat, neceſſarium inprimis erat, ut ſitus Obſervatoriorum, ubi inſtitutae ſunt, quantum fieri poteſt, exacte determinaretur; quod iam ante Saeculum perſpexit Academia Scientiarum Pariſina, dum Cel. Aſtronomum Picardum in Inſulam Huennam miſit, ut in Uranoburgi arcis Latitudinem atque Longitudinem ſollicite inquireret: aſt minus feliciter ceſſit hic labor, unde Cel. Griſchovio novas circa hanc rem diſquiſitiones inſtituendi campus relictus fuit. Procedit in hoc negotio Cl. Vir ea ratione, ut ex propriis ſuis obſervatis declinationem α Leonis aut Reguli, atque ſtellae polaris, magno rigore determinet, tumque partim ex Picardi, partim ex ipſius Tychonis obſervationibus, circa dictas modo ſtellas inſtitutis, Latitudinem Uranoburgi, ex prioribus 55°. 54′. 12″. 3‴. ex poſterioribus 55°. 54′. 17″. 4‴. calculi

culi ope eruat, ea quidem cum accuratione, ut de Latitudine celebris huius Obſervatorii intra pauca ſecunda certi eſſe queamus. Daniam relinquens Ill. Braheus, per aliquot tempus commoratus eſt in arce Wandesburgo, non procul a celebri Germaniae emporio Hamburgo ſita, quae nunc Wandsbeck dicitur, ibique obſervationes habuit, utiles futuras, modo de loci illius poſitione conſtet. Aggreditur itaque huius quoque loci Latitudinis determinationem Griſchovius, pari felicitate, dum ipſam ex ipſius Tychonis obſervationibus 53°. 35′. 12½″. deducit. Anſam hinc arripit Cl. Auctor corrigendi enormem quendam errorem, quem in collocatione urbis Hamburgi committere ſolent, noſtro etiam tempore, Geographi atque Aſtronomi, dum Urbis huius Latitudinem 6, 8, immo ad 20′. vera maiorem exhibent. Invenit nempe ex menſurationibus in agro Hamburgenſi inſtitutis Griſchovius, Wandsburgum, vel Wandsbeck, 1′ 4½″ magis ſeptentrionem verſus ſitum eſſe, ac urbis Hamburgi medium, unde Elevatio poli Hamburgo tribuenda prodit 53°. 34′. 8″. Addidit his diſquiſitionibus Auctor proprias ſuas obſervationes, quas circa Latitudinem Obſervatoriorum Regiorum, Pariſienſis et Berolinenſis, ſumma ſollertia, et excellentiſſimo inſtrumento, Quadrante nempe tripedali, Pariſiis conſtructo, qui hodie in Obſervatorio Academiae Petropolitanae aſſervatur, inſtituit, ex quibus prioris Latitudinem 48°. 50′. 12½″. aliquot nempe ſecundis maiorem ea, quam aſſumere ſolent Aſtronomi Pariſienſes, poſteriorem 52°. 31′. 0″. exacte invenit.

III. *Obſervationes Lunares correſpondentes in Inſula Oeſilia habitae a. 1752,* Auctore A. N. GRISCHOW. Hae ſunt obſervationes a b. Griſchovio ex compacto cum Cel. Abbate de la Caille, Arensburgi in Inſula Oeſilia, ad Parallaxin Lunae inveſtigandam, inſtitutae, de quibus in Summario

Tomi

Tomi VI. horum Commentariorum p. 43. dictum eſt, Academiam operam daturam, ut quantocyus lucem publicam adſpiciant. Additae ſunt obſervationes pro Refractione determinanda, nec non pro Longitudine et Latitudine Obſervatorii Arensburgenſis, ex quibus prodit Longitudo Arensburgi ab Inſula Ferro $39^\circ.\ 56\frac{1}{4}'$. vel $39^\circ.\ 57\frac{1}{2}'$. Aſſumta differentia Meridianorum Pariſios inter atque Ferro inſulam $19^\circ.\ 45'$. ut in Faſtis aſtronomicis Pariſienſibus pro a. 1763. ſtabilita legitur.

Latitudo Arensburgi - - - -	$58^\circ.\ 15'.\ 9''\frac{1}{2}$.
Latitudo Petropoli in Obſervatorio	$59^\circ.\ 56'.\ 23\frac{1}{2}$.
	vel $24\frac{1}{2}$.

Adplicatis correctionibus ex deviatione, praeceſſione, et aberratione, et adhibita refractionis tabula Caſſiniana.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Junii Anno MDCCLXIII.

Pars II.

ΗΡΟΔΟΤΟΥ ΑΛΥΚΑΡΝΗΣΣΗΟΣ ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΛΟΓΟΙ Θʹ ΕΠΙΓΡΑΦΟΜΕΝΟΙ ΜΟΥΣΑΙ.

HERODOTI HALICARNASSEI HISTORIARUM Libri VIIII. Muſarum Nominibus inſcripti Gr. et Lat. ex LAUR. VALLAE interpretatione, cum Adnotationibus THOMAE GALEI et IACOBI GRONOVII. Editionem curavit, et ſuas, itemque LVD. CASP. VALCKENARII notas adiecit PETRUS WESSELINGIUS. Accedunt, praeter Vitam Homeri, varia ex priſcis Scriptoribus de Perſis, Aegyptiis, Nilo, Indisque Excerpta, et praeſertim ex Cteſia.

Amſtelodami, ſumtibus Petri Schoutenii, A. C. cIↃIↃccLxIII. fol. mai. 12 Alph. 9 plagg.

Quum Herodotus, omnium intelligentium iudicio, habitus ſemper ſit, atque etiam nunc habeatur, omnis hiſtoriae pater, quum in libris eius, non modo rerum varii generis utiliſſimarum incredibilis copia inveniatur, ſed tanta quoque eloquentiae vis appareat, ut nemo facile ſit a ſenſu atque amore nativae pulcritudinis tam remotus et

 alienus,

Digitized by Google

alienus, quem lectio eorum non ſummopere delectet atque paſcat: ſane vehementer optandum erat, ut exiſteret aliquando aliquis, qui ſcripta haec reſtitueret nitori priſtino, et cum Codicum bonorum auctoritate et fide, tum reliqui apparatus critici auxilio, ejiceret, ac tolleret mendas et labes, quas vel librariorum negligentia, vel aliorum inſcitia et ſedulitas inepta, integerrimo et venuſtiſſimo Corpori intuliſſet. Quod beneficium etſi Herodoto contigit iuſto ſerius: poterat enim certe illud maiori iure poſtulare, et vero flagitare prius, quam multi alii linguae Graecae auctores, quorum libri et orationis elegantia, et rerum copia utili atque varietate ſuavi, Muſis Herodoti ſunt longe inferiores: tamen non habere videmur, quod cunctationem hanc Grammaticorum aetatis noſtrae magnopere accuſemus, quum eventus ſatis doceat, eam fuiſſe Fabianae ſimillimam, hoc eſt, eam, quae libris Herodoti ſalutem propemodum omnem reddiderit. Nam perpaucis profecto Scriptoribus Graecis contigere adhuc Evergetae et Soteres tales, qualem contigiſſe nuper Herodoto ſcimus. Fuit enim in *Weſſelingio τῷ μακαρίτῃ*; ſcripſimus haec eo mortuo, non ſine triſtiſſimo iacturae ſenſu, quam feciſſe, morte eius, litteras bonas videmus; non tantum linguae Graecae interioris admirabilis ſcientia, et hiſtoriae veteris cognitio maxime recondita, ſed rariſſima etiam facultas et ſollertia tractandi utiliter Codices manu ſcriptos, comparata annorum plurimorum uſu, et prudens atque diligens timiditas, quae quidem virtus plus prodeſt hoc in genere, quam crudelis nunc, quamvis ingenioſa, multorum hominum audacia, cuius genetrix ſemper ſolet eſſe turpis quaedam et miſerabilis linguarum veterum inſcitia; ita, ut ſi cauta haec et diligens timiditas, filia doctrinae magnae, abſit ab eo, qui ſuſceperit partes ſervatoris Corporum auctorum vtriusque linguae, maiora fere illis et graviora inferantur vulnera. Gratulamur igitur Herodoto etiam hoc nomine, quod incidit in manus medici docti non magis et periti, quam humani et diligentis. Sed ut lectores noſtri cum de hac, tum de

caeteris

caeteris, quas laudavimus, virtutibus magnis *Weſſelingii* iudicare eo facilius, ſummaque eius in Muſas Herodoteas merita admirari eo magis poſſint: placet exponere primo apparatum omnem, quo uti licuit Viro ſummo: deinde attingemus diligentiam eius in iſto apparatu vtendo praeclaram: denique reliqua interpretis diligentiſſimi bona et ornamenta perſequemur.

Conſtat autem, quinque maxime fontes eſſe, e quibus a Criticis petantur remedia vulnerum efficacia et ſalutifera. Neque enim Codices tantum calamo ſcripti, librique editi e ſcriptis ducti, et Verſiones latinae ex eiusmodi Codicibus factae, conſuli ſolent ſed libri etiam eorum ſcriptorum veterum, qui vel laudant verba et locos aliorum, vel imitati horum orationem ſunt, emendationes ſaepe, etiam coniecturas certas et veras ſuppeditant. Accedit interdum fons ingenii, vel proprii, vel alieni; qui tamen quum decipiat ſaepenumero, caute admodum et circumſpecte adeundus videtur. His igitur adiumentis omnibus uſus eſt in recenſendis Herodoti Muſis *Weſſelingius*, ut ipſe oſtendit Praefationis, quam praemiſit Operi, Senatui civitatis Traiectinae inſcripto, Parte altera. nam prima Parte exponit de Vita Herodoti, rebusque praecipuis ad illam pertinentibus.

Atque primus quidem libros Herodoti novem, latine a ſe converſos, *Laur. Valla* edidit Venetiis A. cIↄcccclxxiiii. Sed Codice Graeco uſus eſt non integro, ſed mutilo. nam aberant ab eo capita primi libri, vel tota, vel magna tamen ex parte, haec: 92-95. 96. 100. 103-106. 131-136. 138-178 et 199: ita, ut Verſio eorum latina perperam a plerisque tribuatur *Vallae*, quum debeatur *Conr. Heresbachio*, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad *Ioh. Gogravium*, quae praefixa eſt Editioni latinae Herodoti A. cIↄIↄxxxvii.; non *Petro Phoenici*, qui tamen additiones ſuas ineptus iactat, ut *Weſſelingius* ait, in epiſtola, praemiſſa Verſioni *Vallae* latinae, quae Pariſiis apud *Ioh. Parvum* A. cIↄIↄx. quaternis prodiit. Nos vero *Phoenicem* in epiſtola illa glo-

riari tantum reperimus a ſe quam plurima emendata eſſe in nominibus, cognominibus, rebus denique Geographicis, qua de re alii viderint. Sed quum *Weſſelingius* ante, quam a *Meermanno*, Viro Celeb. accepiſſet exemplum Venetum, additamenta illa dubitaſſet a *Phoenice* profecta an ab *Heresbachio* eſſent: mirandum non eſt, eum ea de re, et in Diſſertatione Herodotea, et in notis alicubi (ad I, 54) ipſis, non ſine dubitatione loquutum eſſe. Multo melius de libris Herodoti meritus eſt *Aldus Manutius*, qui eos primus Graecos edidit Venetiis A. cIↄIↄII: quod eius exemplum, in quo rara ſunt neglecti Ioniſmi veſtigia, *Ioh. Hervagius* repetiit Baſileae A. cIↄIↄXXXXI. et cIↄIↄLVII., auctore et ſuaſore magno *Camerario*, qui Praefationem adiecit, qua et Vindiciae Herodoti continentur, et diſputatio de figuris dialecti Ionicae doctiſſima. Sed merita tamen *Aldi* in Herodotum longe ſuperavit *Henr. Stephanus*, qui non tantum A. cIↄIↄLVI. Verſionem latinam *Vallae* recognovit, praemiſſa elegante pro Herodoto ad Criminatores Apologia, ſed etiam Graecum textum bis recenſuit, primo A. cIↄIↄLXX., iterum, adiuncta Verſione *Vallae*, A. cIↄIↄLXXXXII. Qua quidem in recenſione eum *Weſſelingius* reperit modo coniecturas ſequutum eſſe, modo Codices calamo ſcriptos. Exemplum editionis ſecundae Stephani recudi curavit Francofurti A. cIↄIↄCVIII. *Iungermannus*, qui non modo textum Graecum deſcripſit et diviſit in Capita, Indicemque latinum ad hanc deſcriptionem inſtituit, ſed etiam Narrationi de Vita Homeri adiunxit e libris Palatinis lectiones variantes, Λεξικὸν item τῶν Ἡϱοδοτείων λέξεων e MS. *Melchioris Goldaſti*, et Cteſiae Fragmenta. Hanc editionem excepit Genevenſis, A. cIↄIↄCXVIII. curata, quae etſi fere exprimit Francofurtenſem, tamen is, qui ei praefuit, inculcaſſe deprehenditur, modo *Stephani* coniecturas inanes, ut 7, 148. ὃ παϱήσοντας, modo *Aemilii Porti* emendationes vanas, ut 1, 74 αἱμοϱϱοίην. quae temeritas eo magis vituperanda eſt, quum non modo non certiores fecerit ea de re lectores, ſed etiam receperit emendationes a mente auctorum

ſtorum alienas, ut VIII, 21. *εἰ παλίσειε*, quum tamen, de coniectura *Porti*, ſcribendum fuiſſet *εἰ παλίσειε.* Nonnulla bene correxit idem ille editor Genevenſis e Verſione latina Vallae, ut VI, 83 *ἐχηρώθη*. Maiore fide Iungermannianum exemplum repetiit *Tho. Galeus* Londini A. cIↃIↃCLXXVIIII., neque ſine luculento auctario. Nam addidit primo Chronologiam Herodoteam: deinde confecit Indicem verborum Ionicorum: denique adiecit varietatem lectionis, cum e Codice manu ſcripto optimae notae *Sancroftii*, Archiepiſcopi Cantuarienſis, tum e Codice Collegii Etonenſis, et locos Herodoti ab Athenaeo, Euſtathio, Suida, et aliis laudatos, cum horum libris contulit. Poſt Galeum *Iac. Gronovius* Muſis Herodoti omnem ſe integritatem reſtituere poſſe ſperavit, ope membranarum Medicearum. Cui quidem ſpei Viri eruditiſſimi quanquam fides et bonitas Florentini Codicis ſatisfecit multis locis: tamen nimia eiusdem libri admiratio et fiducia fecit, ut offenderit non ſemel et lapſus ſit magnus editor. Atque hoc exemplum Gronovianum, quod A. cIↃIↃCCXV Lugduni Batavorum exiit, repetierunt nuper (A. cIↃIↃCCLXI.) ſed omiſſis *Gronovii* animadverſionibus, Glaſgovienſes, Voluminibus novem minoribus. His igitur libris editis omnibus *Weſſelingius* vſus eſt: ſed quum iam ante undecim annos conſilium edendi Herodoti cepiſſet, inde ab eo tempore ſtudioſiſſime hoc egit, ut nanciſceretur etiam eiusmodi ſcriptorum librorum auxilia, quibus ſuperiores editores caruiſſent. Neque fortuna defuit Viri ſummi hoc in genere conatis atque ſpei. Nam ex omnibus paene civitatibus humanis advolarunt, etiam ultro, copiae tales. *Ioh.* quidem *Capperonerius* miſit e Codicibus bibliothecae Pariſienſis Regiae tribus excerpta, quae *Menotus* et *Geinozius* commiſerant marginibus exempli Gronoviani: ſed quum *Weſſelingius* animadvertiſſet, multa ab humaniſſimo *Capperonerio*, vt levia, praetermiſſa eſſe, et neglecta, opera *Ruhnquenii*, Viri liberaliſſimi, effectum eſt, ut ipſum illud editionis Gronovianae exemplar mitteretur ad *Weſſelingium*; quem tamen et ſic videmus conqueri (p. 704)

de illorum excerptorum vitiis et levitate. quod eo magis dolendum eſt, quum ſit primi maxime Codicis, *Ruhnquenio* auctore, ingens pretium, et, qua litterarum formas, qua membranarum elegantiam, ſingularis pulcritudo. Sed idem *Capperonerius* devinxit ſibi *Weſſelingium*, atque adeo Herodotum ipſum, pluribus etiam et maioribus beneficiis. Nam miſit ad Virum ſummum, praeter ſuperiora illa Excerpta, lectiones Codicis, qui Saeculo XV. ſcriptus eſt, ſed libros tantum priores duo complectitur, cum parte magna tertii. Eſt ille in bibliotheca Monaſterii S. Remigii, et lectiones eius fere cum lectionibus eorum librorum conveniunt, quos Stephanus adhibuit (vid not. ad I, 61. 36). Etiam ex alio Codice, quo opes Bibliothecae Regiae nuper auctae ſunt, et qui continet Fragmenta non pauca de novem Herodoti Muſis, ſcripturas diverſas accepit *Weſſelingius*, *Capperonerii* liberalitate, non minus, quam Λέξεις Ηροδότȣ e Bibliotheca Sangermanenſi, vulgatis longe utiliores; quas tamen prope omnes iam Suidas in Lexicon ſuum tranſtulit (v. not. ad I, 24). Neque vero Britannia Herodoti oblita eſt. Nam *Henricus Gally* communicavit cum eius Editore lectiones varias, non modo Sancroftiani Codicis, iam a *Galeo*, ſed paullo negligentius adhibiti, quas *Ant. Askew*, Vir Graecae litteraturae amantiſſimus, notarat ad margines exempli Galeani; ſed etiam Codicis chartacei, qui habet annos fere quingentos, manci quidem et imperfecti, caret enim prima parte Muſae primae, ſed optimi et utiliſſimi, cuius dominus eſt ipſe ille Vir eruditiſſimus, qui Sancroftianum librum denuo contenderat, quod ipſum fecit etiam cum libris Oxonienſibus duobus, *I. A. Helvetius*, et ſua haec Excerpta ad ornandas Muſas liberaliſſime contulit. Vindobona per illuſtrem *Swietenium*, ornamentum ſuum maximum, dedit *Weſſelingio* lectiones Codicis Bibliothecae Caeſareae; et Italia per Eminentiſſimum *Paſſioneum* miſit Excerpta Codicum Vaticanorum duorum, neque bonorum, neque antiquorum, et eius, quem *Paſſioneus* ipſe acceperat e Bibliotheca Sfortiana, et qui a perito librario, in membranis,

branis, ſaeculo XII. deſcriptus erat. Ceterum uſus et contentio horum Codicum diligens docuit *Weſſelingium*, Codices Oxonienſes, Vaticanos, Vindobonenſem, et Sancroſtianum, conſentire fere, inprimis duos poſteriores, cum libris *Vallae*, neque libros *Paſſionei* et doctiſſimi *Askew* multum diſcrepare a membranis Florentinis; ſed optimum tamen eſſe *Paſſionei* Codicem. Praeter libros hoſce ſcriptos conſuluit diligentiſſimus Herodoti Editor locos eius ab Dionyſio Halicarnaſſenſi, Strabone, Plutarcho, Pauſania, Stobaeo, Euſtathio, Suida, aliisque multis, laudatos et excerptos, quod quidem iam ante eum facere aggreſſus erat *Berglerus*: qui, etſi ad Alciphronem laudavit ſuas in Herodotum animadverſiones non ſemel, tamen paucas admodum notulas in Muſam primam ſcripſerat in marginibus exempli Galeani, quod repetere volebat. Sed eo maior eſt notarum, coniecturarum, emendationum, *Pauwi*, *Iſ. Voſſii*, *Reiskii*, *Abreſchii*, inprimisque *Valckenarii*, copia, qua adiuta eſt diligentia ſummi Herodoti interpretis, qui nec ipſe oblitus eſt e proprii ingenii theſauris ea depromere, quae ad libros hiſtoriae patris ornandos et illuſtrandos facerent. Sed ſatis dictum videtur de copiis et opibus *Weſſelingii*.

Nunc, ut promiſimus, oſtendemus, quam docte illis, quam diligenter uſus ſit, cum in reſtituenda Graeco textui integritate, tum in explicandis et illuſtrandis verbis Hiſtorici. Atque lectiones quidem eorum, quos ſupra commemoravimus, librorum omnium ſubiecit contextis Graecis, eaque in re non ſolum ſtupendam prorſus induſtriam probavit et diligentiam, ſed etiam magnam doctrinam, et ut omnino linguae Graecae ſcientiam ſingularem, ita intimam inprimis orationis Herodoteae familiaritatem, ſic, ut et iudicium fere fecerit de gravitate levitateve earum, et eas, quae praeſtare viſae eſſent vulgatis, harum loco receperit, inprimisque formas vocabulorum multorum Ionicas, ab *Aldo* ſapienter ſervatas, ſed a *Stephano* fere perperam mutatas, revocarit. Cuius generis exempla haec ſunto. I, 30. pro τοῦτο μὲν e cod. Remig. reſtituit τοῦτο μέν. I, 32 ἄπηρος e Vatic. pro ἄπειρος, et ὦ βασιλεῦ e Stob. pro ὡς βασιλεύς. I, 86. εἶναι e Med.

e Med. Ask. Vind. et aliis, pro παραστῆναι. I, 88. διαφορέει e Med. Ask. Remig. Pariſ. duobus, pro διαφθορέει, quorum verborum mutationem meminimus eſſe, ut alibi, ita etiam in libris Palaephati c. 23. ubi διεφόρουν *Aldus* rectiſſime edidit, e quo alii διεφθόρουν, alii διέφθειρον, male fecerunt: ut apud Demoſthenem de f. legat. p. 226. Tayl. pro διαφορουμένης *Wolfius* reponi iubebat διαφθειρομένης, ut etiam ſcriptum invenit *Taylorus* in tribus Codicibus. Sed redeamus ad Herodotum. I, 92. ἐπὶ κνάφου reſtitutum eſt e Lex. Herod. Heſych. Suid., pro ἐπὶ γναφήου. I, 123. ἀποτίλας e Cod. Pariſ. uno, pro ἀποτείλας. I, 192. ἀραίρητο e Pariſ. uno, pro ἀναίρητο. II, 32 verba περὶ τοῦ Νείλου, quae erant in Cod. Med. et Ask., deleta ſunt, ut gloſſema, auctoritate reliquorum Codicum: ſed II, 40. verba ἐπὴν προνηστεύσωσι τῇ Ἴσι, quae a *Gronovio* eiecta erant, quia aberant a Cod. Medic. revocata ſunt e caeteris libris: III, 62 vulgo legebatur, νεώτερον κακὸν ἀναβλαστήσει, nunc fide Cod. Vindob. et librorum *Vallae* editum eſt νεώτερον ἀναβλαστήσει, inducto vocabulo κακόν. III, 74 ὑποδεκομένου e Cod. Vind. aliisque, pro ὑποσχομένου. III, 90. Μαριανδυνῶν e Cod. Paſſion. et aliis, pro Μαριανδηνῶν. IV, 72. ἐπὶ ξύλα δύο στήσαντες e Cod. Paſſ. Ask. Val., pro ἐπὶ ξύλα δύο ἥμισυ στήσαντες. VI, 8 οἳ Λέσβον νέμονται e Cod. Vindob. Sancroft. Val., pro ὅσοι τὴν Αἰολίδα γῆν νέμονται. VI, 13 ἀρνευμένους ex iisdem Codicibus, pro οὐ βουλομένους. VI, 100. ἱπποβοτέων e Cod. Paſſ. pro ἱπποβητέων. VI, 116. ὡς ποδῶν εἶχον ex eodem libro, pro ὡς ποδῶν εἴχοντο. VIII, 106. τοὺς οἰκέτας e Cod. Vindob. Paſs. Ask. et aliis, pro τοὺς παῖδας, quod fuerat in libris *Aldi*.

Formas verborum Ionicas reſtitutas videmus, ut locis multis aliis, ita etiam his: I, 1. τὸ καὶ Ἕλληνες, ut *Aldus* bene ediderat, pro ὃ καὶ E.: I, 11. ἀπεθώυμαζε ex Ald. multisque libris ſcriptis, pro ἀπεθόμαζε, quod erat in Cod. Medic.: I, 17 γυναικηΐου τε καὶ ἀνδρηΐου e Suida, pro γυναικείου τε καὶ ἀνδρείου. I, 21 χρέεσθαι e Cod. Remig., pro χρῆσθαι. I, 152. ἀπικέατο ex Ald. et Pariſienſibus duobus, pro ἀπίκοντο. II, 173. πληθώρης ἀγορῆς e Cod.

Cod. Vindob. et Sancroft., pro πληθώσης ἀγορῆς. III, 3. ςατηρὴν e Cod. Vindob., pro ςρατηγήν. Interdum auſus eſt Editor recipere coniecturas et emendationes Virorum doctorum manifeſte et haud dubie certas, etiam abdicentibus libris antiquis: ut I, 47 edidit ἑκατοςῇ ἡμέρῃ, ut pro ἕκαςον τῇ ἡμέρῃ legendum docuit *Berglerus* in Actis noſtris (A. cIↄIↄccxvi. p. 421): VIII, 90. Φοινίκων, pro Φοίνικες, quae erat coniectura *Koenii*, ſed quae iam in ora Steph. extat: VI, 28 λιμακνύστης, pro δειμακνύσης, de ſententia *Reiskii* et *Heringae*. Sed hoc in genere perquam cautus eſt et diligens, ita ut maluerit ſaepe librorum editorum lectiones aperte falſas intactas relinquere, quam alias, ſine ulla controverſia veras, recipere, ne cui forte nimis temerarius et audax videretur. Sic I, 2 retinuit ὡς Ἕλληνες, quum tamen *Aldus* iam ediderit ὡς Φοίνικες. quam lectionem, praeter rem ipſam, confirmat Codex, qui eſt Venetiis in bibliotheca S. Marci (v. To. I. p. 169.): I, 17 ſervavit ἱςάναι, quod membranae Mediceae et Suidas exhibent; ſed potuiſſet recte reponere ἱςάμεναι ex Ald. et e quatuor libris ſcriptis, praeſertim quum ſit forma Ionica, ut I, 76 ἀπιςάμεναι *Aldus* edidit pro ἀπιςάναι. I, 141 veritus eſt recipere ὠρέων, pro ὀρέων. IV, 150 non expulit Εὐθυμίδης, etſi fatetur, veram ſcripturam eſſe Εὐφημίδης: II, 174 iudicat nihil certius eſſe emendatione *Valckenarii*, pro κατηλίσκετο reponentis καὶ ἠλίσκετο: ſed nihil mutavit. Atque haec prudens et ingenua timiditas Viri ſummi, quam ipſe ſibi exprobrare alicubi (p. 189 450) videtur, et diligentia, fecit, ut perpaucas e proprio ingenio coniecturas protulerit: ut I, 73 ὀργὴν ἄκρος, pro ὀργὴν οὐκ ἄκρος. VII, 10 ſuſpectum ei eſt παρατρέψωμεν, pro quo παραθεωρήσωμεν, aut παραθήσωμεν, aut παραβαλῶμεν, reponendum cenſet, quod negent artifices periti mutuo auri frictu praeſtantiam eius metalli internoſci diſcernique poſſe. Neque alia de cauſſa reiicit fere et repudiat coniecturas aliorum Virorum doctorum, quas affert in notis, ut *Bergleri* (v. 1, 1. 24), *Pawi* (v. 9, 85), *Waltheri* (v. 1, 72), *Heilmanni* (v. 1, 140), *Pierſoni* (v. 2, 2),

Reiſkii (v. 1, 5. 16. 30. 68. 77. 174. 2, 38. 79. 9, 70. 120 et alibi), ſed ſic tamen, ut ſatis appareat, eum magni facere ingenium et doctrinam cuiusque. Atque ex his exemplis poterit a lectoribus noſtris facile intelligi, quomodo verſatus ſit *Weſſelingius* in conſtituendo textu Graeco Herodoti.

Neque vero Critici tantum partes bene et praeclare egit, ſed etiam docti diligentisque interpretis laudem conſectatus eſt. Nam illuſtravit explicavitque egregie res multas, ad hiſtoriam, geographiam, chronologiam veterem, pertinentes: cuius curae luculenta ſpecimina reperient lectores in notis ad 1, 56. 74. 125. 130. 184. 2, 158. 159. et ad alios locos fere innumeros. Neque minorem diligentiam probavit in explananda verborum formularumque Graecarum vi et poteſtate, ita ut animadverſiones eius legi poſſe videantur ſumma cum utilitate etiam ab iis, qui omnino linguae Graecae divitias cognoſcere, eiusque naturam et indolem perſpicere, velint. V. c. ad I, 61 monet, προαιδέεσθαι apud Herodotum ſignificare, ut 3. 40, *reverentiam ob acceptum ante beneficium, et gratum animum teſtari*: ad I, 72 agit de notione Herodotea vocabuli αὐχὴν, et oſtendit, eo declarari *meatum anguſtum, et terrae etiam anguſtiorem tractum, cervicisque ad modum porrectum.* Sic VI, 36 Herodotus Iſthmum, ab urbe Cardia ad Pactyam protenſum, vocat αὐχένα τῆς Χερσονήσου, et Thermopylarum anguſtias, ubi paullo laxiores erant, τὸ εὐρύτατον τοῦ αὐχένος. Ad I, 73 diſputatur de formula ὀργὴν ἄκρος, et cum ex Appiano B. C. 1. p. 692 et p. 700, tum e Dione Caſſio To. 1. p. 59 docetur, ea indicari *hominem qui ſit animo iracundo, ſive in iram pronior.* Quum Phocenſes ab Herodoto I, 146 dicantur ἀποδάσμιοι, et Gronovius hoc vocabulum acceperit de Phocenſibus *immunibus*, quum debuiſſet per ἀποδασμίους intelligere *a reliquis diviſos et divulſos*: hunc eius errorem *Weſſelingius* ita caſtigat et convincit, ut oſtendat, ἀπόδασμον dici *portionem a multitudine reliqua avulſam*. quam in rem laudantur ab eo Agathias 2 p. 35. 3 p. 66, 5 p. 166: quo

tamen

tamen loco vitioſe legitur ἀπόδρασμον τῶν βαρβάρων. Theophylactus 8, 1. et Abydenus apud Euſeb. P. E. 9, 41. Ἄρδεις non eſſe *pharetras*, verum *ſpicula*, *cuſpides ſagittarum*, ad I, 215. contra Suidam aliosque docetur: et ad II, 63 monentur lectores Herodoti, ne καταφερὴς cum *Iſ. Voſſio* mutent in κατωφερὴς, quum καταφερὴς, eadem notione, inveniatur apud Dionyſ. Halic. To. 2. p. 187 et Polyb. 2, 68. Οἰκέται non tantum ſunt *mancipia*, ſed, ut ad VIII, 4 recte praecipitur, omnino *domeſtici*, atque adeo *uxor* et *liberi*. quo ſenſu aliquoties legitur in illo ipſo libro, c. 44. 142. 144, et c. 106. τὰς οἰκετέας Herodotus adeo ipſe τὰ τέκνα καὶ γυναῖκα interpretatur. Neque audiendus eſt *Arnaldus*, qui negabat (Animadverſſ. c. 29) verbo ἥδεσθαι usquam caſum quartum jungi; nam non modo apud Menandrum Legat. Excerpt. p. 135 eſt ὡς ἥδεται καὶ αὐτὸς τὴν εἰρήνην, ſed etiam apud Ariſtophanem Acharnn. principio ter reperitur eadem ſtructura. Haec, atque alia huius generis plura, abunde declarant, quanto ſtudio, quanta cura, verſatus ſit *Weſſelingius* in indagandis, explicandis, vindicandis, vocabulorum Graecorum notionibus. Sed illa ipſa cura eum quaſi coegit praeſtare Herodoto aliud officium non contemnendum, ut Verſionem *Vallae* latinam, quam adiunxit Graeco textui, corrigeret paſſim. Sic I, 4 verba τὰ ἐνοικέοντα ἔθνεα βάρβαρα οἰκειεῦνται οἱ Πέρσαι, *Valla* male verterat, *ſibi neceſſitudine coniunctas putant*: neque *Gronovius*, reprehenſor *Vallae*, in ſenſu eorum inveſtigando fuit ſagacior. reddidit, *ſibi iunctas tenent*. At οἰκειοῦσθαι ſignificat *ſibi vindicare*, *ſuum eſſe ferre*, vt I, 94 τούτων γὰρ ὦν τὴν ἐξεύρεσιν οὐκ οἰκηιεῦνται Λυδοί, h. e. *horum ſibi inventionem non vindicant Lydi*. II, 116 pro ἐς ὃ μετῆκε αὐτὸν Valla habet, *in quem eum tranſtulit*, et *Gronovius*, *Vallae* corrector, *in quod eum tranſtulit*. uterque male. Immo reddere debebant, *quare eum miſſum fecit*, ſive *neglexit*. nam haec eſt vis formulae ἐς ὃ apud Herodotum, ut I, 115 οὗτος δὲ—λόγον εἶχε οὐδένα. ἐς ὃ ἔλαβε τὴν δίκην, h. e. *quapropter poenas dedit*. III, 13. Vallam vim verborum, χρόνῳ παρέστηκαν non aſſequutum

 eſſe,

eſſe, ex eo intelligitur, quia vertit, *aliquamdiu reſtiterunt.* Sed *Stephanus* iam errorem praeclare correxerat. Nam παραςῆναι, ut apud alios Scriptores Graecos, ita etiam apud Herodotum, eleganter dicuntur *obſeſſi qui in deditionem veniunt*: ut VI, 99 ἐνθαῦτα τούτους ἐπολιόρκεον – ἐς ὃ καὶ οἱ Καρύστιοι παρέστησαν. VI, 140 ἐπολιορκέοντο, ἐς ὃ καὶ οὗτοι παρέστησαν: et V, 56 παρέστησαν δὲ ἐπὶ μισθῷ τοῖσι τέκτοισι. Neque IV, 205 *Valla* verum vidit. nam Φερετίμη ἡ Βάττεω non eſt *filia Batti*, ſed *uxor*: quod ex ipſo Herodoto, IV, 162, cognoſci poterat, ut mirandum ſit eo magis, vitium iſtud a ſuperioribus editoribus non animadverſum fuiſſe. I, 120 τὰ τῶν ὀνειράτων ἐχόμενα ſunt ipſa *inſomnia.* Nam apud Herodotum ἐχόμενον et ἐχόμενα cum caſu ſecundo nominum eleganter faciunt periphraſin, ut I, 193 καρπῶν ἐχόμενα. III, 25 σιτίων ἐχόμενα. V, 49 οὔτε χρυσοῦ ἐχόμενον οὔτε ἀργύρου. VIII, 142 οἰκετέων ἐχόμενα, h. e. παῖδες καὶ γυναῖκες, ut explicat Ariſtides To. II. p. 217. Sed non raro ea in *Vallam* humanitate utitur *Weſſelingius*, ut eius Verſionem latinam vindicet, vel ab reprehenſionibus aliorum iniquis, vel ab ineptis correctionibus. Sic I, 48 verba τῶν μὲν δὴ οὐδὲν προσίετο μιν, *Gronovius* vertit, *quorum quidem nullum admittebat eum*: quae verba latina ne intelligi quidem poſſunt. Multo melius et verius *Valla* verterat, *quorum quidem nullum probavit.* nam ita uti ſolent Scriptores Graeci probi verbo προσίεσθαι ut Ariſtoph. Equitt. 358. ἓν δ᾽ οὐ προσίεταί με τῶν πραγμάτων. Caeterum *Weſſelingius* de oratione Herodoti etiam ſic praeclare meritus eſt, ut indicarit, ſed perraro tamen, fontem, e quo ſua hauſit Herodotus: ut I, 155 in verbis ἐμῇ κεφαλῇ ἀναμάξας ſatis manifeſtum eſſe videtur, eum imitatum eſſe locum Homeri Odyſ. τ΄, 91—ὃ σῇ κεφαλῇ ἀναμάξεις. Contra vero aeque certum putari debere credit, Athenaeum 8. p. 677 E, ubi leonem ab Imperatore Adriano confectum μέγα χρῆμα vocat, expreſſiſſe locum Herodoti I, 36 συὸς χρῆμα μέγα. Quod tamen nobis non videtur. Nam quum uſus ille vocabuli χρῆμα non ſit proprius Herodoto, ſed

ſed communis Xenophonti, qui cervum, quem Cyrus fixit, Cyrop. I, 4, 8. vocat καλόν τι χρῆμα καὶ μέγα, aliisque ſcriptoribus antiquis; quum Athenaeus non reperiatur alibi orationem Herodoteam expreſſiſſe: vehementer incertum putamus, eum loco illo in mente habuiſſe verba Herodoti. Et omnino lex illa, qua iubent multi noſtrae aetatis Critici, inprimis Batavi, locos ſcriptorum antiquorum corruptos emendari e locis ſcriptorum recentiorum, quos ſe contuliſſe conſtet ad imitationem antiquorum, multas videtur cautiones et quaſi circumſcriptiones habere: e quibus ſi excedas, vehementer veremur, ne libros veterum non tam emendes, quam miſere corrumpas. Sed de his circumſcriptionibus ratio inſtituti noſtri non ſinit nunc pluribus exponere. Perſequemur igitur reliquas editionis Herodoti elegantiſſimae dotes.

Afferunt autem ei ornamenti plurimum animadverſiones *Valckenarii*, Viri graece doctiſſimi, in omnes Muſas, copiis et opibus litterarum Graecarum refertiſſimae. Quas quum pepererit amicitia et neceſſitudo, quae interceſſit earum auctori cum *Weſſelingio*, quis dubitet eas quoque ponere in numero meritorum *Weſſelingii* in Herodoti libros maximorum? Sunt autem illae fere uberiores Weſſelingianis, neque tantum res attingunt ab Herodoto traditas, et orationem eius vel illuſtrant, vel emendant, ubi multas *Gisb. Koenii* conjecturas inſeri videmus (vid. p. 636. 650. 652); ſed pertinent ſaepenumero omnino ad linguae Graecae ingenium, et ad locos multos aliorum ſcriptorum, qui vel corriguntur, vel explicantur. Nos quidem inde, exempli gratia, excerpemus nonnulla ita, ut lectores noſtri poſſint ipſi de divitiis et ratione harum notarum ſtatuere. I, 59. in verbis καταφρονήσας τὴν τυραννίδα, reſcribendum cenſet Vir doctiſſimus καὶ φρονήσας τὴν τυραννίδα, ut Ariſtoph. Veſpp. 506 dixit φρονῶν τυραννίδα. Nam ait non doceri poſſe ullius ſcriptoris auctoritate, καταφρονεῖν idem valere, quod φρονεῖν, vel ἄγαν φρονεῖν, nulla ratione contemtus habita. II, 138 legendum contendit ἥδιον δ' ἰδέσθαι

 οὐδὲν

ȣ̓δὲν τȣ́τȣ μᾶλλον, pro ἡδονῇ δ᾽ ἰδέσθαι ȣ̓δὲν τȣ́τȣ μᾶλλον, quod eſt in libris omnibus. Nam Herodotum dicit ſolere particulam μᾶλλον Comparativis eleganter addere. III, 66 pro βασιλέα ἀνεϛεῶτα corrigit βασιλέα ἐνεϛεῶτα, quod dictum ſit, ut I, 120, quaſi pro τῷ θρόνῳ ἐνεϛεῶτα, et III, 67 pro ἀνιϛάμενος ἐς τὴν ἀρχὴν reponi debere ſuſpicatur, ἐνιϛάμενος ἐς τὴν ἀρχήν. nam notionem illam verbi ἀναϛῆναι Hebraicam, quae reperiatur in libris divinis, in Muſis quidem Herodoti affirmat nuſpiam apparere. In loco difficillimo III, 117 ἐν ȣ̓́ρεσι ἐόντων Χορασμίων ſperat omnem difficultatem facillime, et ſine ullo negotio, tolli poſſe, modo legatur ἐν ȣ̓́ρεσι ἐὸν τῶν Χορασμίων, hoc ſenſu, *planities iſta Chorasmiorum quidem erat olim in finibus ſita et ipſorum Chorasmiorum, et Hyrcaniorum, et Parthorum, et Sarangarum* (ſive *Drangarum), et Thamanaeorum: ſed a quo tempore penes Perſas eſt imperium, nunc in ditione regis eſt.* Atque eiusmodi coniecturae et emendationes leguntur ibi plures, quae placere poſſe videantur, maxime facilitate ſua. Sed habentur etiam non paucae, quas non modo ſupervacaneas, ſed vanas adeo et inanes, arbitramur eſſe. I, 9 corrigit, Dionyſio Halicarnaſſeo To. II p. 6 praeeunte, ἀγαγὼν γάρ σε ἐς τὸ οἴκημα, ἐν τῷ κοιμώμεθα, ὄπισθε τῆς θύρης ϛήσω, quum alii, etiam *Weſſelingius*, ediderint, ἐγὼ γάρ — ϛήσω. At emendatio iſta nos offendit primo ob aſperitatem et duritiem numerorum: deinde ab Dionyſio et aliis multa ſaepe conſtat vel mutata eſſe, vel addita, ſine cauſſa, in locis ſcriptorum, quos laudant, ut eius auctoritas nil valere hic posſit contra fidem omnium aliorum librorum; denique, quod maximum eſt, notio Participii ἀγαγὼν latet iam in verbo ϛήσω, quod *Stephanus* perperam et male mutavit in θήσω. Eodem enim modo Theophraſtus charr. VII. dixit τȣ̀ς ἀπιέναι φάσκοντας δεινὸς προπέμψαι, καὶ ἀποκαταϛῆσαι εἰς τὴν οἰκίαν h. e. *reducit domum.* Neque I, 21 neceſſe erat, ut pro ἐς τὴν Μίλητον ἦν corrigeretur ἐς τὴν Μίλητον ἤιε, ut ipſe *Weſſelingius* animadvertit. Nam etſi tum, quum haec ſcripſimus, non ſuccurrebat locus, ubi εἶναι pro παρεῖναι poſitum

Digitized by Google

ſitum eſſet, praeter eum, quem *Weſſelingius* attulit e VI, 106: tamen et γίνεσθαι ſcimus ſaepe idem ſignificare, quod παραγίνεσθαι, ut apud Theophraſtum Charr. I, et apud Suetonium Aug. XVI. legi, *militibus in conſpectum fuiſſe*, h. e. veniſſe. qui uſus verbi ſubſtantivi, non dubitamus, quin e lingua Graeca venerit in Latinam. Atque huius generis coniecturas poſſemus plures commemorare, niſi ſponte conſtaret, permulta, etiam doctiſſimos homines, hoc coniecturali in genere, fugere, et maiores eſſe Graecae litteraturae copias, quam ut vel capaciſſima eas ingenia complecti, vel ſemper promere omnia in tempore poſſint. Sed notavit *Valckenarius* non raro, exemplo *Weſſelingii* ſui, et correxit vitia Verſionis latinae *Vallae*. Quarum correctionum ratio cognoſci, opinamur, poterit a noſtris lectoribus ex his exemplis. I, 171 μέχρι ὄρεων τῶν Καλυνδικῶν, non eſt *ad montes*, ſed *ad fines usque*, *Calyndenſium*: etſi *Vallae* errorem *Cellarius*, aliique, ut fit, ſequuntur. V, 20 verba ὡς γυναῖκα τῷ λόγῳ, nullo modo verti poſſunt cum Valla, *quos feminas eſſe ajebat*. Immo verti debet, *tanquam mulieres videlicet*. nam τῷ λόγῳ, quo Herodotus valde delectatur, ſignificat *id quod primo videatur adſpectu*. Poterat hiſtoricus ſcribere, ὡς γυναῖκα δὴ, ut fere Plutarchus To. II. p. 247 C loquitur. V, 23 κωπέες, non ſunt *remiges*, verum *ligna in remos*. Heſychius: κώπεις, τὰ εἰς κώπας εὔθετα ξύλα: et Scholiaſtes MS. Ariſtidis To. III. p. 336, qui eſt penes *Burmannum minorem*, κωπέας interpretatur τὰ ξύλα τὰ πρὸς τὰς κώπας ἐπιτήδεια. Atque eiusmodi interpretationibus vocabulorum formularumque Graecarum, rariorum maxime et reconditarum, abundant notae *Valckenarii*. Οἴκημα non tantum apud Herodotum II, 5 et 126 ſignificat *lupanar*, ſed etiam apud alios, Atticos inprimis. ut apud Platonem Charmid. To. II, p. 163 B, et apud Iſaeum Orat. V. p. 58. ubi καθῆστο ἐν οἰκήματι, et ἀπὸ τοῦ οἰκήματος ἀνίστασθαι, ab interprete perperam redduntur, *domi manſit*; et *e domo diſceſſit*. Οἰκήματα μιαρὰ ſunt apud Athen. V. p. 220 D, et Ez. 16, 24 οἴκημα πορνικὸν in Verſione Alexandrina.

drina. Quae, et alia hanc in rem, animadvertit Vir ſummus ad II, 5. Προσάγεσθαι, ad II, 172 diſputat, dici de principibus civitatis, qui populum atque alios variis artibus alliciunt, et ad ſtudium ſui perducunt. Μετιέναι, μετελθεῖν, etiam μεθήκειν, ad III, 19. tradit, ſignificare *ire quid petitum*, ut apud Sophoclem Philoct. 343. Ariſtoph. Equitt. 602: quod poetis et in veteri lingua pro ἐλθεῖν ἐπί τι dictum ſit ἐλθεῖν μετά τι. Νεώτερον ſaepiſſime, et apud poetas, et apud ſcriptores reliquos, per εὐφημισμὸν legitur de *malo*, ſimpliciter et ſine nomine κακὸν, quod librarii interdum et Grammatici inepti addidiſſe reperiuntur. Quae quidem obſervatio ad III, 62 confirmatur et illuſtratur multis ſcriptorum veterum exemplis. Particulam δὴ locum ſaepe aptisſimum habere in Ironia, neque ſemper intellectam eſſe ab interpretibus, docetur ad V, 20. Ἐξήκειν et ἐξελθεῖν eleganter Herodoto dicitur *oraculum*, et *ſomnium*, quibus eventus reſpondet, ut I, 120. VI, 80. 82. 108: quod Eurip. Cycl. 692 ἐκπεραίνεσθαι dixit, et ipſe Herodotus VI, 140 ἐπιτελέεσθαι. Haec atque alia notantur ad VI, 80. De uſu particulae ἐπεὶ, quae non raro de tempore ſic ponitur, ut idem ſit quod ἐξ οὗ, vel ἀφ' οὗ, agitur ad VII, 8: de verbo ἐπιψηφίζειν copioſa diſputatiuncula eſt ad VIII, 61: et ad IX, 11 exponitur multis de vocabulo περίοικος, et docetur, per περιοίκους, in hiſtoria Graeca quum iungantur, vel opponantur Spartiatis, intelligi Lacedaemonios, cuiuscunque fuerint urbis Laconicae cives, excepta Sparta, Spartiatarum imperio parentes. Inſertae praeterea leguntur pasſim particulae, cum e Scholiis ἀνεκδότοις in Ariſtiden, quae, ut ante ſignificavimus, *Burmannus minor* poſſidet, cuius magna hoc in genere liberalitas a *Valckenario* non minus, quam a *Weſſelingio*, vehementer laudatur, ut p. 413. 452. 479. 482. 486. 523. 534. 563. 662: tum e Scholiis manuſcriptis in Homeri Iliada, quae deſcripſit *Valckenarius* e Codice *Ioh. Iac. Wetſtenii*, ut p. 465. 542. 621. Sed occurrunt hoc quoque in genere nonnulla, quae nobis videntur aut recte omitti potuiſſe, quum ſint ſatis nota hodie, et

peti

peti debeant, vel e Lexicis, vel e libris Obſervationum linguae Graecae, aut certe brevius diſputari debuiſſe, quum non magnopere pertineant ad intelligendos Herodoti locos, quo referenda arbitramur eſſe ea, quae praecipiuntur de redundantia, ſi quidem appellari poteſt, particulae *μᾶλλον* Comparativis additae (p. 171), de formula *ὀργὴν ποιεῖσθαι*, pro *ὀργίζεσθαι*, aliisque ſimilibus (p. 206.), de verbo *πράσσειν*, quod ſaepe idem eſt quod *κακῶς πράττειν* et *δυστυχεῖν* (p. 207), de uſu particulae *ἐπὶ*, quae Caſui quarto iuncta fere hanc vim habet, ut verti latine debeat *ad petendum*, aliisve verbis ſimilibus (p. 596). Alia nondum ita expedita et confirmata videntur, ut nihil contra dici poſſit. Sic aliquoties (p. 169. 269. 735) conatus eſt docere *Valckenarius*, particulam *ὡς* ſemper addi quarto Caſui, quum pro ea poni poſſit particula *πρὸς*, nunquam idem eſſe quod *εἰς*, normamque huius rationis eſſe Thucydidem IV, 79. *ἀφίκετο ὡς Περδίκκαν καὶ ἐς τὴν Χαλκιδικήν*. At multi veterum loci afferri poſſunt, in quibus *ὡς* apertum ſit pro *εἰς* poſitum eſſe, ita ut, quum nulla in libris antiquis ſcripturae diverſitas inveniatur, durum ſit eiusmodi locos ſponte et pro arbitrio corrigere, ut apud Xenophontem Memorr. II, 7. 2. *πολλῶν φυγόντων ὡς τὸν Πειραιᾶ*. Sed plura reperient in his notis, quae examinent, et vel amplectantur, vel reiiciant, futuri editores Polyaeni, Ariſtidis, Iſocratis, Andocidis, Hyperidis, Philoſtratorum, Aeliani, Xenophontis, aliorumque. Nam horum omnium loci multi tentantur a *Valckenario*. Nos afferemus inde quaedam, quae ad curam eius pertineant, qui Xenophontis libros, vel omnes, vel nonnullos edere volet. Vitam Ageſilai abiudicat Xenophonti totam, videturque ſibi deprehendere ibi notas multas, e quibus certiſſime exiſtimari poſſit, auctorem libelli fuiſſe Sophiſtam, neſcio quem (p. 266. et p. 704). Memorr. II, 1. 20 verba, *καὶ ἐν ἄλλῳ δὲ τόπῳ φησίν. Ὦ πονηρὲ σύ, Μή μοι τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς*, ſuſpecta ſunt *Valckenario*, arbitraturque ea adiecta fuiſſe a recentiore quodam Grammatico (p. 157). Paullo poſt, in eodem li-

bello, c. III, 16 et pro λόγων ὑπεῖξαι cenſet reſcribi oportere λόγων ὑπεῖξαι, et verba καὶ ἀοίτη μαλακῇ τιμῆσαι eiicienda putat, quum ſint Graeculo ludimagiſtro, quam Socrate, digniora (p. 140). Sed de harum coniecturarum veritate viderint alii. Hoc quidem uſu edocti ſcimus, reſtare in illis libellis Xenophonteis non pauca, quae paullo maiorem curam et diligentiam deſiderent: fatemurque libere, nos mirari ſatis non potuiſſe, Virum doctiſſimum, III, 3. 8, pro ὅτε ἱππέων ἀγαθῶν legendum conieciſſe οὐδὲ ἱππέων ἀγαθῶν. Immo eſt vitium operarum, quae in editionibus Lipſienſibus omiſerunt, deceptae exemplo Caſeliano, quod ſequutae ſunt, verba ὅτε ἵππων. nam in reliquis libris locus totus ita legitur, ἄνευ γὰρ δὴ τούτου ὅτε ἵππων ὅτε ἱππέων. — Praeſtat ſane excutere prius et inſpicere libros antiquos, quam omiſſa hac cura et diligentia, ſtatim confugere ad levitatem coniecturarum. Atque ex hactenus dictis lectores noſtros ſperamus ſatis cognituros eſſe etiam *Valckenarii* meritorum in Herodoti Muſas magnitudinem et praeſtantiam ſingularem.

Reliquum eſt, ut breviter indicemus caetera Opuſcula, quae hoc Volumine continentur. Retinuit igitur *Weſſelingius*, non ſponte, ſed rogatu et auctoritate aliorum, Additamenta *Henr. Stephani* omnia, hoc eſt, libellum de Vita Homeri (p. 747—761), fetum haud dubie ſpurium, additis et notis, et lectionibus variis, cum e Codice Palatino *Iungermanni*, et Amſtelodamenſi, tum e Codice Barocciano, quo uſus eſt *Ioh. Reinoldius*, qui Opuſculum illud Londini ante annos duodecim edidit: Excerpta e ſcriptoribus variis de Legibus Perſarum et Aegytiorum (p. 762—784): libellum de Incremento Nili (p. 785—802): Excerpta Cteſiae (p. 803—868). Sequuntur excerpta ex Camerarii et Henr. Stephani, Praefationibus: Chronologia Herodoti: Annotationes integrae *Thomae Galei*, et *Iac. Gronovii*, cuius exempli paginae notatae ſunt in marginibus exempli Weſſelingiani, adjecta etiam ejusdem Praefatione. Claudunt Opus Λεξικὸν τῶν Ἡροδοτείων λέξεων e Codice Bibliothecae

S. Ger-

Digitized by Google

S. Germani, cui additae ſunt notae Editoris, cuiusque Specimen iam *Montefalconius* vulgaverat in Catalogo Biblioth. Coislin. p 484 ſ.; et Indices cum rerum, tum verborum Graecorum, quae in notis illuſtrantur, et Auctorum utriusque linguae, qui in iisdem vel corriguntur, vel illuſtrantur: quorum Indicum auctor eſt *A. Kluitius*, doctus et ſollers Gymnaſii Hagani praeceptor.

Iam ut omnino litteris bonis, et praecipue Graecis, toto pectore gratulamur hoc Opus, quod immortale propriumque nominis Weſſelingiani maxime monumentum futurum eſſe, non tam ſperamus, quam confidimus: ita vehementer ſerioque optamus, ut in Germania noſtra exoriatur librarius liberalis, ſalutisque Litterarum amans, qui ſuis ſumtibus, ſocio et adiutore Viro quodam docto, deſcribat exemplum hoc Herodoti Weſſelingianum, ita ut exhibeatur ſolus textus Graecus, addita tamen lectionis varietate, et adiuncto Indice verborum Graecorum utili, ut etiam pauperes minusque beati hiſtoriae veteris et Graecarum litterarum amici, comparare ſibi facile et bene libros parentis hiſtoriae, eorumque lectione aſſidua et diligente animum paſcere, ingeniumque alere ad omnem elegantiam, ſine ullo impedimento poſſint.

AUGUSTINI MARIOTTI, Romani Presbyteri, S. T. D. de Nummo Neptuni argenteo incuſo Commentariolus, ad Illuſtriſſ. et Reverendiſſ. D. D. Abb. Joh. Calixt. de Gentilibus, S. Caeſ. Maj. Conſiliarium, et Electoralis Aulae Mogunt. Conſiliar. Status intimum, pluriumque S. R. J. Principp. negotiis praepoſitum apud S. Sedem.

Romae 1762. ap. Benedict. Franceſium et Cajetanum Paperium, plagg. 2. et dimid. in 8.

Damus hic totam doctiſſimi Viri diſſertatiunculam, quae in paucorum manibus eſt, neque in noſtras veniſſet, niſi amici veteris, ill. *Schlaegeri*, beneficio. Dudum enim Itali

nihil ad nos mittunt librorum ſuorum, magno Actorum noſtrorum incommodo, ſed et literariae reipublicae, cui, recenſendis libris bonae frugis libenter operam locamus. Dabit igitur veniam MARIOTTVS, V. Cl. ſi libellum hunc, ut etiam exteris innoteſcat, neque ſcriptus ſoli Italiae credatur, non per epitomen lectoribus noſtris, ſed integrum tradimus.

Tab. II. Numus hicce, ruderibus quibusdam in agro Romano effosſis, ſuperiore anno repertus eſt. Ut vero ad Urbem delatus, oculos quorundam, qui in re antiquaria ſunt atque cenſentur eruditiſſimi, offendit, nullum, vel quod carie aliqua obeſus, vel quod characteres negotium faceſſiverint, de ſe iudicium ab iis habere potuit. At contigit, ut, quum de illo in amicorum frequentia diſputaretur, Mariottus ſuam protulerit ſententiam, quam ſcripto aſſeri nequaquam poſſe contendebat nonnemo. Hinc inceſſit illi, qui tamen ſeveriores muſas colit, nec ſe antiquariis accenſet, cupido, rem et cognoſcendi apprime, et pro modulo aſſerendi.

Iſthaec ſcribendi occaſio: ſed iam Numum verſemus. In antica parte eſt robuſtus vir, ſtans, ad humeros fere vsque crinitus, barbatus, cui pallium, ſemcirculi figura, terga operit, et brachia utraque recurrens, hinc inde ex aequo diffluit; tridentem dextra elevat, et fere vibrat, non tamen jacit, ſi attento oculo cernas, ac ſiniſtro brachio longe extenſo, manum, imperantis ad inſtar, prorſus movet: ex quo facili negotio colligitur, expreſſum eo loco Neptunum eſſe, neque alium. Nam crinibus eum prolixis, ac tortis, (quos *Lucianus* in ſacrificiis cyaneis nigros vocat,) barba etiam refertum, veteres Numi, ac ſigna omnia, exhibent. *De la Chauſſe* Muſ. Rom. Sect. 2. Tab. 7. edit. Rom. 1707. *Antonius de Cavaleriis* &c. Et iure meritoque, quum de ſe ipſis dii apud *Lucilium*, teſte Lactantio, de ver. ſap. cap. 3.

Ut

Ut nemo ſit noſtrum, quin Pater optimu' Divum,
Ut Neptun' Pater, Liber, Saturnu' Pater, Mars,
Janu', Quirinu' Pater nomen dicatur ad unum.

ubi legit *Fr. Douza*, omnes dicamur ad unum. Diſerte *Agellius*, lib. 5. cap. 12, Jovem Latini veteres a juvando appellavere, eundemque alio vocabulo juncto Patrem dixerunt. Nam quod eſt in eliſis, aut immutatis quibusdam literis Jupiter, id plenum, atque integrum eſt Jovis-pater. Sic et Neptunus-pater conjuncte dictus eſt, et Janus-pater, et Mars-pater: hoc enim eſt Marſpiter, et Marſpater etc. Barbam itaque quum Jovi, in quo coelum; Plutoni, in quo terram nobis συμβολῶς innuerunt veteres, eamdem quoque Neptuno, in quo mare, dederint neceſſe eſt, aetatis ac dignitatis ratione habita, tamquam primoribus ac aeternis elementis, quibus ſtat mundus, quem aeternum, Ariſtoteles praeſertim, voluerunt.

Iam ad pallium; (carbaſus potius dici debet.) Carbaſus, inquit *Non. Marcellus*, de gen. veſtim. C. 14. p. 790. n. 28. edit. Gothofredi, pallium, quo fluvii amiciuntur vel opulentiae cauſſa, aut lino tenui: *Virg.*

Eum tenuis Glauco velabat amictu
Carbaſus —

Hoc pallium eo modo ſinuoſum, ac utrinque diffluens, nil prae ſe novi, ſi ex ſe ſpectes, ferre poterit; nam pallium collo ſuperinductum, ſi brachia eleventur, ut fit in Numo, ſinuari, et hinc inde diffluere neceſſe eſt; niſi velimus ad geminum ambitum, quo mare terram univerſam alluere *Macrobius* dixit, Artificem reſpexiſſe. „Nunc de Oceano, inquit, in Somn. Scipion. lib. 2. quod promiſimus, aſtruemus, non uno, ſed gemino eius ambitu terrae corpus omne circumflui. Cuius verus et primus meatus eſt, qui ab indocto hominum genere neſcitur. Is enim, quem ſolum Oceanum plures opinantur, de finibus ab illo originali refuſis, ſecundum ex neceſſitate ambitum

tum fecit. Ceterum ejus prior corona per zonam terrae calidam meat, ſuperiora terrarum, et inferiora cingens, flexum circi aequinoctialis imitata. Ab oriente vero duos ſinus refundit, unum ad extremitatem ſeptentrionis, ad auſtralis alterum. Rurſusque ab occidente duo pariter enaſcuntur ſinus, qui usque ad ambas, quas ſupra diximus, extremitates refuſi, occurrunt ab oriente dimiſſis.[a] Qua idea retenta, dicere etiam oporteret, hemicycli illius figura, quam pallium induit, aquarum ſuper terram alluvionem ab artifice fuiſſe expreſſam. quam non ſphaeroidicam, aut alterius figurae, ſed ſphaericam veteres unanimi conſenſione aſſeruerunt. Immo, Oceanum Graeci et Latini ideo nominant, eo quod in circuli modum ambiat orbem, ſive a celeritate etc. verba ſunt Iſidori. Vel ergo pallii figuram motus ipſe corporis fecit, vel ſi data opera pallium adaptavit artifex, dicendum in ea ſignificaſſe Neptunum; nam poſtremo et inde plures antiquorum dictum eſſe Neptunum pronunciarunt, quod terram operiat, et obnubat, tanquam velamento aliquo, aquis: ut Varro libro 4. de ling. lat. Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes coelum: a nuptu, id eſt opertione, ut antiqui,

Videamus jam, an ex eo, quod robuſtum et ſtantem caelavit artifex, argumentum peti poſſit, eſſe Neptunum? Vis illa corporis univerſi iure datur Neptuno, utpote qui primas in mundo ferat cum reliquis elementis, quae veteribus ἀρχαὶ et στοιχεῖα dicta ſunt. Omne corpus, inquit Cicero, 2. de natura Deorum, aut aqua, aut ignis, aut aër, aut terra, aut quae ex iis componuntur: hinc videmus, Iunonem, ſub qua aera expreſſerunt, corporis habitu anguſto, validoque, ut Jovem etiam, Plutonemque, effingi. Robur ergo illud Neptunum ſatis indicat, quod aquam, ſicuti et cetera elementa numquam intermoritura, ſed perpetuo vivacia ac robuſta fore cenſuerint. Audiatur Macrobius libr. 2. Cap. 12. Quod autem ait (Tullius) mundum quadam parte mortalem: ad communem opinionem reſpicit,

Digitized by Google

ſpicit; qua mori aliqua intra mundum videntur, ut animal exanimatum, vel ignis extinctus, vel ſiccatus humor. Haec enim omnino interiiſſe creduntur. Sed conſtat ſecundum verae rationis aſſertionem, quam et ipſe non neſcit, nec Virgilius ignorat, dicendo, nec morti eſſe locum: conſtat, inquam, nihil intra vivum mundum perire, ſed eorum, quae interire videntur, ſolam mutari ſpeciem, et illud in originem ſuam, atque in ipſa elementa remeare, quod tale, quale fuit, eſſe deſierit.

Stantis figura quoque Neptunum plane confirmat. Hic vero loci opus eſt revocemus in mempriam πολυωνυμίαν; quod nominum multitudine alia atque alia, prout effectuum, quos producere credebantur, ferret varietas, ratione habita, inſigniri ſolebantur Dii: ſic Jovem, ſic Apollinem, ſic Mercurium, aliosque modo hoc, modo alio, juxta effectus, nomine compellabant. Quod adeo pergratum ſibi factum eenſuerunt Dii, ut Diana, verba ſunt *Io. Seldeni* de Diis Syris, apud Callimachum, Jovem Patrem, ut perpetuum ſibi virginitatis florem, et πολυωνυμίαν tueretur, enixe deprecaretur

Δός μοι, inquit, *παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν, καὶ πολυωνυμίην.* . .

Onomacriti hymnos, (quorum auctorem Orpheum credit imperitum vulgus,) qui luculentiſſimum huiusce rei ſpecimen praebent, et de aſtrochitonis nominibus quadraginta plus minus carmina, ubi Bacchus μύστιδι, ut ait Nonnus, φωνῇ precatur, occupantibus moneo: habentur in Dionyſiacorum XL. Ab hoc ritu Iſis μυριώνυμος dicta eſt, etc. et paullo ſuperius: πολυωνυμία exoptatiſſima habita eſt numinibus gloria. Itaque, ne longe abeam, Neptunus ipſe Conſervatoris Auguſti, in numo Gallieni, Reducis; in numis Poſtumi, Veſpaſiani, et in Inſcriptionibus *Huberti Goltzii* in Theſaur. antiqu. Servatoris, in centum Inſcriptt. *Ioſ. Rocch. Vulpii*; ac Tutelaris, in pervetuſto Kalend. menſ. Febr.

Febr. inter Authores rei ruſticae, edit. Populi Rom., et apud Gruter., titulo inſignitur. Ἵππιος quoque dictus, ut fabula fert, ac notat *Junius Philargyrus* in Georg. Virgil. inter auctores rei ruſticae in aedib. Pop. Rom. Neptunus etiam parens quorumdam equorum fertur, ut Pegaſi ex Meduſa, et Arionis ex Cerere, cuius feminium Adraſtus habuit.

At enim *Macrobius*, ut ad rem veniam, audiatur. Nec mirum inquit Saturn. libr. I. ſi gemini effectus variis nominibus celebrantur, cum alios quoque Deos ex contrario in eadem re duplici cenſeri et poteſtate accipiamus, et nomine, ut Neptunum, quem alias ἐνοσίχθονα, id eſt terram moventem, alias ἀσφαλίωνα, id eſt ſtabilientem vocant. Ἀσφαλίωνα igitur Neptunum expreſſum artifex, ſtantem reddidit; nam, ſi teſte Oppiano, terrae fundamina inconcuſſa ſtabilire dicitur, eum ratione illa effingi oportuit, qua firma haec terrae ſtatio ſignificaretur, quod pede firmo ſtans optime innuit.

Sed quum imperantis inſtar brachium ſiniſtrum longe protendat, corpusque impetu paullum actus ante ducat, oportet, ad ſtatices leges, ab eo parumper ſinuari poplitem, calcaneumque dextrum elevari; digitis tamen, ſemipedeque humi ſtans, ut fundamina terrae ſint inconcuſſa. Hoc igitur loco dicere nequaquam poſſumus, ἐννοσίγαιος, ſive ἐνοσίχθων, neque rurſus, quod pugnet; nam hoc adverſus Montefalconium inferius falſum eſſe evincam: reliquum ergo, ut motus ille dexterae, motus tantummodo ſit imperantis, et qui ventos fluctusve marinos compeſcat, qualis apud Virgilium I. Aeneid.

Eurum ad ſe, Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?
Jam coelum terramque, meo ſine numine, venti,
Miſcere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos praeſtat componere fluctus:

Poſt

Poſt mihi non ſimili poena commiſſa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite veſtro.
Non illi imperium pelagi, ſaevumque tridentem,
Sed mihi ſorte datum; tenet ille immania ſaxa,
Veſtras, Eure, domos: illa ſe iactet in aula
Aeolus, et clauſo ventorum carcere regnet.

Dicebam vero, Neptunum ἐνοσίχθονα non exprimi; nam fuit haec veterum Graecorum ſententia, quod terrae motum aquarum concuſſio cieret: ita *Servius* in I. Aeneid. ad illud, Neptunus muros: ipſi enim, inquit, fundamenta ſunt conſecrata, cuius et moventur arbitrio, unde ἐνοσίχθων, ἐννοσίγαιος dicitur, hoc eſt terram movens aquae concuſſione, ſicut terrae motus continent opiniones; et *Iſidorus* lib. 14. cujus (terrae) motum alii dicunt ventum . . alii aquam dicunt generalem in terris moveri, et eas ſimul concutere ſicut vas, ut ait *Lucretius*; quanquam poſteriores Romani non ita ſenſerint. Quaenam, inquit *A. Gellius* Noct. Attic. eſſe cauſſa videatur, quam ob rem terrae motus fiant, non modo his communibus hominum ſenſibus opinionibusque compertum non eſt; ſed ne inter phyſicas quidem philoſophias ſatis conſtitit, ventorum ne vi accidant ſpecus hiatusque terrae ſubeuntium, an aquarum ſubter in terrarum cavis undantium fluctibus, pulſibusque, ita uti videntur exiſtimaſſe antiquiſſimi Graecorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον καὶ σεισίχθονα appellarunt; an cuius aliae rei cauſſa, alteriusque dei vi, ac numine, nondum etiam, ſicut diximus, pro certo creditum. Propterea veteres Romani, cum in omnibus aliis vitae officiis, tum in conſtituendis religionibus, atque in diis immortalibus, animadvertendis caſtiſſimi, cautiſſimique, ubi terram moviſſe ſenſerant, nunciatumve erat, ferias eius rei cauſa edicto imperabant. Sed dei nomen, ita uti ſolet, cui ſervari ferias oporteret, ſtatuere et edicere quieſcebant, ne alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent. Eas ferias ſi quis polluiſſet, piaculumque ob hanc rem remotum eſſet,

Digitized by Google

hoſtiam ſic deo, deae immolabant. Idque ita ex decoris Pontificum obſervatum eſſe *M. Varro* dicit: quoniam, et qua vi, et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum eſſet. Quod repetit Alexander ab Alexand. Genial. dier. lib. 5. ibique Tiraquellus.

Itaque, ut robur iis, quae ſuperiore §pho dixi, adiiciatur, Neptunus hoc loco ἐννοσίχθων haudquaquam exprimitur; nam, ut eſſet ἐννοσίγαιος, oportuiſſet, tridentem non attollere, quo icta terra intremeret: ſic enim apud Ovidium, Metamorphoſ. libr. I.

Ipſe tridente ſuo terram percuſſit, at illa
Intremuit. — — —

et 2 Aeneid.

Neptunus muros, magnoque emota tridente
Fundamenta quatit, totamque a ſedibus urbem
Eruit —

De tridente denique verbis quid opus eſt? Servius in ea Virgilii I. Aeneid., jam coelum, terramque: certe, inquit, illud eſt, quod tria haec numina, licet diviſa imperia teneant, videntur tamen regni totius habere poteſtatem, ſicut et ipſa elementa, quae retinent, phyſica inter ſe quadam ratione junguntur, quod et ipſorum Numinum ſceptra ſignificant. Jupiter enim trifido utitur fulmine, Pluto cerbero, Neptunus tridente.

Et haec quidem omnia, ut patet, ſalſipotentem et multipotentem Jovis fratrem, Nereum Neptunum, ut cum Plauto loquar, in hoc numo adſtruunt: quare non video, eccur ea de re fuerit dubitatum. Negotium ne faceſſiverunt characteres? ſcilicet, primo obtutu inſpicientibus ingerere ſpeciem ii poſſent; quod tamen ingerant, nihil eſt. Vel enim characteres illos, uti graecos omnes legimus; vel uti etiam alienis litteris admixtos: utrumque qui faciat, Neptu-

Neptunum profecto leget, et ex characteribus, ut ex reliquis hucusque dictis, nummo addicet.

Itaque quum Latini Neptunum, Graeci ποσειδονα vocent, quis jam eo numo ſalſipotentem ab artifice expreſſum addubitet? prima ac tertia littera, in quibus difficultas eſſe poteſt, graecae hercule ſunt, ac π, et σ ſonant. Nam licet ex antiquiſſima Π forma ſit; in vetuſtiſſimis tamen marmoribus, etiam haec poſtrema Π legitur; σ etiam graeca eſt, ſiquidem vel inclinatur hac ratione Ϻ ab artifice ob figuram numi circularem, quam ſcribendo inſequitur, vel fere hoc modo Σ erecta ſculpitur, ut in pervetuſtis quibusdam numis atque marmoribus exhibetur; quod et Montefalconius in Palaeographia, ejusque Epitomator Hieromonachus Cryptoferratenſis, docent. Et haec quidem, ſi litterae graecae ſint univerſae; ſi vero permixtae fuerint alienis characteribus, adhuc in illis ποσείδονα legamus neceſſe eſt, quum σ, in quo maior ſita videtur difficultas, ſic redditum, ut M graeca, cum Phoenicia littera S omnino conveniat, apud quos ita ſcribitur Ϻ. Conſtat autem tam apud Graecos, quam Romanos, characteres alienos, in numis quoque miſcere, fuiſſe in more poſitum, ut etiam obſervat *Spanhemius*, de praeſt. et uſu. num. Sive ergo graece totam, ſive alieno charactere etiam permixtam inſcriptionem legamus, ea Neptunum utrimque exhibet.

Ad haec, *Montefalconius*, in antiquit. explic. numum profert, illi, qui prae manibus eſt, ſimillimum, iisque characteribus caelatum qui in noſtro viſuntur; niſi quod paullum in eo differt, quod characteres manui ſiniſtrae recta ſubſunt, hoc modo, L O W E I, et poſt σ, ει inſuper additur, et ποσειδόνια, ſive ut ego, ποσείδονα legit. Porro, in eo Neptunum et *Montefalconius* iure meritoque agnoſcit: unum me ab illius ſententia diſtrahit, quod quum ille numum, in quo Neptunus pugnax eſt, exhibeat, contendat deinceps,

pugnare etiam Neptunum in altero quem dixi numo. Sed en eius verba: obſervatu dignus eſt numus ſequens 6) Demetrii Poliorcetae contra Ptolomaeum pugnam et victoriam navalem praeferens, cuius apud Plutarchum deſcriptionem habes. In prora navis victoria ſtans tuba canit, in altera numi facie Neptunus, pugnantis more, brachium pallio involvens, tridentem vibrat, ut hoſtes profliget. Hactenus *Montefalconius* recte; pergit vero: pari modo inſtructus ad pugnam cernitur in numo Poſidoniorum, qui ſibi Neptunum favere putabant, quod Neptuniorum nomine inſignirentur. Nam quod Neptunus pugnet, ſatis demonſtrat 1. motus corporis antedictus, 2. tridens, quem prorſus dextera vibrat, et quod magis eſt, pallium, non ab humero hinc inde diffluens, aut corpus aliquo modo obtegens, quum nudum pateat totum, ſed ſiniſtro brachio, quod prope manum circumit, ſuperinductum, quae pugnaturis omnino convenit: hos enim expeditiores, quoad fieri poteſt, oportet eſſe ad pugnam. Male ergo Neptunum pugnare contendit *Montefalconius*, quum neque corpus, ante ut Neptunus, ducat, neque tridentem dextra vibret, ſed ſiniſtra complectatur; neque, impedimenti lóco quo minus ſit, pallium, ſive carbaſum, brachio involvat; ut interim ſilentio praeteream poſticam numi faciem, in qua anteiiſſe praelium victoria ſtans, ac tuba canens, negotio facili indicat. Stat igitur, Neptunum uti ventos fluctusque compeſcentem exhiberi, eo prorſus modo, quo inſculptum ab artifice fuiſſe in noſtro ſuperius afferebam. At enim, quod caput in numo eſt, *Montefaiconius* ipſe Neptunum numo adſtruit, mecumque una ſentit. Et haec de antica numi facie.

Reliqua ſupereſt poſtica numi pars, in qua ſi nonnihil difficultatis ineſſe dixero, longe non abeam. Igitur illam inſpiciamus. Figura, quae eo loci effingitur, motu corporis, pallio, et inſcriptione, alteri, quam explicavi, ſimillima prorſus eſt; nam ſtat, pallium ſeu carbaſus ſinua-

Digitized by Google

ſinuatur, ac utrinque brachia recurrens diffluit, manumque alteram, ut tridentem elevet, attollit; alteram, protenſo brachio, recta extendit. Characteres item iidem ſunt, ac MOꓕ, ut in antica, legitur. Hiſce vero ab illa differt: primo, quod in antica pectus ſine carbaſo, qui terga operit, figura videntibus exhibet; in poſtica, abſconſo pectore, terga pallio ſinuoſo inducta offert. Deinde, quamvis dextera ſiniſtraque manus, eodem ex aequo ac in antica repraeſententur modo, ita ut eadem de cauſſa tridentem adeſſe omnino oporteret, tridens nihilominus non apparet. Tertio, quod barbatum antica exprimat, poſtica ſine barba; denique characteres in antica, inſpicientibus numum, ſiniſtrorſum, in poſtica dextrorſum ſunt: utrinque vero a dextra, ut apud Hebraeos fieri ſolet, legi incipiunt, quod et apud Graecos in more poſitum fuiſſe veteres inſcriptiones, numique aliquot, immo et ille *Monteſalconii*, et hicce noſter oſtendunt. Et haec ſunt, quibus poſtica, ſed forſan leviter, ab antica differt.

Eſt autem aliquid, quod ex toto inter ſe differunt: nam anticae numi partis figura prominet, ut in numis ceteris, poſticae vero faciei imago cava, et intus cuſa, ſive, ut aiunt, incuſa contra eſt. Quae ſane res, licet nunc primo non obſervetur, difficultatem nihilominus inſpicientibus ingerit, cauſſamque apud ſcriptores rei numariae, quorum nonnemini idcirco haeret aqua, diverſam habet. Sed horum duo audiantur. *Begerus*, in Theſauro Electorum Brandenburgenſium Select. in Metapontinorum felici agricult: De capite bovis, inquit, adhuc audire placet, neque enim quo fine in numiſmatibus Metapontinorum occurrat, facile dixero, et cum incuſſum ſit, neque rationes ſignaturae aſſequor. Caput bovis, reſpondit *Dulodorus*, ex agricultura interpretationem mutuatur, de qua ſupra. Ratio ſignaturae obſcura eſſe non poteſt. Cum figura maſſae argenteae incuſa ſit, utique clarum eſt, eam in matrice, quam vocant, non caelatam, ſed ex ea eleva-

 tam

Digitized by Google

tam fuiſſe, eo plane modo, quo hodienum artis peritiſſimi numismatum et figuras et inſcriptiones ex chalybe elevare, et elevatas in matrices incutere ſolent, ex quibus poſtea rurſus elevatae in numismatibus prodeunt. At mihi, excepit *Archaeophilus*, error ſignaturae hic videbatur inde ortus, ſi numisma quoddam percuſſum ex ſuperiore matrice forte non eximeretur, unde poſtea neceſſe fuerit, figuras eius ſubſtratae laminae eo modo imprimi, quo et in hoc Metapontinorum numismate cernimus. Res hoc credibilior eſt, quo rariora ſunt eius exempla; cum plura procul dubio proſtarent, ſi ex προαίρεσι eveniſſet. Paucitas exemplorum, reſpondit *Dulodorus*, contra me nihil facit, cum ingenii politioris hic foetus eſſe poſſit, qui, ut a communi more interdum recedit, ita et raritate ſibi pretium conciliare ſolet. Ceterum, nec numismatis percuſſi figurae elevatae eius duritiei ſunt, ut denuo argenteam maſſam frangere, eique ita immitti poſſint, nec omnia exempla rationem admittunt. Si enim valeret, eadem figura, quae in averſa elevata cernitur, etiam in adverſa incuſa conſtanter deberet reddi; nam ſi reſidet in ſuperiore matrice, neceſſario inferioris figuram denuo maſſae argenteae inprimit, quae et ab altera elevata redditur. Sed hoc in numismatibus perpetuum non eſt, uti ex propoſito intelligas, in quo non eadem figura, *Spica* videlicet, ſed diverſa plane, *Caput bovis*, redditur. Hactenus *Begerus*. *Jobertius* vero, Scient. delle Medagl. Se ne trouano, inquit, fralle antiche conſolari, ed alcune nelle imperiali di bronzo, e di argento. Noi le chiamiamo incuſe, cioè non improntate. La conformità di queſte medaglie protrebbe ſorprendere un nuovo curioſo, perche in vece di un roveſcio, non hanno ſe non l' iſteſſe figure che hanno dalla parte della teſta, battute come per fare un modello, o una forma. Confeſſo, che ho ſempre avuta difficoltà nel comprehendere, chi ciò ſia ſeguito per difetto di avere applicato il ſecondo quadrato, o forma di acciajo, e volevo più toſto figurarmi altre ragioni, ſinche ho inteſo da uno, che fra gli uomini di Francia intendeva meglio,

meglio, che coſa foſſe il torchio di monetière, che ciò veniva dalla fretta del monetière medeſimo, il quale prima di ritirare una medaglia, che aveva battuta, rimetteva un nuovo tondo, il quale trovando da una parte il quadrato, o la forma di acciajo, e dall' altra la medaglia precedente, improntava dalle due parti l'iſteſſa teſta, da una parte in rilievo, dall' altra in incavo, ma ſempre più imperfettamente, eſſendo lo sforzo molto più debole dalla parte della medaglia.

At enim illi nulla ſententia arridet, ſiquidem *Begerus*, ut a primo exordiar, vel ſui conceptus ideas explicare neſcit, vel a vero longisſime diſtat; nam artis peritiſſimi, ut ipſe contendit, non ex eo figuras et characteres, qui in numis prominent, efformant, quod numismatum et figuras et inſcriptiones ex chalybe elevare, et elevatas in matrices incutere ſoleant, ex quibus poſtea rurſus elevatae in numismatibus prodeunt: ſed idcirco imagines et characteres prominentes ex toto videntur, quod in chalybe ipſo cavum utrorumque exemplum caelo inſculpat malleator. *Jobertii* quoque, ſive *Aizotii* ratio, quamvis veroſimilior, nutat tamen: nam eluditur argumento *Dulodori*, quod ex *Begero* iam retuli, nec numismatis percusſi figurae eius duritiei ſunt, ut denuo argenteam maſſam frangere, eique ita immitti posſint. Si enim valeret, eadem figura, (quod tamen perpetuo non accidit, ut patet etiam in ſpecie noſtra), quae in averſa elevata cernitur, etiam in adverſa incuſa reddi conſtanter deberet.

Alio itaque mentem cogitationemque facto opus eſt ut applicemus; imago etenim numi poſtica, licet ſit eadem, ſi ea ex toto conſideretur, ex aequo ac illa quae in antica ſculpitur, diſcrepat nihilominus, (ut cetera recenſita, quae huc minime faciunt, modo praetermittam,) primum in eo, quod antica, ut ſuperius dixi, pectus, ſine carbaſo, qui terga operit, videntibus exhibeat: contra poſtica pectus omnino

omnino abſcondat, et terga pallio ſinuoſo induta offerat: Secundo, quod in antica characteres incipiunt circa ſuram Neptuni littera Π, in poſtica autem, circa nates quidem, ſed littera Π. Porro certum quam quod maxime eſt, quod ſi ſuperior numi imago, modo quo contendit *Iobertius*, malleatoris celeritate reddi in infero argento debuiſſet, debuiſſet ſane reddi anticae ſimillima; at enim antica pectus exhibet, poſtica vero terga, antica poſt humeros habet carbaſum, qui parum hinc inde circa latera apparet, poſticam pallii ſinus totus, quantus eſt, amicit. Eadem de cauſſa, quum inſcriptio circa Neptuni nates in antica ſiniſtrorſum videntibus habeat ≥, in poſtica eodem loco, licet videntibus dextrorſum ვ legi deberet; et nihilominus legitur ꓶ. Conſtat itaque, neque a *Begeri*, neque a *Iobertii* partibus, ſtare nos poſſe.

Dicet aliquis, quanam ratione id ergo accidit? At enimvero, quis ego ſum, ut rem explicatu difficillimam, quam Antiquarii ipſi ex tripode accepto, propinem? nullus certe, ac Davus quidem, non Oedipus. Dicam tamen, quod ſentio; Lector, aptiora donec, aut veriora ſuppetent, ſi lubet, ſequetur. Sicuti in ſuperiore chalybe, quam exemplum, matrem, et patrio ſermone ſtampa, forma, conio, iure merito dixeris, Neptuni imaginem totam cavam effinxit Artifex: unde in argenti percusſione viſa eſt inde prominens ex toto; ita, (quoniam contrariorum eadem eſt ratio,) in chalybe infera imago numi noſtri poſtica ex toto prominens efformata ab illo eſt; quo factum, ut cavum quum eſſet ſuperius exemplum, Neptunus prominens redderetur; cava autem figura numi poſtica, quod exemplum, aut mater prominens ei ſubeſſet, ſignata appareret, nam quod malleator caelo, aut viriculo illam inſculpere voluerit, neutiquam mihi arridet. Hactenus de materiali, ut ſcholae loquuntur, numi figura.

Reſtat

Reſtat adhuc, quod in numo praecipuum eſt, de imagine ipſa inſtituendus ſermo. Etenim, quum eadem figuratione, ſi ea, quae adnotavi, excipiantur, poſticam ex aequo ac anticam numi faciem cuſerit argenti flator; quaeri iure merito poteſt, eccur iterum eadem imagine ſignare numum ei libuerit? Quamvis enim eius generis numi novi non ſint, ut de illo Neronis, in averſa et adverſa parte ex aequo inſculpto teſtatur Antonius Auguſtinus: hoc tamen rariſſime accidit, et non ſine cauſſa factum eſſe dicendum.

Sed in ſpecie noſtra rem innuat Catullus ad Sirm. Pen.

Peninſularum, Sirmio, inſularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus ſtagnis
Marique vaſto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter, quamque laetus inviſo, &c.

Explicat hoc ita Turnebus: Quum, inquit, de Sirmione Catullus ſcribit, quascunque etc. quaeſitum eſt, quis ſit uterque Neptunus? ac probabilis eorum videtur eſſe ſententia, qui mare ſuperum et inferum, quibus Italia cingitur, interpretantur. Verius tamen fortaſſe videri poteſt, quum ſignificet Neptunus eam vim, quae humori praeeſt, ut utrumque Neptunum intelligamus, et eum qui ſalſis aquis imperat. Sic enim Sirmio, inſulis, et peninſulis omnibus maris, et fluminum, et lacuum, anteponetur. Huic expoſitioni favent Catulli verba, qui et liquentium ſtagnorum et maris mentionem facit. Haec Adrianus Turnebus, cuius primae ſententiae adhaeret M. Antonius Muretus. Uterque Neptunus, mare ſuperum et inferum ſignificat. Veteres ergo, qui erant, ut amicus meus olim cecinit,

E di filoſofia ricolmi il petto,

Neptunum utrumque exprimere percupientes, gemina eius figura ſignarunt numum. Quod, ſi deeſſet in poſtica numi parte barba, et, quod magis eſt, tridens; attamen

 men

men ex eadem imaginis figuratione, et corporis brachiorumque motu, ut in antica, nemo ibit inficias, quod tridens etiam adeſſe debebat, ut mentis conceptus malleatoris artificisque effectui reſponderet: nam barba, vel quod imago ipſa in numo cava, vel carie aliqua obeſa, pictoris oculos, qui numum penicillo reddidit, forſan effugit. Ceterum, quum videam poſt Neptuni ſuras utrasque, talumque dextrum, in antica numi facie, aliquas argenti effuſiones excurſionesque, quas vulgo dicimus ſgranature, cenſerem, numum hunc, quantus eſt, ab argenti flatore primo cuſum, non ut perfectus tunc prodiret, ſed ut experimentum quoddam faceret, quo viſo, perfectiorem inde redderet, abſolutiſſimusque in conſpectum lucemque hominum veniret. Haec, inquam, mihi cauſſa, ut reor, quod tridens deſideretur, utpote numo infecto, quamvis, ut dicebam, adeſſe omnino debeat.

Locum poſtremo, in quo cuſus numus eſt, inſcriptio ipſa facili negotio indicat. Nam, ſi illa ποσειδόνια, vel ποσειδῶν legatur, argumento eſt, a Poſidoniis cuſum, qui nomine Neptuni inſigniti erant, eique opidum illud, ni malis urbs, ſacrum. Eſt autem Poſidonia opidum maritimum, in Lucania a Sybaritis conditum, quod poſtea nuncupatum eſt Paeſtum, ut auctor eſt Strabo, hodie Peſti, ſive Pieſti.

Haec ſunt, quae de numo incuſo Neptuni, Mariottus prodidit. Nobis viſus eſt, extemporanea ſcriptiuncula, quidquid de Neptuno memoria ſuggereret, negligentiori calamo crediaiſſe, atque adeo decepiſſe Lectores, qui de numis incuſis potius, quam de Neptuno, quem et pueri noſtrates plus ſatis norunt, diſquiſitiunculam expectabant; cuius loco indigeſtum chaos rerum eo minime pertinentium repeiſſe, una nobiscum indignabantur. Si nos audit Presbyter Romanus, et cur non audiat exiſtimationi eius providentes, numquam, tota vita ſua, de rebus ad rem numariam aut antiquariam univerſam pertinentibus, quidquam ſcribet.

Digitized by Google

bet. Quam quiſque artem didicit, hanc exerceat. Hoc ſibi ſerio dictum putet.

CAROLI FERD. HOMMELII IURISPRUDENTIA numismatibus illuſtrata, nec non ſigillis, gemmis, aliisque picturis vetuſtis varie exornata. LIBRI DUO.

Lipſiae, apud Ioannem Wendlerum MDCCLXIII. plagg. 18. multis cum figuris aere expreſſis, in 8.

Haud quidem defuerunt noſtra aetate viri docti, qui leges, praeſertim Romanas, e lapidibus, ſaxis, marmoribusque, ſatis feliciter explicarent, eaque re litterarum humaniorum dignitatem adſererent: nemo tamen adhuc exſtitit, qui in iurisprudentia ex numismatibus etiam illuſtranda operae pretium fecerit. Etſi enim *Heineccius*, Vir laude noſtra maior, verum Germaniae decus, in Praefatione ad *Gundlingii* Exercitationes Academicas, de uſu et praeſtantia numismatum in iurisprudentia nonnulla praeceperit: agitatum tamen ab eo conſilium non ſolum intra propoſiti fines perſtitit, ſed ideo etiam viris doctis haud ſatis arriſit, quod minutiſſima quaelibet colligere, et ſingula fere legum verba numis exornare voluerit. Quod adeo nemo adhuc praeſtare potuit, hoc feliciſſime ſucceſſit *Hommelio*, dum haec ſcribimus Facultatis Iuridicae Ordinario illuſtri, Viro eruditiſſimo. Hic igitur, quod vel ex hoc Libello Lectores intelligent, res fere diſſociabiles miſcere, id eſt, cum ſumma rerum civilium forenſiumque prudentia, exquiſitiſſimam ſtudiorum humanitatis cognitionem conjungere didicit. Is igitur indefeſſa induſtria, incredibilique labore undique collatis, quae ipſe egregia putaret, et quae ſunt omnino, omisſisque vulgaribus, ea tantum monumenta protu-

 lit,

lit, quae ceteris praeſtantiora eſſe, et ſive ad iuvandam, ſive ad ornandam iuris ſcientiam utilitates quasdam maiores dulcedinesque praebere poſſe viderentur. Non eget laudibus noſtris ſumma Viri Illuſtris eruditio, nec facile illas pateretur haud minor eius modeſtia Quare rem ipſam aggresſi, primum quidem, quid duobus his libris contineatur, breviter indicabimus, deinde ſpeciminis loco nonnullorum argumenta capitum paullo uberius recenſebimus, quo facto facile erit lectoribus, vel ſic ex ungue leonem cognoſcere. Monumentum I. et II. Iuſtitiae templum eiusque ſacerdotes. III. Poena adulterii, et iudicium Zaleuci. IV. Legum Gallicarum codex. V. Ad titulum Decretalium de auctoritate et uſu Pallii. VI et VII. Tribunal Praeetoris Romani. VIII. Cameralis Iudicii a Maximiliano Primo inſtituti memoria in numo, qui vulgo Cameralis dicitur. IX. Aenigma Iuris pulcherrimum. X et XI. Lex non Remmia, ſed Memmia, de Calumniatoribus. XII. XIII. XIV. Scipionis Naſicae, et Catonis Cenſorii, vultus aeternales. XV. Poena, quae corium et capillos afficit. XVI. XVII. XVIII. An Pedum episcopale augurum Lituus ſit? XIX. Litigatores, ſedente judice, ſtantes. XX. Manumisſio coram Praetore per vindictam. XXI et XXII. Miniſteria palatina ab officialibus in equo praeſtita. XXIII et XXIV. Lex Publicia de luſu et ſponſionibus. Aliae leges talariae. XXV. Duellum judiciale viri et mulieris. XXVI. Fuga *Hugonis Grotii*. XXVII. XXVIII. et XXIX. Lex Iulia de maritandis ordinibus. XXX. *Ulpiani* adhuc ſuperſtes imago. XXXI. De Abigeis. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. et XXXVI. Iterum de Archiepiſcopali Pallio. XXXVII. Graduum computatio Germanica. XXXVIII. et XXXIX. Leges Tabellariae, Licinia et Casſia, atque obiter quaedam de Lege Licinia Sumtuaria. XL. XLI. XLII. Ad Capit. undecimum X. de reſcript. XLIII. Picturae ignominioſae, quae Imperium Germani-

manicum Pontificis beneficium eſſe mentiebantur. XLIV. Ad L. I. §. 10. ff. de inſpiciendo ventre, et cuſtodiendo partu. XLV. Regnum Italiae ſub Ottone Magno junctum Imperio Germanico. XLVI. Duellum judiciale beſtiae et hominis. XLVII. XLVIII. XLIX. Callida, ſed malitioſa pacti interpretatio. L. De Aquila Imperii bicipite. LI. De Reliquis abolitis; item de Novis Tabulis. LII. Lex Didia de poenis militum. LIII. Conſacramentalium jurandi ritus. LIV. *Numa Pompilius* Populo Romano leges proponit. LV. LVI. LVII. Trium liberorum honor. LVIII. LIX. LX. Summum Pontificis judicium cur Rota dicatur? LXI. De titulo Imperatoris: Semper Auguſtus. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII. Inſignia Romanorum loquentia. LXVIII. Hominium regi Galliae praeſtitum Seculo XIV. LXIX. LXX. LXXI. et LXXII. *Servius Sulpicius*, *Alphenus Varus*, et *Sempronius Sophus*. LXXIII. Singularium certaminum furor lege coërcitus. LXXIV. Vindicatio equi ſecundum veteres Germaniae mores. LXXV. LXXVI. LXXVII. *Sextus Aelius*, *Quintus Tubero*, et *Attejus Capito*. LXXVIII. Inveſtitura primi Marchionis Brandenburgenſis, Alberti. LXXIX. Inveſtitura primi Electoris Brandenburgenſis, Friderici I. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. Feoda Comitum an vexillaria? LXXXV. et LXXXVI. Exagium Solidorum in Novella *Theodoſii*. LXXXVII. Legitimatio per Pallium, et per Oblationem curiae caeleſti, ſive monaſterio factam. LXXXVIII. LXXXIX. et XC. Aequitas a Iuſtitia diſtincta. XCI. XCII. XCIII. XCIV. XCV. et XCVI. Roma reges pronuntiat. XCVII. Colosſi iurisdictionis in Germania indices. Gladius inſigne Comitum. XCVIII. Traditio fundi ſymbolica per ſurculum. XCIX. C. CI. et CII. De officio Cenſorum. CIII. CIV. et CV. Vectigalia remiſſa, et de Curſu Publico. CVI. Traditio ſymbolica per Chirothecam.

 CVII.

Digitized by Google

CVII. Feodum Ligium. CVIII. Lex Papia incerti argumenti, aut potius Papiria, de ſuffragiis. CIX. et CX. De ornamentis galearum ſcutorumque frondoſis. CXI. Suum cuique. CXII. Ad titulum Codicis de precibus Imperatori offerendis. CXIII. Traditio aedium per oſtium. CXIV. In orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt. CXV. CXVI. et CXVII. Leges Coelia et Caſſia tabellariae: Tribunal: Libertas. CXVIII. CXIX. et CXX. *Publius Mucius Scaevola, Coccejus Nerva* pater et filius. En tibi, Lector, hortum amoenisſimum, unde flores quosdam adhuc recentes, certe qui nondum per plures manus circumlati ſint, adeoque nec emarcuerunt, decerpere nobis liceat. Plane elegans eſt Auctoris undiquaque doctiſſimi coniectura pagina 12. 54. et 96. de pedo epiſcopali et pallio archiepiſcopali. Putat nimirum, ex eo tempore, quo Chriſtus Petro dixerat, *paſce oves meas*, ſacerdotes pecudum magiſtris quam ſimillimos fieri ſtuduiſſe, eamque ob cauſam non pedo tantum, ſed pallio etiam paſtoritio ſeſe ornaſſe. Paſtores autem pallio olim indutos fuiſſe, gemmae, in hunc finem prolatae, paſtoresque palliatos ſiſtentes, abunde docent. Haud minus elegans eſt obſervatio pagina 37. de Lege, quam, cum Memmia dicenda ſit, vulgo Remmiam vocant. Auctorem legis facit Illuſtris HOMMELIVS C. Memmium Gallum, docetque, litteram fronti calumniatorum inuſtam haud fuiſſe R. ſed duplex K. i. e. Kalumniae Kauſa. Cur ſummum Pontificis iudicium Rota dicatur, diſquiritur pag. 161. Malumus autem rem verbis Illuſtris Auctoris, quam noſtris enarrare. *Nihil*, inquit, *verius eſſe puto, quam Germanos veteres de re quadam conſultaturos, more etiam Judaeis in Synedrio uſitato, et fere naturali, in circulum conſediſſe, qui noſtra in lingua Rad dicitur:* — —

Ut

Ut vero primum Gothi, poſtea Longobardi, ſuam linguam, ſuas conſuetudines et iura, apportarunt in Jtaliam, imo veſtium formas novas Romanis dederunt, nam ex Romana togata fecerunt braccatam: ita plane mihi perſuadeo, hoc Jtalorum verbum, Rota, non quidem Teutonicum eſſe, cum littera o *in verbo Rad non obveniat, ſed littera* a *radicalis et plane neceſſaria ſit; attamen per Soloecismum factum eſſe, ut ad ſimilitudinem noſtrae linguae, Jtali iudicum coronam Rotam dicerent.* Ne quid autem dubii ſuperſit, facit non pavimentum ſolum, ex Dominici Bernini Tribunali Rotae Romanae delineatum, ſed faciunt etiam ſigilla Iudicum huius tribunalis, coronam hominum exhibentia. Pagina 214. contra *Chriſtianum Gottlieb. Schwartzium* docetur, legitimationem per pallium et veſtem parentum, etſi minus frequens fuerit altera illa per pallium, ſeu cortinam altaris, tamen ideo inter aniles fabulas haud referendam eſſe. Eleganter etiam diſſerit Illuſtris HOMMELIVS p. 230. de Colosſis, iurisdictionis in Germania indicibus. *Non alius*, inquit, *Rolandus, niſi Coloſſus eſt. Cum autem inter ſignum atque ſignatum quaedam, ut plurimum, ſimilitudo intercedere ſoleat, ſi ex me quaeras, quam ob cauſam ſtatua gladio et clypeo armata indicium banni regii ſive iurisdictionis ſuperioris habeatur? reſpondeo: non Imperatoris, ſed Comitis, hanc formam videri, ut vel gladius ſignificat, conſtans ac perpetua Comitis nota. Solus nempe quondam in Germania ius per Comites Advocatosque ſuos dicebat Imperator, quem gloſſa iuris municipalis Saxonici fontem et originem dicit omnis in Germania iurisdictionis. Haec ſi vera ſunt, ut ſunt notiſſima, nonne credibile eſt, hoc ſignum cives, ſi urbi Imperator iura Comitis, ſive iurisdictionem ſuperiorem conceſſiſſet, in foro ſuo collocaſſe, quaſi ligneam Comitis imaginem, ut poteſtatis ſive iurisdictionis adquiſitae documentum eſſet.* Sed facile, ſat ſcimus, ſalivam

Digitized by Google

ſalivam haec movebunt lectoribus noſtris, ut ipſi lectione tam docti et elegantis libri ſitim explere cupiant. Nobis autem nihil ſupereſt, niſi ut praeter vitam et vires otium apprecemur Illuſtri HOMMELIO, quo libro etiam tertio et quarto, quos in praefatione promittere videtur, propediem beare rempublicam litterariam posſit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Julii Anno MDCCLXIII.

Neues Organon etc.

i. e.

NOVUM ORGANON, SIVE MEDITATIONES DE inquirendo et conſignando vero, eoque diſtinguendo ab erroneo et mere adparenti. Auctore J. H. LAMBERT.

Lipſiae, apud J. Wendler, 1764. TOM. I. Alph. 1. plagg. 14. TOM. II. Alph. 1. plagg. 4. in 8. mai.

Ante diem hoc Organon recenſemus, propterea, quod quae nunc edimus Acta Anni LXIII. non debent officere libris novis, iisque bonis, quos a doctis hominibus cognoſci intereſt reipublicae litterariae. Profecto liber is, cujus nunc argumentum fuſius exponemus, in hunc cenſum venit. Tertius eſt, qui *Organi* nomen gerat. Primum conſcripſerat, qui per tot Saecula Philoſophiae non pater tantum, ſed princeps vocatus eſt, *Ariſtoteles.* Alterum illuſtri et ſummo illi Angliae Cancellario, *Verulamio Baconi*, debemus, qui in edendo *novo Organo* prima ſtravit ac ſolidiora illa fundamenta, quibus his temporibus ſcientiam potiſſimum naturalem videmus ſuperſtructam et auctam. Tertium nunc, idemque novum, orbi erudito ſiſtit Celeberr. LAMBERT, quem *Photometriae auctorem* nominaſſe ſufficiat, ut inde intelligat Lector, an tali operi par ſit cenſendus; quale id eſſe debet, quod poſt duo illa tam

Digitized by Google

inſignia *Ariſtotelis* et *Baconis* ſpecimina, *Organi novi* nomen mereatur. Multa certe magnaque promittere videtur, quicunque poſt *Baconem* titulum hunc libro ſuo praefigere non veretur, in lectorem quippe omne et totum quantum eſt ius transfert, eximia atque praeclara omnia inde exſpectandi. At penes Lectorem eſto iudicium, quem ne diutius in limine moremur, praecipua operis capita, quantum ejus fieri poteſt, eo ordine, eaque luce exponemus, ut, an exſpectationi reſpondeat opus, ipſe pronunciare Lector poſſit.

Hoc praeprimis requiſitum vel ipſum *Organi* nomen involvit, ut *inſtrumenti* inſtar ſit, quo amplificari Scientiae omnes atque firmisſimis ſuperſtrui posſint fundamentis. Merito itaque quaeritur, an his finibus obtinendis per omnia ſuffecerint *Ariſtotelis* et *Baconis* organa? Hanc quaeſtionem ita ſolutam ſiſtit Auctor, ut in praefamine ea, quae vel ulterius perficienda, et vel maxime ſolidioribus ſuperſtruenda ſunt principiis, exponat. Quodſi enim, inquit, vel levi attentione perluſtres Philoſophorum quorumvis Saeculorum et regionum Syſtemata, haud certe ea ſic ſibi conſtare eademque manere deprehendes, quantum hoc a tot tantisque inquirendae veritatis motivis expectare merito posſis. Veritatem dum contueris, eam unam vides et immutabilem; Philoſophiam contra, quibusvis temporibus et locis, ita vides veluti veritati oppoſitam, ut non modo alio continuo induta ſiſtatur veſtitu, verum contrariis, immo contradictoriis innixa principiis. Sic certe in pluribus capitibus ſibi invicem oppoſitos reperies *Ariſtotelem*, *Gaſſendum*, *Carteſium*, *Newtonum*, *Leibnitium*, *Wolfium*, ceterosque philoſophicorum Syſtematum Auctores; placitis vero *Idealiſtarum*, *Materialiſtarum*, *Scepticorum*, *Fataliſtarum* etc. vix commune quidquam ineſſe deprehendes.

Haec utique et talia dum perpendis orbis eruditi phaenomena, haud aegre concedes, hiſtoriam errorum potius, quam veritatum eſſe philoſophiae hiſtoriam, atque organa *Ariſtotelis* et *Baconis*, ceteroquin quantumvis praeſtantia, his enodandis difficultatibus adhucdum ſaltem fuiſſe imparia.

Et

Digitized by Google

ſi rem omnem ad primaria ſua capita reducere velis, quatuor ſponte ſe tibi offerent quaeſtiones ſequentes:

1mo. An *viribus* careat humanum *ingenium*, quibus tuto greſſu in veritatis via incedere et progredi poſſit?

2do. An ita ſe ipſi ſubducat *Veritas*, ut ab *erroneo* et *falſo* eam dignoſcere haud valeat?

3^{tio}. An ipſa *lingua*, qua conſignanda et retinenda eſt veritas, nimiis eam amphiboliis vagisque nimium terminis dubiam reddat et obſuſcet?

4to. An ideo a vero aberret humanus intellectus, quod res obvias haud percipit quales ſunt, verummodo quales eſſe videntur, atque an adeo ſit illuſoria *adparentia* rerum, ut per eam ad verum ſublatens pertingere non detur?

His quaeſtionibus rite ſolvendis quatuor eas partes impendit Auctor, in quas totum opus diſpeſcit, quasque nominibus ex graeca lingua mutuatis, *Dianoiologiam*, *Alethiologiam*, *Semioticam*, et *Phaenomenologiam* adpellat. Prima complectitur *regulas* et *leges*, quas ſequi debet intellectus in *inquirenda veritate*. Altera *ipſius veritatis in ſe ſpectatae*; tertia *ſignorum* et *ſymbolorum*; quarta denique *phaenomeni* vel *adparentiae* ſiſtit *theoriam*. His generaliter praemiſſis, ad ſpecialiora, eaque uberius exponenda, progredimur.

Dianoiologiae capita, ſi quidem nomina vel titulos ipſis inſcriptos ſpectes, parum novi promittere videntur; quippe ejuscemodi ſunt, quales in quibusvis operibus et compendiis logicis reperias. Primum de *Ideis* et *Definitionibus*, 2^{dum} de *Diviſionibus*, 3um de *Iudiciis* et *Quaeſtionibus*, 4^{tum} de *Ratiociniis ſimplicibus*, 5^{tum} de *Ratiociniis compoſitis*, *variisque indirecte ratiocinandi modis*, 6^{tum} de *Demonſtrationibus*, 7^{mum} de *Problematis*, 8^{vum} de *Experientia*, 9^{num} de *Cognitione ſcientifica* agit. At vero ſi hanc tibi ſumas operam, ut capita haec perlegas, ea non modo ſumma attentione perlegenda eſſe reperies, verum et his, quae nota et obvia jam ſunt, nova haud pauca interſperſa eſſe deprehendes, ut dubius haereas, cum quaerere velis, unde iſta hauſerit Auctor?

ctor? Neque ea, quae in ſingulis his capitibus tractantur, iacta, atque veluti inſtar rudis et indigeſtae molis propoſita verum ita videbis connexa, ut ubivis ea, quae in quovis capite occurrunt, enumerata, riteque diſpoſita ſiſtantur. Exempla potiſſimum, quibus praxin regularum ipſasque regulas illuſtravit Auctor, ita ſelecta atque ex ipſis ſcientiis deſumta ſunt, ut quodvis exemplum nil offerat praeter quam quod ad illuſtrandam regulam quicquam facit; cunctaque iſta exempla ſi colligantur, hiſtoriam fere elegantisſimorum et ingenioſisſimorum inventorum totam conficiunt. Ut adeo et hoc reſpectu Auctoris *Dianoiologia* a reliquis Logicis immenſum differat. Quodſi enim ludibrio plerumque habita fuit *Logica*, ac ita decantata, quaſi omni uſu ſit deſtituta: haud inficiandum ſane eſt, exempla illa velut ex trivio deſumta, quae in plerisque operibus logicis occurrunt, ad augendum hunc contemtum non parum contuliſſe. Contra ea ſi eximia iſta inventa, quae ſummis humani generis ingeniis nomen immortale conciliarunt; illuſtrandis regulis logicis inſervire videas, regulas iſtas floccipendere et inutiles habere vix poteris. Accedit, ut Auctor §.454. obſervat, quod ipſi nempe Inventores, dum inventa ſua proponunt, modum viamque, qua ad iſta pervenerint, terminis plerumque logicis exponunt, quippe terminis aliunde petitis de methodo diſſerere non datur.

Quod de ſingulis hic diximus *Dianojologiae* capitibus, ſpecialem eorum expoſitionem breviorem reddere poteſt. In primo quidem Capite problema de definitione ideae cuiusvis, cuius nomen datur, rite concinnanda, ſic ſolutum ſiſtit Auctor, ut 1mo requirat caſuum enumerationem, eamque completam, in quibus vel idea, vel nomen rei occurrit. 2do ex his caſibus ſeligantur illi, qui reales ſunt, quo de ipſius ideae realitate et veritate certus eſſe poſſis. 3^{tio} colligantur notae ideam conſtituentes, ſingulis his caſibus communes, atque in ideam generalem contrahantur, cuius nomen detur. 4to idea ſic definita eo fine ad examen revocetur, ut, an nimis ſit univerſalis, vel an univerſalior reddi

poſſit

poſſit et debeat, inde conſtet: quo caſu priori adiici reliquae determinationes, poſteriori reiici eae poſſint, quae nimis ſunt ſpeciales, vel a quadam nominis amphibolia proficiſcuntur. Regulas has ſuo ordine ita exponit et illuſtrat Auctor, ut caſibus quibuscunque adplicari tuto et facile queant, ſimulque compendia adfert, quibus ſaepius breviori via ad propoſitam metam pertingere datur. His ſubjungit Problema, de definienda maxima univerſalitate, ad quam data idea, nominisve ſignificatio, pro ipſa rei natura, linguaeque genio perduci poſſit. Hactenus dicta caſus illos ſpectant, quibus datur tum ipſa idea confuſe adhucdum percepta, tum et eius nomen, quod uſus loquendi ipſiusque linguae genius ei impoſuit. His uberiori luce colluſtratis, obſervat Auctor, rarius obvenire huiuscemodi caſus, quibus expoſita in definiendo ἀκρίβεια locum habeat; contra ea longe ſaepisſime id evenire, ut notae quaedam, quibus debitis limitibus circumſcribenda atque definienda eſt idea, negligantur, cum adeo difficilis ſit caſuum omnium enumeratio. Huic ergo defectui quomodo mederi poſſis, dilucide docet Auctor. Cumque porro in his omnibus nonniſi de notis rei intrinſecis ſermo ſit, ad eos dein caſus progreditur, quibus res per notas externas, ejusque ad alias res habitus atque relationes, definienda venit, ſive definitio ab uſu et ſcopo rei, ſive ab eiusdem geneſi et cauſis petatur; ſive conſtet relationibus aliis undecunque deſumtis. Quibus caſibus enumeratis modum tradit condendae definitionis, tum nominalis, tum realis et geneticae; et quod caput rei eſt, ex ipſa harum definitionum indole criteria iſta deducit, quibus dignoſcatur, ubinam harum definitionum quaevis habeat locum, et exſtruendae theoriae rei prae caeteris inſerviat. Singulae tamen hae definitiones cum rem ipſam, ipſiusque ideam et nomen, ceu data praeſupponant, merae definitiones ſunt, aliasque ideas, easque novas, non ſuppeditant. Quare his tractatis ad eos caſus perluſtrandos ſeſe convertit Auctor, quibus data quadam idea, aliae, eaeque novae, inde peti poſſint. Huc facit idearum compoſitio, quae cum

 ſingulis

Digitized by Google

ſingulis caſibus non procedat, niſi omnino contradictoria conjungere velis, caſus iſti, quibus revera locum habet, exponuntur, atque methodi docentur, quibus arbitraria idearum compoſitio ad examen revocari poſſit, ſive experientia duce, ſive adiuvante theoria, rem perficere velis. His denique varias regulas generales, plurimisque caſibus adplicabiles, ſubjungit, quarum uſus neceſſario ad ideas compoſitas, easque poſſibiles et veras, deducit.

Secundum caput eodem fere modo idearum diviſionem atque potiſſimum uſum exponit, quem diverſae eiusdem ideae diviſiones, ſi debite combinentur diviſionum iſtarum membra, in condenda et amplificanda rei theoria ſuppeditant. Quaeſtio, unde ſint plures iſtae eiusdem ideae diviſiones, et quodnam cuivis ſubiaceat diviſionis fundamentum? ita ſolvitur, ut ſimul inde elucefcat methodus, qua eſſentialis ideae cuiusvis diviſio ſit inſtituenda. Enumerantur porro variae diviſionum ſpecies, earumque exhibentur criteria, variique uſus, docetque Auctor, quid agendum ſit, ubi membra diviſionis, gradu, vel numero, vel qualitate differunt, vel res, cuius partes enumerandae veniunt, tota in oculos incurrit, vel definitis circumſcribitur limitibus. Diſertis porro verbis inculcat atque palam facit ideas, quas univerſales vocamus et abſtractas, neque in individuis tam abſtracte exiſtere, neque in ſe tam abſtractas eſſe, quam definitiones, praeſertim nominales, eas ſiſtunt; verum quamlibet ideam abſtractam ceu Sceleton individuorum illorum eſſe ſpectandam, quibus ea ineſt. Quod quorſum tendat, quaque ratione ad perficiendam cognitionem ſymbolicam adplicari poſſit, tum in praeſenti capite, tum paſſim per totum opus indicat, atque exemplis patefacit Auctor.

Utrumque Caput, primum et ſecundum, ideas in ſe tantum ſpectatas nobis offert. Inſtituenda iam erat idearum comparatio, quam Auctor in Capite tertio et quarto ita ſuſcipit, ut tertium comparationem binarum, quartum vero caput ternarum idearum comparationem, variasque eius ſpecies, et varios uſus, commonſtret. Data hic opera de idearum compa-

comparatione loquimur, in his Auctorem ſecuti, qui univerſaliori hac idea theoriam propoſitionum et ſyllogiſmorum in Logicis operibus ubivis obviam complectitur. Hanc vero procedendi rationem cur reliquis praetulerit Auctor, perlectis his capitibus manifeſtiſſime patet, id ideo ab ipſo factum eſſe, quo completam et demonſtratam caſuum enumerationem dare poſſet. Sumit ergo primo duas ideas quascunque, atque enucleata propoſitionum indole et varietate, oſtendit, duas ideas quasvis tres ſuppeditare poſitiones, quarum alterutra neceſſario vera, reliquae duae neceſſario falſae ſint, ut adeo cuivis poſitioni verae duae falſae opponantur, harumque numerus in univerſum ſit illarum duplus. His uberius enucleatis, duas propoſitiones inter ſe confert, quarum utraque iisdem conſtat ideis, atque caſus illos enumerat, quibus utraque ſimul vera eſſe poteſt. Caſum vero eum, quo duae propoſitiones conferendae veniunt, quibus unica ineſt idea communis, Capite ſequenti perluſtrandum ſuſcipit, utpote qui peculiarem mereatur theoriam. Huic poſitionum theoriae, quam Ariſtoteli debemus, quaeſtionum theoriam, ab Ariſtotele ceterisque Logices ſcriptoribus fere neglectam, ſubjungit, atque quaeſtionem quamvis, ſi ad ſimpliciſſimam reducatur formam, duabus tantum conſtare ideis, harumque idearum alterutram neceſſario actionem quandam denotare, docet. Unde dari quaeſtionum vel problematum formulas univerſaliſſimas colligit, quarum quasdam exempli ergo adfert, reliquas vero Metaphyſicis enumerandas proponit. Subjungit denique uberiorem et ſtrictiorem nominum iſtorum theoriam, quae Mathematicis ab antiquiſſimis retro temporibus, in exponendis ſuis inuentis, ſolemnia fuerunt, atque ſimul oſtendit, quam perperam noſtris temporibus problemata, theoremata, poſtulata, et axiomata confuderint Logici, dum ſingula iſta poſitiones eſſe aſſertum iverunt. Coronidem huic capiti imponit characteriſtica quaedam poſitionum deſignatio, et veluti geometrica conſtructio, cuius deinceps ſpecimen quoddam exempli ergo adferemus.

Caput

Digitized by Google

Caput quartum, uti diximus, tres ideas, ſimulque duas poſitiones, in quibus illae occurrunt, inter ſe confert. Theoria huius comparationis, quatenus veritas poſitionum ſcopus eſt primarius, illa ipſa eſt, quam theoriam Syllogiſmorum nominarunt Logici, quamque ex memorata poſitionum theoria et analyſi primum deduxit *Ariſtoteles.* At inſignis adeſt inter conſuetam hactenus Syllogiſmorum doctrinam, et eam, qua Auctor utitur, differentia. Demonſtrationem enim tradit mere ſymbolicam, et vere characteriſticam, cuius ſpecimen hic adponere jam ante promiſimus.

1mo. Propoſitio *Omne A eſt B*, innuit, *omne A comprehendi ſub idea univerſali B.* Quod verbotenus ita notat Auctor

B————————b
A—————a

cuivis enim ideae eo majorem tribuit extenſionem, quo univerſalior eſt, atque hanc ipſam ob cauſam plura individua ſub ſe complectitur.

2do. Propoſitio: *Nullum A eſt B*, idem ſonat ac *nullum A continetur ſub idea B.* Quod itidem verbotenus hic notatur

A————————a B————————b

3^tio^. Propoſitio: *Quoddam A eſt B*, ſic notanda venit

B————————b
. . . . A—————a . . . .

ut, quod in hac propoſitione indeterminatum remanet, punctis indicetur.

4to. Propoſitio: *Quoddam A non eſt B*, denique ſic deſignatur

B————————b
. . . . . A————————a . . . .

His praenotatis jam ex §. 201 exemplum adſeremus. Sint duae propoſitiones:

Omne M eſt P
Omne S eſt M:

Hae ſequenti ratione conſtruentur.

P

. . . . P ——————— p . . .
M ——— m
S —— s

Unde praeter utramque poſitionem conſtructam, quatuor ſequentes ſimul conſtructae ſunt

1mo. Quaedam M ſunt S
2do. Quaedam P ſunt M
3tio. Quaedam P ſunt S
4to. Omne S eſt P.

Ex his poſitionibus priores duae ſunt conſtructarum converſae, reliquae duae vero ſunt concluſiones ex poſitionibus conſtructis deductae.

Alterum, quod paucis adhuc indicabimus, Figurarum ſyllogiſticarum differentiam ſpecificam ſpectat. Primam figuram *rationibus*, ſecundam *diverſitatibus*, tertiam *exemplis*, quartam denique *reciprocationibus* eruendis et exponendis inſervire, propriamque velut dicandam eſſe adſtruit Auctor, atque perperam ſingulas quatuor figuras ex decantatiſſimo illo *Dicto de omni et nullo* demonſtrari contendit, quod nonniſi prima directe et ſua ſponte inde fluat. Quem in finem cuivis Figurae proprium tribuit dictum, quae 1mo dictum de *omni et nullo*. 2do dictum de *diverſo*. 3tio dictum de *exemplo*. 4to. dictum de *reciproco* vocat. His vero fuſius hic exponendis non immorabimur, potius Lectorem ad ipſum Auctoris opus dimittemus.

Quintum caput ratiocinia compoſita, conditionata videlicet, disiunctiva, copulativa, et remotiva tradit, horumque theoriam et enumerationem completam ita ſiſtit evolutam, ut ſimul oſtendatur, qua ratione, quotve modis, ratiociniorum iſtorum conjunctio ambages et avias veluti in regno veritatis vias ſuppeditat, quibus eo pertingere licet, quia via recta praecluſa deprehenditur. Ex pluribus formulis generalibus, quas ſigillatim exponit et enumerat Auctor, ſpeciminis loco unicam, eamque ultimam, adferemus. Ita vero habet.

Digitized by Google

A eſt et G, et H, atque ſi non eſt I, eſt K.
G eſt vel L vel M.
H eſt vel N vel P.
I eſt vel Q vel R.
Sed A nec eſt L nec N.
Quare A eſt M et P.
M vero non eſt Q.
P non eſt R.
Unde A nec eſt Q nec R.
Quare A non eſt I.
Ergo A eſt M, et P, et Q.
Sed MPQ, ſi in unam ideam contrahatur, eſt B.
Quare A eſt B.

Huiuscemodi formulae utique, ut ait Auctor, inſtar computi idearum ſunt ſpectandae atque caſus, quibus meditanti occurrunt, non rari, ſed complicatiores ſunt, maioremque attentionis gradum, maiusque requirunt ingenii acumen.

Quinque iſta priora Capita ea tantum complectuntur, quae prima eaque ſimpliciora attinent meditationis elementa. Quare ad ea jam progreditur Auctor, quae proxime ex elementis iſtis componuntur, Demonſtrationum nempe, Problematum, et Experientiae theoriam traditurus. Primum quod ſeſe hic facile offert Problema, quodque Logicis, praecipue Scholaſticis, ſolemne fuit, hoc eſt: Data propoſitione invenire eius demonſtrationem. Solutio ad inventionem medii termini reducitur, de qua integra volumina conſcripſerunt Scholaſtici. Obſervat vero Auctor, exiguum eſſe huius methodi uſum, quod de veritate propoſitionis certus eſſe debeas, antequam eius demonſtrationem condere velis. Quod quidem fieri nequit, niſi vel experientia duce veritatem poſitionis cognoſcas, vel eam legitima ratiociniorum connexione eruas. Poſteriori hoc caſu utique demonſtrationem habes ante propoſitionem demonſtrandam, quippe hanc ex illa deducis, atque ut aiunt, a priori ad eam detegendam devenis. Hic procedendi modus in Geometria eſt uſitatiſſimus. Contra ea caſus prior in phyſicis frequentior eſt,

eſt. Orditur itaque Auctor ab exponenda formali demonſtrationum fabrica et ſtructura, atque oſtendit, demonſtrationem quamvis, ex meris ſyllogismis ſimplicibus contextam, reſolvi poſſe in Soritem, cuius ſingulae propoſitiones ſint vel axiomata, vel poſitiones immediate ex ipſa rei natura promanantes. Huic theorematì aliud ſubiungit, quo oſtendit, poſſe eiusmodi Soritem in tot demonſtrationes ab invicem diverſas reſolvi, quot combinationes admittunt termini medii Soritem ingredientes, ſi termini ſumantur bini, terni, quaterni, etc. Hinc corollarium deducit, quo evidens fit, qua ratione duae pluresve eiusdem poſitionis demonſtrationes, quantumvis videantur diverſae, nihilo minus ad eadem revocentur principia. His enucleatis obſervat porro, methodum demonſtrandi ſyntheticam, quae a principiis ad conſequentias procedit, non conducere meditantem ad certum praefinitumque ſcopum. Sive enim propoſitionem quandam maiorem vel minorem ſyllogismi conſtituas, altera adſcita praemiſſa, utique conſequeris concluſionem, quae vero una cum mutatis praemiſſis mutatur, quamque adeo praevidere non poteris, niſi ratiocinium ad finem perducas. Quare Auctor hanc ſibi ſumit operam, ut definiat, ubinam inchoare, quaque via incedere debeas, ut legitimo ratiociniorum nexu ad ipſum meditationis ſcopum finemque pertingas. Qua de re ſex enumerat caſus ſpecialiores, quorum quisque, pro varietate datorum ſcopique natura, peculiarem ſibi poſcit procedendi viam. Singula vero iſta, quae iam indicavimus, methodum demonſtrandi directam tantum concernunt. Ad indirectas itaque progreditur Auctor, quas ſecundum phraſes Geometris adeo familiares, 1mo. quod eſt abſurdum, 2do. quod fieri nequit, 3^{tio}. quod eſt contra propoſitionem iam demonſtratam, 4to. quod eſt contra hypotheſin, dividit, atque methodum oſtendit, qua quaevis harum demonſtrationum in reliquas mutari poſſit, qualisque in his ſit uſus ſecundae ſyllogismorum figurae. Quibus peractis addit inſuper methodum, demonſtrationes directas mutandi in indirectas, et viciſſim, patetque ex omnibus iſtis methodis di-

Digitized by Google

verſarum viarum affinitas, quibus ad veritates easque novas deducimur. Eidem huic fini quoque inſervit utriusque demonſtrationis, directae videlicet et indirectae, comparatio ea, qua Auctor oſtendit, utramque Mathematicis ſic uſu venire, ut propoſitiones, quarum et converſae univerſaliter verae ſunt, directe, ipſae vero earum converſae apagogice demonſtrentur. Quoniam porro id genus propoſitionum eximium duplicemque in exſtruenda quadam theoria habet uſum, Auctor eas exactius contemplatur, hocque de illis verum eſſe oſtendit theorema, ut propoſitio, quae eſt concluſio ſyllogiſmi, univerſaliter convertibilis eſſe nequeat, niſi et utraque praemiſſa univerſaliter converti poſſit. Quo facto hanc inde infert conſequentiam, ut aſſertum eat, huiuscemodi poſitiones, quas identicas vocat, in quavis ſcientia peculiarem conſtituere claſſem, atque in ea non poſſe locum habere, quin et inter ipſa prima ſcientiae principia poſitiones iſtius generis occurrant. Uſum porro harum poſitionum in phyſicis eximium eſſe ait, cum, niſi eas in ſubſidium adſciſcas, ex obſervatis rerum phaenomenis et effectibus ad principia et cauſſas, ſcientificamque earum cognitionem, non detur aditus directus, atque in vicem theoriae rite demonſtratae hypotheſes admittere plerumque arbitrarias nimis, et incremento rei phyſicae noxias, tenearis. His peractis docet Auctor, non poſſe ex propoſitione quacunque eius contradictoriam inferri, quod a quibusdam ſecus creditum eſt. Subiungit porro methodum, qua data parte reperiri poſſit totum, atque caſus exponit, quibus adhiberi methodus haec poteſt, quippe quae ubivis legem quandam ſupponit datam, qua partes partibus ipſique toti iunctae ſunt atque connexae. Denique ſolutionem problematis adfert in medium, quo datis quibusdam experientiis principia detegantur, quibus demonſtrari queant, quibusque ſuperfluae reddantur hypotheſes precario aſſumtae. Facile ex his patet, cuncta ea, quae iam breviter expoſuimus, maxime eſſe determinata et ſpecialia, altumque fere de his omnibus in operibus logicis reperiri ſilentium. Singulorum vero

Digitized by Google

ro nexum, et totius capitis texturam, cum continua ſit et firmiſſima, in epitome hic ob oculos ponere non licet.

Septimo Capite Quaeſtionum et problematum ſiſtitur theoria. Omnis Quaeſtio, aliam, eamque maxime generalem praeſupponit, cum, antequam ad eam reſpondere velis, examinare debeas, an quaeri id poſſit quod quaeritur? Quod enim ſi fieri nequeat, reiicienda erit quaeſtio, et omnis reſponſio, quam dare poſſis, eo redit, abſonam eam eſſe et impoſſibilem. Cum itaque quaelibet quaeſtio nitatur conditione ſine qua non, id agit Auctor, ut conditionum iſtarum indolem, variasque ſpecies, exponat. Quo facto quaeſtionem proponit hanc, quae in inquirenda et invenienda veritate facile primaria eſt: qua nempe ratione problema quodvis ex quavis ſcientia deſumtum ad problema mere logicum reduci queat. Cunctas enim ſcientias ceu Logicam adplicatam ſpectat, ipſi matheſi adplicatae hoc quidem ſenſu analogam. Hac quaeſtione fuſiſſime diſcuſſa, ad theoriam problematum procedit eorum, quae theoretica appellat, huicque theoriam Datorum et Quaeſitorum ſubiungit, Euclidea hoc univerſaliorem, quo amplior campo Geometriae eſt campus cunctarum Scientiarum. In condenda vero hac Datorum et Quaeſitorum theoria hunc ſibi Auctor praefigit ſcopum, in amplificanda ſcientifica rerum cognitione facile primarium, ut ope minimi numeri datorum quovis caſu repeririri reliqua omnia, independenter ab experientia, poſſint. Subiungit porro methodum, qua datum quodvis problema converti, univerſaliusque reddi queat. Quo facto ad theoriam problematum iſtorum progreditur, quae agenda quaedam proponunt, ideoque practica κατ' ἐξοχὴν nominari merentur, atque exponit, quaenam in his problematis ſint data et quaeſita, et quaenam ſint conditiones iſtae, quas praeſupponunt, quaque ratione actualis eorum ſolutio, poſtulatorum inſtar, requirat vires ingenii, corporis, ipſiusque naturae.

Octavum Caput theoriam ſiſtit experientiae, quippe cui maximam debemus cognitionis noſtrae partem. Tres

vero Auctor diſtinguit experientiae claſſes. Primam componit experientia communis: natura quippe plerumque adeo clare loquitur, ut non poſſis eam non audire. Secundam claſſem obſervationes abſolvunt: quippe dantur caſus, quibus ad ea, quae natura loquitur, data velut opera, arrectisque auribus, eſt attendendum. Tertia Claſſis experimenta proprie ſic dicta complectitur, eosque caſus ſpectat, quibus interroganda eſt ipſa Natura, ſi id quod praecipit reſcire aveas. Huic differentiae aliam ſubiungit, eam nempe, quae inter experientiam propriam et alienam intervenit, quaeque haud exigui oſtenditur eſſe momenti. Hisce porro additur eorum caſuum expoſitio, quibus experientiae nonniſi anſam et occaſionem debemus, ita ut veritas, quam duce experientia diſcimus, poſtmodum a priori demonſtrari poſſit, propriisque fulciri principiis. Addit porro Auctor differentiam, quae inter huiuscemodi principia et hypotheſes phyſicas adeſt, atque hypotheſes cum regula arithmetica falſae poſitionis, Algebra, et arte decifratoria confert. Experientias, quas ſyntheticas vocat, ad 3 caſus reducit. 1mo. Obſervantur naturae phaenomena et effectus: 2do. Materia nova quibusvis examinibus iam notis ſubiicitur. 3tio. Materiae notae novo examini ſubiiciuntur. Singulis his caſibus novi quidem quid detegitur, contra ea praevideri nequit, an novum hoc ſit id quod quaerebatur. Quare analyticam experimentandi methodum huic ſyntheticae ſubiungit Auctor, quae vero iam theoriam quandam praeſupponit, atque iſtis caſibus adplicatur, quibus vel datae cauſſae effectus, vel dati effectus cauſſa, vel relationes inter effectum et cauſſam, vel denique, ubi plures cauſae adſunt, id quaeritur, quod cuilibet earum debetur. Singulorum iſtorum problematum requiſita et ſolutiones ita proponuntur, ut ad praxin accommodari posſint. Denique tres adhuc ſolvuntur quaeſtiones ſequentes: 1mo. An nil indeterminatum obſervari posſit? 2do. Qua ratione negativum quid ex experientiis inſtitutis deduci queat? 3tio. Quoque modo univerſale

quid

quid inde poſſit colligi? Cunctae enim experientiae ſunt determinatae omnimode, individuales, et poſitivae.

Supererat ut cuncta iſta, quae praecedentibus capitibus continentur, colligerentur, atque velut in ſummam contraherentur, quo pateret, qua ratione ex ſingulis iſtis totius cuiusdam partibus, ipſum hoc totum conſtitui et componi poſſet. Hunc in finem Auctor nono Capite, quo ipſo Dianoiologiae Syſtemati coronidem imponit, ſequens Problema ſolutum ſiſtit. Datis nempe materialibus, theoriae cuidam inſervientibus, vel cunctis, vel maxima eorum parte, hanc theoriam invenire, eiusque ſyſtema exſtruere. Quaecunque nos docet experientia, omnesque illae ideae et poſitiones, ad quas ea duce a primis infantiae annis paulatim pervenimus, ſingula iſta nonniſi hiſtoricam cognitionis noſtrae partem abſolvunt, atque adeo ab invicem ſunt ſejuncta, ita ut omni fere nexu carere videantur, disiectis totius cuiusdam fragmentis ſimilia. Quare quaerenda eſt mutua partium iſtarum dependentia; detegenda vincula, quibus connecti firmiter ſuoque ordine diſponi queant; haecque denique danda eſt opera, ut quaelibet cognitionis noſtrae partes, quantum eius fieri poteſt, ab experientia evadant independentes, ſingularumque ſtabiliatur univerſalitas, quo ratiociniis inſervire poſſint, quibus experientiae reddantur ſuperfluae. Haec enim ab Auctore recenſentur cognitionis vere ſcientificae criteria, ipſaque antedicti problematis ſolutio ad hoc requiſitum reduciturr, ut ex minimo datorum numero, quovis caſu, reliqua omnia, ſola theoria adiuvante, innoteſcant. Idem enim hoc requiſitum et ipſis Mathematicis normae inſtar eſt, ad quam ſingula Matheſeos criteria exigunt, atque datorum ſufficientiam ad examen revocant. Problematis iſtius ſolutio utique haud brevis eſſe poterat, quippe non modo ſingula ea, quae ſolutionem ingrediuntur, ſingulaeque quas praeſcribit, operationes, enumerandae, fuſiusque exponendae; verum et ipſe ſyſtematis ordo atque nexus, eiusque ſtructura et fabrica, univerſaque eius forma, veluti ob oculos erat ponenda, quo apertiſſime et per omnes partes pateret, quid id ſit, quod ſcientifici Syſtematis, atque theoriae nomen

nomen mereatur. Singula vero iſta ob continuum ratiociniorum nexum praeterire ſilentio, atque ad ipſum opus Lectorem dimittere cogimur.

Alethiologia, quam ſecundam Organi iſtius partem eſſe diximus, quatuor tantum Capitibus conſtat, quorum argumenta paucis perluſtrabimus. Omnes Dianoiologiae regulae atque leges formam cognitionis potiſſimum ſpectant, ipſam materiam intactam relinquunt, eaque illarum eſt indoles, ut quocunque modo ex veritatibus veritates deduci poſſe oſtendunt, eodem quoque modo ex erroribus errores promanare atque deduci queant. Quare de hoc iam imprimis ſollicitus eſt Auctor, ut, ubinam detur verum ratiociniorum veritatumque initium, quaerat. Quaerendae erant illae veritates, quae iure meritoque primae vocari mereantur. Inveſtiganda erant criteria, quibus veritatum ſyſtema a ſyſtemate errorum dignoſci poſſet. Qua de cauſa hoc primum agit Auctor, ut id quaerat, quod in ideis primum dici poſſit. Poſſibiles cum ſint ideae, et verae, ſimulac nil ipſis ineſt quod contradictorium ſit, in eas ideas erat inquirendum, e quibus vel neceſſario exulet quidquid contradictorium ineſſe poſſet. Quem in finem obſervat, ideam quamvis, quae contradictorii quid includat, duabus minimum ideis conſtare neceſſario, adeoque quamvis ideam non compoſitam neceſſario, eamque ipſam ob cauſſam contradictionem omnem excludere, adeoque, cum ob ipſam ſimplicitatem, per alias ideas notasque internas non poſſit eſſe cogitabilis, per ſe eam cogitabilem eſſe debere. His fuſius enucleatis, reliqua primi capitis parte eiusmodi ideas ſimplices vel non compoſitas quaerit, atque in easdem incidit, quas iam celeber. *Lockius*, in eximio de Intellectu humano tractatu invenerat, alio licet fine, aliaque inquirendi ratione: quales v. gr. ſunt unitas, exiſtentia, extenſio, duratio, vis, ſucceſſio, ſoliditas, mobilitas, ipſumque velle et conſcium eſſe etc.

Ulterius vero, quam fecerat *Lockius*, progreditur Auctor, ſola hac idearum anatomia haud contentus. Detectis

enim

enim ideis ſimplicibus, hoc utique et ſupererat agendum, et requirebatur, ut, qua ratione reliquae ex iſtis componi poſſent, inveſtigaretur, atque talis proponeretur componendi modus, quo vel neceſſario vitari contradictio omnis poſſet. Data, quibus in ſolvendo hoc problemate opus erat, praeter ipſas ideas ſimplices, aderant alia nulla. Requirebantur poſtulata, quibus univerſales atque illimitatae ſuppeditarentur poſſibilitates, et axiomata, quibus limitationes oſtenderentur. Ea vero cum ſit poſtulatorum et axiomatum natura, ut per ſe ſint evidentia, ideis compoſitis iſta conſtare nequaquam poterant, propterea quod ipſae hae ideae compoſitae his axiomatis et poſtulatis debent inniti. Concludit hinc Auctor, ſimplicibus axiomata et poſtulata haec conſtare debere ideis, eaque ideo aliunde peti non poſſe, niſi ex illis ipſis ideis ſimplicibus, quas capite praecedenti enumeraverat. Unde facto rei periculo, ex idea ſpatii, triumque ipſius dimenſionum, illa deducit axiomata et poſtulata, quibus iam inde ab Euclidis temporibus ſuperſtructa eſt Geometria. Similique modo ex idea temporis et durationis axiomata et poſtulata Chronometriae deducit. Idea unitatis Arithmeticae, virium, et mobilitatis idea Phoronomiae et Dynamicae, boni idea Agathometriae, poſtulata ſuppeditat et axiomata geometricis utique perſimilia.

Tertio dein Capite ideas compoſitas, praecipue abſtractas, contemplatur Auctor, quibus metaphyſicae et ethicae poſitiones nituntur, atque ſimul uberrime oſtendit, unde id ſit, quod in his ideis nominumque ſignificatu vagum et arbitrarium occurrit, et quales ſint illae, quarum nomina vel neceſſario indefinitam retinent ſignificationem, quam ſalva lingua, ſalvoque eius genio, figere non datur, quamque contra ea ipſa lingua quovis caſu ita figit, ut quouſque ſit extendenda ipſo phraſium ſenſu et nexu pateat.

Quartum denique Alethiologiae caput veritatem errori et falſo opponit, eiusque nexum et indolem ſic adſtruit, ut pateat, qua ratione veritas ipſa Scepticorum conatus et impugnationes reddat irritas. Suae luci exponitur harmo-

nia illa, quam, quacunque in regno veritatum to vergas, totam quantam deprehendis, quaeque in quovis errorum ſyſtemate integra unaque eſſe nequit. „ Propoſitionem „ quamlibet neceſſario eſſe veram, ſimulac nil inde fluat, „ quod veritati cuipiam contradicat; nullam veritatem a „ ceteris omnino eſſe independentem; negata veritate, ne- „ gari neceſſario quasdam alias, impoſſibile tamen eſſe, ne- „ gare omnes; ita veritates inſidere enti omni cogitanti, ut „ niſi veri quid cogitet, cogitet plane nihil, ipſumque er- „ rorem veritatis ſpeciem mentiri debere, ſi quidem impo- „ nere fucumque facere debeat; errorem nonniſi in hoc con- „ ſiſtere, quod errans plura cogitare ſe credat ac reuera et „ actu cogitat; eo reduci poſſe verum omne negantem, ut „ ſibimet ipſi contradicat; haud ea ratione inter ſe conne- „ xas eſſe veritates, ut aliqua negata reliquae omnes ſimul „ negentur, verum tot ſemper manere ſaluas et inconcuſſas, „ ut errans erroris ſui certus fieri queat; veritates adeoque „ ſibi inuicem mutuo eſſe praeſidio, et quamuis earum a „ ceteris vindicari; negantem veritatem quamcunque com- „ pletam eam haud cogitare; errorem nullum omnino poſ- „ ſe reiici, verumque in quouis errore remanens eousque „ ſeſe extendere, quousque cogitabilis eſt error; hanc „ veritatis notam, qua complete cogitari poteſt, unitatem „ conſtituere abſolutam, baſinque eſſe obiectivae certitudi- „ nis; obtineri hanc certitudinem lacunas vitando et ſaltus; „ poſsibile, verumque omne, rationem poſſibilitatis et verita- „ tis in alio quopiam extra ſe habere, ſimulac nullum de- „ tur poſſibile vel verum, cuius poſſibilitas et veritas per „ ſe cognoſci et cogitari poſſit; dari vero poſſibilitates veri- „ tatesque, ſi rationes a priori ſpectes, hoc quidem reſpe- „ ctu neceſſario primas etc. " Theoremata haec, quatenus id facere licuit, exempli ergo hic coaceruauimus. Demonſtrationes, quibus ea muniuit Auctor, a geometrico rigore parum vel nihil recedunt.

Semiotica, quae tertia Organi pars eſt, generalem tradit ſignorum, ſpecialem vero uberrimamque linguarum

cum

cum actualium, tum et mere adhuc poſſibilium, theoriam? Quaeuis lingua certum nobis offert verborum numerum, quibus vario modo combinandis totam fere vitam impendimus. Hic vero vocum numerus haud certe admodum ingens, ſuoque modo limitatiſſimus, vel ipſi noſtrae cognitioni definitos quodammodo ponit terminos, ipſique peculiarem quandam induit formam, quae in ipſas veritates cognoſcendas et perſcrutandas notabiliter influit. Quae actu dantur linguae nequaquam ſyſtema componunt ordinatum, omnibusque numeris abſolutum; omni quippe ſcientificae cognitioni praeexiſtunt, ſuamque debent originem gentibus rudibus, atque primaeua illa generis humani ignorantia et obſcuritate inuolutis. In omni lingua loquendi uſus tyrannus habetur, cui et literati litterarumque expertes aeque obtemperare debent, quique innumeras in linguis progignit anomalias. Univerſalem quandam linguam, quae nonniſi claue indigeat, ut cuncta ea, quae proponuntur, intelligi queant, inuenire ſategerunt primi ordinis eruditi, hucusque tamen exſpectationem fefellit euentus. Hac ergo ex parte chaos potius videntur eſſe linguae, quam regulare et ordinatum quoddam Syſtema. Quodſi tamen eas propius contuearis, haud pauca animadvertes, quae vere univerſalia et metaphyſica ſunt, ita ut dubitare vix posſis, primas linguarum cauſſas in ipſa hominis natura eſſe quaerendas, atque in eas inquirere operae pretium eſſe. Hac enim ratione detegere datur, quae neceſſario linguis inſint, quae ipſi debeantur naturae, quae mere ſint arbitraria, et quae ſcientifica vocari mereantur, ſimulque diſcerni ab inuicem poterunt, quae metaphyſica, quae characteriſtica, quaeve denique mere grammatica ſint. Quae metaphyſica ſunt, ipſius rei natura; quae characteriſtica, natura ſignorum, ipſiusque ſignificationis; quae denique mere ſunt grammatica, ſolo loquendi uſu nituntur. Singulae vero hae diſquiſitiones, prouti res tulerit, ad Philologiam, Criticam, Grammaticam, et Philoſophiam ſunt adplicandae. Ita vero totam Semioticam pertractat Auctor, ut ſingulos hos ſcopos ſibi ob oculos ponat. Quare

his generaliter notatis, in exponendis ſingulorum capitum argumentis breuioribus eſſe licebit.

Primo capite generalis ſignorum, vel ſymbolicae cognitionis, traditur theoria. Expoſita primum abſoluta ipſius loquelae neceſſitate, generale eorum ſignorum criterium atque principium profert Auctor, quae ſcientifica vocari omni rigore poſſint. Ea nempe debet eſſe illorum indoles, ut ipſius ſigni theoria vicem tenere queat theoriae ipſius rei, ita ut huic illa ſubſtitui poſſit, atque ſingulae ſigni modificationes totidem ipſius rei modificationibus reſpondeant. Expoſito hoc criterio, ſignorum iamiam notorum ſpecies ita perluſtrat Auctor, ut quatenus huic fini inſeruiant oſtendat. Sic v. gr. ſigna chymica, aſtronomica, geographica, itemque Syllogismorum nomina, breuitati tantum et memoriae conſulunt. Muſicorum ſigna, quantumvis commoda et concinna, harmoniam tamen ſonorum, eorumque diſſonantias, non indicant; niſi ex ipſis Muſices principiis eas cognoſcas. Choreographia, ventorumque nomina, magis ſunt ſcientifica; maxime vero et abſolute hac perfectione gaudent arbores quas genealogicas vocant, earumque gradus lineaeque aſcendentes, deſcendentes, collaterales etc. itemque ſyſtema numericum, et ille, quo in algebra utimur, ſignandi modus. Problema enim quodcunque, ſimul ac ad aequationem algebraicam reductum eſt, hac reſoluta, una eademque opera reſolutum eſt. Characteriſticam univerſalem in deſideratis poſuit *Leibnitius*, quae Qualitatum calculum abſolvat. Hanc Auctor ad ſequentem reducit analogiam: uti Algebra ſe habet ad Regulam arithmeticam falſae poſitionis, ita characteriſtica et ars combinatoria univerſalis ſe habet ad modum, quo adhucdum hypotheſes tractamus. Hanc porro Analogiam uberius explicat, eiusque vim ac momentum exponit.

Reliqua, quae primum ſequuntur, novem capita, linguarum theoriam univerſalem abſoluunt, ſiue iam exiſtant, ſiue poſſibiles tantum ſint. Omnes enim linguarum fines, omnesque uſus perluſtrat Auctor. Qua de re capite ſecundo

Digitized by Google

do a primis orditur linguarum elementis, atque inſtituta horum analyſi, 17 reperit vocales ſimplices, 13 vero ſimplices conſonantes. Obſervat porro, datis pro his literis certoque accentuum numero totidem characteribus, quamuis linguam absque ulla difficultate ſic ſcribi poſſe uti enunciatur. Cumque 30 iſti ſoni, vel literae ſimplices, in ſingulis linguis non reperiantur, oſtendit Auctor, quaenam inde fluant ſpecialia cuiusvis linguae ſymptomata. His denique ſubiungit computum ingentis iſtius ſyllabarum numeri, quae datis 30 iſtis literis componi poſſunt, quippe cunctae iſtae ſyllabae ſignificatum admittunt.

Significationem hanc, eiusque multiplicitatem, tertio capite ad examen revocat Auctor, eamque ad quinque capita reducit. In quavis enim Syllaba ſignificatum admittit 1mo quaevis littera, 2do literarum ordo, 3^tio^ Accentus, 4to integra ſyllaba, 5to eius ad alias ſyllabas habitus atque relatio. Quibus expoſitis, actuales ad hoc examen revocantur linguae, oſtenditque Auctor, qua ratione illae et hoc reſpectu maiores perfectionis gradus admittant, quaque ratione ſic componi noua quaedam lingua poſſit, ut nomen rei detur ſimulac res ipſa ob oculos ponitur. Porro ipſam linguarum originem, primasque earum voces contemplatur Auctor, atque exponit, quomodo una cum primitivis integrae dentur derivatorum et compoſitorum claſſes, ſi debite ipſis iungantur ſyllabae vel particulae quaedam, quarum ſignificatio mere eſt metaphyſica.

Tria capita ſequentia, 4^tum^ nempe, 5^tum^, et 6^tum^, ſpecialiorem verborum, nominum, atque inflexibilium orationis partium complectuntur theoriam, metaphyſicam potiſſimum et characteriſticam. Hic fere cuncta ea reperies enumerata, quae in deſideratis ſunt ponenda, ſi eas, quae actu ſunt, linguas, ad unam eamque univerſalem normam exigere velis. Quisnam eſſe poſſit coniugationum, modorum, declinationum, generum, caſuum etc. ſignificatus; quaenam ſit atque eſſe debeat inter diverſas orationis partes relatio; quanam ratione mutetur vocis cuiusvis ſenſus, cum ex una

 oratio-

Digitized by Google

orationis parte vel claſſe verborum in aliam migrat; quaenam ex cunctis his claſſibus verba prima eſſe debeant, etc. Singula haec, pluraque alia maxime ſpecialia, tribus hiſce capitibus diſcutiuntur, hanc ipſam vero ob cauſſam ſpecialiori earum recenſioni non immoramur.

Septimum Caput Etymologiae exhibet theoriam, illamque potiſſimum eius partem, quae verborum origines ſpectat. Nimium prolixae evaderent linguae, ſi quaevis earum voces a ceteris eſſent independentes. Quo ergo concinniores reddantur, hoc potiſſimum requiritur, ut dato minimo vocum primitivarum vel radicum numero, reliquae omnes ita inde derivari queant, ut ipſe derivandi modus mutatam ſignificationem exhibeat. Hoc vero problemate prima pars characteriſtica theoriae linguarum abſolvitur. At vero verborum derivatio et compoſitio non unicum eſt medium, quo novae radices ſuperfluae reddantur. Sic enim unum idemque verbum ſignificatum mutare poteſt, ut metaphoricus reddatur. En ergo alteram Etymologiae partem, eamque fere totam metaphyſicam, quippe hoc nititur, quod in comparandis ſimilibus tertium comparationis vocari conſuevit. Quodſi vero linguas actuales ſpectes, tertia accedit, quae hiſtorica potius eſt, quippe cunctas iſtas complexa anomalias, quas uſus loquendi introduxit.

Octavo capite Syntaxeos theoria occurrit. Verba rerum vices ſuſtinerent, ipſiusque linguae theoria theoriae rei poſſet ſubſtitui, ſi eas, quae actu dantur, linguae vere ſcientifica gauderent conſtructione. Ad hoc tamen examen eas praeſenti capite revocat Auctor, atque ſigillatim diiudicat, quatenus ad ſummum hunc perfectionis gradum actualium linguarum Syntaxis accedat; quinam ſint defectus; et quaenam uſui loquendi et inſcitiae Auctorum cuiusvis linguae debeantur anomaliae.

Comparandae inſuper erant linguae, quae actu dantur, eae potiſſimum, quae eruditae vocantur. Hanc comparationem nono capite inſtituit Auctor, quo exponit, quid ſibi velit id, quod genius linguae nominatur, et quanam ratio-

ne

Digitized by Google

ne quaevis lingua inde a primis originibus ita a ceteris recedat, ut diverſis illis cognitionis noſtrae partibus conſignandis diverſo prorſus ſucceſſu inſerviat.

Decimo denique capite hypotheticum illud, quod linguis omnibus ineſt, indagatur. Verba ſunt idearum rerumque ſigna mere arbitraria, et tacito quodam velut pacto primi linguarum auctores eo devenerunt, ut verborum ſignificatum figerent. Pactum hoc ſubſiſtere pergit, etiamſi linguae ita paullatim mutentur, ut nonniſi effluxo quodam tempore mutationum ſumma animadvertatur. Cum ita loqui neceſſe ſit, ut intelligi poſſis, ab uſu loquendi multum recedere non licet; ut adeo, quantumvis arbitrarius ſit verborum ſignificatus, ſtandum tamen eſſe videatur univerſali illo pacto, quo nititur verborum ſignificatus. Quare id agit Auctor, ut examinet, quousque ceu arbitraria ſpectari poſſit verborum ſignificatio. Cumque definiri omnes voces, niſi continuo novas conficere velis, non poſſint, merito quaeritur, ubinam inchoandum ſit, ſi integrum definitionum nominalium ſyſtema exſtruere velis. Quaeſtionem hanc ita ſolvit Auctor, ut cunctas linguae cuiusvis voces in quatuor claſſes diſtribuat. Quae in prima collocantur voces, definitione nominali non indigent, quippe eiusmodi res denotant, quae oculis obverſantur. Rem enim ipſam cum vides, de nominis ſignificatu parum ambiges. Easdem has voces, at in metaphoras mutatas, in ſecundam claſſem transfert Auctor, atque definitionis loco meram tertii comparationis expoſitionem requirit, quo mutatum ſignificatum intelligas. Tertia claſſis voces illas complectitur, quae per voces utriusque praecedentis claſſis definiri poſſunt ac debent. Hac vero eas diſtinguit nota, ut res denotent abſtractas, ſenſibusque haud obverſantes. Quarta Claſſis, voces tertiae, metaphorico inductas veſtitu, reliquasque omnes complectitur, quarum definitiones ingrediuntur voces ex tribus prioribus claſſibus deſumendae.

Quarta denique pars Phaenomenologiam, ſive theoriam phaenomeni vel adparentiae complectitur. Huius ſcientiae

pars

pars quaedam, eaque ſola hactenus quidem exculta, Optice eſt, quippe quae docet, quaenam ſint rerum viſibilium adparentiae. Quare Auctor primo capite enumerationem reliquarum partium tradit. Prima eas ſpectat rerum adparentias, quae a ſenſibus proficiſcuntur. Altera illas complectitur adparentiarum illuſiones, quae imaginationi debentur. Tertia denique eas, quae affectuum in ſenſus et imaginationem imperio nituntur. Hinc diviſio adparentiae in ſenſibilem, pſychologicam, et moralem. Porro ſenſus cum vel ſani ſint, ſuoque rite fungantur officio, vel morbo affecti: inde altera adparentiae, in organicam et pathologicam, diviſio, quam Auctor et ad ipſam Imaginationem extendit, quippe et haec plus minusve vel delirat quandoque, vel paſſionibus turbatur. His porro diviſionibus alias ſubiungit, dum ſubiectivas adparentiae cauſſas ab obiectivis et relativis diſtinguit. Varia autem harum diviſionum membra dividentia, variis modis inter ſe combinari poſſunt, quippe ſimpliciores iſtae adparentiarum cauſſae fere nunquam non reperiuntur permixtae. Singulae tamen erant enumerandae, quo omni caſu definiri queat, quidnam cuilibet debeatur. Memoratis his adparentiarum ſpeciebus, duas adhuc addit Auctor. Alteram idealiſticam vocat, quippe idealiſtae corpora omnia phaenomenon mere tale eſſe perhibent. Altera illa eſt, quae veri ſpeciem mentitur, atque id complectitur, quod veroſimile vel probabile vocatur. Adiungit denique practicam quandam Phaenomenologiae partem, quam Perſpectivam tranſcendentem vocat, quippe docet, quomodo pingendae, et quocunque demum modo ob oculos ponendae ſint rerum adparentiae, ſive pictorum, ſculptorum, muſicorum, poetarum, quorumvis denique artificum arte id fiat.

Singula iſta primo capite generalius perluſtrantur. Secundum vero Caput in ſpecie adparentiam ſenſibus debitam, tertium pſychologicam, quartum moralem tractat. Quinto porro Capite uberior occurrit veroſimilium, probabilitatis, et certitudinis theoria et computus. Sexto denique tranſcenden-

Digitized by Google

cendentalis illa Perſpectiva traditur, variaeque eius partes enumerantur, atque Poetarum praecipue ars pictoria ad genuina ſua principia reducitur. Nova fere hic eſſe omnia, vel ipſi capitum partiumque tituli docent. Unde ex quinto Capite quaedam ſpeciminis ergo adferemus, quae certitudinem ſpectant. Hujus varias ſpecies has conſtituit Auctor. 1mo Geometrica. Haec praeter ens cogitans aliud nihil ſupponit, atque proin in illis ſcientiis habet locum, quae verae ſunt a priori, qualis eſt Arithmetica, Geometria, Logica etc. 2do. Experientiae quae debetur certitudo, praeter ens cogitans, ſenſus quoque requirit, quibus res experiaris, atque in phyſicis iſta habet locum. 3^{tio}. Hiſtorica denique certitudo duo minimum ſupponit entia, quae cogitent et ſentiant, quorum alterum ideo de veritate propoſitionis vel facti cuiusdam evadit certum, quod ſcit alterum de eadem hac veritate certum eſſe. Tribus his certitudinis ſpeciebus quarta accedit, quam tumultuariam vocat Auctor, quippe nititur argumentis ſufficientibus quidem, at nullo ordine diſpoſitis, ita ut etiamſi certus fias, tamen qua ratione certitudinem acquiris non percipias, cum logica forma, verusque ordo argumentis deſit. Gradatim differunt hae certitudinis ſpecies. Priores poſterioribus ſunt anteponendae; poſteriores vero facilius adquiruntur. Porro individualem eſſe certitudinem ratione perſonae, temporis, loci, et ipſius obiecti, oſtendit Auctor, atque ad eam aſſequendam et retinendam requiri datum attentionis et memoriae gradum, quem unitatem, eamque non quidem infinitam, ſed abſolutam eſſe, atque nonniſi fractiones admittere, docet A. et exemplis illuſtrat. Hanc porro tradit probabilitatis geneſin, ut oſtendat, eam oriri ex confuſione duarum propoſitionum, quarum altera definita, altera vero omnino indefinita eſt. His denique completum ſuperſtruit probabilitatis computum. Patet ex his omnibus, quam lectu dignus liber iſte ſit, et quas laudes *Lambertus*, Vir doctiſſimus, mereatur, quas etiam ab exteris tuliſſet, ſi librum latino potius, quam Germanico idiomate, quod magno ſuo malo negligunt plerique, ſcripſiſſet.

Digitized by Google

FRIDERICI LVDOVICI ABRESCH, Animadverſionum ad Aeſchylum LIBER TERTIUS. Accedit Dilucidationum Thucydidearum Auctarium.

Zwollae apud Simonem Clement. 1763.
Alph. 2. pl. 13. in 8.

Iam nota eſt *Cl. Abreſchii* ratio e ſuperioribus in Aeſchylum Animadverſionibus, quarum indicium etiam in his Actis a. 1750. p. 26. reperitur. Quod autem haec pars, quae *Eumenides* et *Supplices* tractat, ſerius ſecuta eſt, id hoc boni habuiſſe in praefatione monuit, ut auctior prodiret, inprimis iis in locis, de quibus dicendi occaſionem Hagenſis editio cum commentario Pauwii attulerat. Reperient Lectores innumera Aeſchyli loca interpretatione illuſtrata, criſi et coniecturis adiuta, ubique magnam diligentiam, multum item ſtudium in congerendis aliorum ſcriptorum locis, ad firmandas aut inveniendas explicationes, obſervationem veterum editionum accuratam, emendationes et illuſtrationes aliorum ſcriptorum per hanc occaſionem propoſitas; quod inprimis in Aeliano de anim. factum vidimus, vt, ſi quis legere aut edere in poſterum velit Aeſchylum, magnum et inſigne adiumentum ex his animadverſionum libris petere poſſit. Agnoſcet ergo, quisquis iis vtetur, grata mente operam *Abreſchii*, eam praeſertim, quae in illuſtrando loquendi uſu inſumta eſt. Nos vero non credimus, in tanta obſervationum multitudine felici delectu nos ubique uſos eſſe, neque ergo iudicium noſtrum hac ex parte reprehendi volumus, aut cuiquam perſuadere, ut praecipua a nobis excerpta putet: ipſum librum commendamus, qui commemorata a nobis bona certo augebit. Multa inſunt de literarum ſingularum mutatione, ſyntaxi, verborum ordine, ad perſpicuitatem accommodato, quae Lectoribus Aeſchyli iucunda erunt, hic, ne nimis augeretur obſeruationum indicium, poni omnia nullo modo potuerunt. Saepe plura coniunctim de pluribus locis animadverſa ſunt, alia parcius, alia

alia uberius, e quibus interdum unum huc retulimus. Tandem hanc legem nobis diximus, ut ea maxime, quae de Aeſchylo dicta reperiſſemus, hic enarraremus, miſſis iis, quae aliorum ſcriptorum cauſa diſputata eſſent.

Eumenides.

Ad v. 9. verbo λίμνη vindicatur ſignificatio *maris*, ipſum verbum apud Ael. de an. 5, 50. mutatur in ποίμνη, ἡ δὲ ποίμνη καὶ ὁ ἔριφος. — Eſſe εἰσόδους nonnumquam *reditus*, *honoraria*, ad v. 30. oſtenditur: et μακρῷ ſuperlativis additum illuſtratur. V. 68. 69. iungit κόραι γραῖαι, Scholiaſtae verba ſic conſtituit, [κόραι γραῖαι, παλαιαὶ παῖδες] παλαιαὶ γάρ· παῖδες δὲ διὰ τὸ νέον ἢ ἐπειδὴ ἄγαμοι. — Tandem μίγνυσθαι negat hic de concubitu accipiendum, dici tantum hoc, Eumenidibus nec cum deo, nec homine, nec fera intercedere commercium, quoniam in tartaro verſentur. Ποιμαίνειν v. 91. eſt *curare*, quod loca adiecta firmant. (Nonne huc pertinet explicatio Homerici illius, ποιμὴν λαῶν, apud Xenoph. Mem. 3, 2.) Probat correctionem Stanl. et Caſaub. v. 103. καρδία pro καρδίας, et cum λαμπρύνεται confert Ariſtoph. Plut. 653. Defendit Aeſchylum, a Pauwio reprehenſum, qui more tragicorum, ſententiis utentium, verſus 104. 105. adſperſerit, etſi ad Eumenides non pertinent: ineſſe etiam hoc argumentum a minore: Si mens humana corpore ſopito acrius cernit, quanto magis de deabus hoc credere par eſt. Ἀπρόσκοπον, *quod non praevidetur*, v. 105. ut ſingulare verbum notatur, ut et ἀπροσκοπεῖν, μὴ προσορᾶν, apud Heſychium, obiterque alterum ἀπρόσκοπον, quod eſt ἀσκανδάλιστον, illuſtratur. De v. 137. quaedam ſuſpicatur. Primum ſi quis οὐδ', quod alii in σὺ δ' mutarunt, defenderet, ſcribi debuiſſe ἀπουρίσασα, et comma poſt ἀτμῷ poni, ac potuiſſe ab initio ſcriptum eſſe πνεῦμα 'πουρίσασα. Recepto autem σὺδ', ſic verba ordinat: σὺδ ἐπ'. πν. αἱμ. τῷ ἀτ. ſc. αἱματηρῷ, ideoque confert v. 253. Ergo qualis vapor eſt, talem Erinnys vult immitti ventum. Tum illuſtrat paucis τὸ ἐπουρίσαι, i. e. ἐφορμῆσαι. Rurſus dicit, qui ſenſus efficiatur, ſi οὐδ'

 et

et ἀπειρίας legatur, quae nolumus omnia huc transferre. Mutandum putat v. 168. αἰρόμενον in ἀρόμενον vel ἀράμενον, quod et Scholiaſtes videtur legiſſe, cuius verba ſic conſtituit: λείπει ὁ καὶ, ὥστε καὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἐπαίροντα ἔχειν αἱμάτων ἄγος, et de formula loquendi, αἴρειν ὀφθαλμοὺς, loquitur. Diviſo τιμὴν v. 203. legit τί μήν; ut ſit idem, quod πῶς γὰρ οὔ, ſic explicante Suida. Cumque *poenas ſumere*, quod verſio habet, non ſit in graeco ποινὰς πέμψαι, malit πέψαι, i. e. πραῦναι, μειλίξαι, addita totius loci hac interpretatione: *Iuſſi deas ultrices patris placare: quidni?* Vult, v. 211—213. eſſe ἀμοιβαίους, a quo loco Apollo pergit. Eorum primum ſic explicat: τί γὰρ γυναικὸς (περὶ προστεταγμένον ὑμῖν ἐστὶ), ἤτ. α. λ. Defendit v. 227. a falſa latina interpretatione, et ſic ipſe vertit: *Tu meos honores verbis ne imminuas.* Eodem modo v. 228. *Ego vero tuos mihi tribui nolim honores*; in quo τὸ ὥστε vacare putat. Tandem v. 229. ſic cohaeret: *Quia citra meos honores tamen ſatis te eſſe magnum apud Iovem exiſtimas.* Legere ſuadet v. 240. ἐκπερᾶν, etſi vulgatum quoque defenſionem admittit. Cum formula, φυλάσσειν βρέτας, confert praeter alia, ut φρουρεῖν et *cuſtodire*, verſum 80, et Virg. Aen. 2, 568. 574. quae loca ſimiliora videntur Terentiano Eun. 4, 7, 10. Εἶεν eſt ἀναφωνητικὸν, v. 244. non recte olim verſum, *ſit ita.* Permulta exempla paradoxi, ut videtur, quale eſt v. 250. ἄπτερον πώτημα, ad h. l. collecta ſunt; quod nobis ideo placet, quia ſic fons alicuius formulae, imitatio, et variatio diſcitur. V. 258. γ' οὖν ſcribendum, ex editionibus, et v. 260. forte οὐ ante χρεῶν inſerendum, ut hic ſenſus ſit: *Hic rurſus robur ac fiduciam habens in deae ſimulacro, quod amplexus tenet, manuum iudicio ſe ſiſtere recuſat.* Explicatur ὀρθὸν et κατηρεφῆ τιθέναι πόδα v. 294. illud eſt *incedere*; hoc *ſedere* vel *ſtare in curru*, atque ita dicit indicari deae τὸ ἐνεργὸν ἐν [illegible] ἀρήγειν. E longa diſputatione de v. 361. ſqq. ponemus ordinem verborum, quem inſtitui poſſe putat: σπευδόμεναι δὲ (ἐσμὲν) ἀφελεῖν τάσδε μερίμνας (τοὺς ἀνθρώπους) οὔ τινα δὲ (i. e. δή, nempe) θεῶν ἐπικραίνειν τέλος (ſic enim ἀτέλεια diſſolvit in οὐ τέλος, et adiri vult Diluc. Thuc. p. 28.)

Digitized by Google

28.) (ταῖς) ἐμαῖς λιταῖς, μήδ᾽ ἐλθεῖν εἰς ἀνάκρισιν. Ζεὺς γὰρ (ὅτι ὁ Ζεὺς) ἀπηξιώσατο ὡς λέχης (τῆς αὐτοῦ λε. τὸ) αἱματ. ἀξιόμ. ἔθνος τόδε (i. e. ἡμᾶς τὲς ἀξιομίσους.). Neceſſariam iudicat ſuſpicionem Canteri; καὶ νῦν v. 405. mutantis in καινήν, ut melius cohaereat oratio; illud autem καινὴν interpretatur παράδοξον, ideoque θαυμαστήν. Sed ὁμιλίαν χθονὸς quaſi χθόνιον dicit eſſe, φοβερὰν, δεινὴν, βαρεῖαν, ut v. 1033. 723. 714. laudatque in hanc rem Euſtathium ad Odyſſ. δ. p. 168. v. 33. Ruſus improbat verſionem v. 447 ἐκ τῶν — μέγα, quae ipſe ſic explicat: *liberabo te magna cura, quae, quantum ex poſtremis tuis verbis colligo, te habet ſollicitam.* Corruptum v. 484 verbum δυσπήματ᾽ poſt aliorum coniecturas credit, cum toto loco, ſic ſanari poſſe: πέμπειν τε δυσπετήματ᾽ (vel δυσσεβήματ᾽) ἀμήχαν᾽ ὥστε μοι, nam adverbio ἀμηχάνως non eſſe locum, ὥστε poſt τοιαῦτα poni, et pro δυσπ. ſubſtantivum deſiderari. Ergo effici hunc ordinem: ἀμφ. μὲν τάδε τό τε μέν. καὶ τὸ πέμπ. τοιαῦτά ἐστι δυσπετήματα, ὥστε εἶναι αὐτὰ μοὶ ἀμήχανα. Erunt autem δυσπετ. ἀμήχανα δυσχερεῖς καὶ ἄποροι δυσπραγίαι. Conſtituit v. 520 verba paulo aliter, ac eduntur: ἔσθ᾽ ὅπου — δειμανεῖ, cum interrogandi nota. Senſus hic eſt: *Si Iuſtitiae ceciderit domus, nec inſpexerit amplius facta hominum, eſtne erit ve, quod quis vsquam metuat amplius?* Futurum δειμανεῖ neceſſarium faciunt ſenſus et metrum. Diligenter agit ad v. 603 de verbis προσβάλλειν, προσπηδᾶν, προσπίπτειν, quae (ut latina, *allabi, illabi, accidere ad aures*) de re quavis, ſenſus movente, uſurpantur. Eſt in v. 653 ἄνω τε καὶ κάτω στρέφειν, qua occaſione oſtendit, quam multis verbis Graeci τὰ ἄνω et κάτω iunxerint, ut φᾶναι, σπουδάζειν, λέγειν, etc. Indicabimus ultimo loco, quod de v. 912. ſqq. iudicauit. Primum hunc ordinem inſtituit: ἄνωγα ἐφυμνῆσαί σε (e. v. 905.) — τῶν βροτείων σπερμ. σωτηρίαν. (στέργω γὰρ δικαίων). Τῶν δυσσεβ. δὲ ἐκφορ. πέλοις, ὧν ἀπέν. τ. γένος, facta parentheſi, quam indicavimus. Deinde τῶν δ᾽ legit, non coniunctim τῶνδ᾽. Erit ergo ἐκφορωτέρα πέλοις idem, quod ἐκφέροις, ἐκφέρεσθαι ποιοίης, *perdendi et funebri ſignificatu*, ut ἐκφέρειν.

 Item

Item τῶνδ' ἀπένθητον γένος eſt; ἐκείνους οὐδεὶς ἂν πενθήσειε. Nempe πέλοι repetendum videtur. Obiter explicat Heſychianum, ἐκφορεῖ, σπανίζει, (e correctione Salmaſii) quod eſt σπανίζειν ποιεῖ, σκορπίζει.

Supplices.

V. 3. malit ἀποπρὸ ϛομίων. Interpretationi obſcurae τοῦ πεσσονομεῖν in ſcholiis ſuccurrit, ſuadendo ὑπὲρ (pro ὑπὸ) τούτων λογίζ. Illuſtrat φυγὴν ἀπὸ γῆς v. 78. ſimilitudine latinae linguae, *fugere a diis*, Arnob. 5. p. 178. *Apul. apol.* 2. *a magiſtris*, ib. p. 224. Legendum ſuſpicatur v. 89. εἴθ' εἴη Διὸς, εὖ πᾶν ἀληθῶς, *utinam ſolius Jovis negotium eſſet! bene ſe totum haberet*, cum nihil adverſetur huic interpretationi. Ibidem φλεγέθειν, de re, quae clare cognoſcitur, comparavit cum Soph. Oed. Tyr. 481. λάμπει φάμα. Tenet v. 104. vim *armandi* in verbo ἐξοπλίζειν, vertitque: *Iupiter nullam inpune armat vim.* Emendat v. 113 δυσπαραιβούλοισι. Admonet de adiectivo ῥύσιος v. 156. talia formari a futuris, ut ἐλάσιος, τιμήσιος, Ael. de anim. 11, 7. ὑμνήσιος, 12, 5. ὀρθώσιος. Quoniam θύειν in actiuo eſt, *ferri impetu*, notandum eſt v. 194. paſſivum τεθυμένος, et ipſe ſuſpicatur τεθυμμένος, quod etiam Aeliano de an. 14, 25. reſtitui vult. V. 290. quia Cyprus inſula intelligi nequit, cepit de Cypro Lybiae. De reliquis ſic iudicat, ut, ſervato ἱπποβάμοσι, legatur ἀϛραβιζούσας, ſervato autem ἀϛραβιζούσαις, ſcribatur ἱπποβάμονας, aut ſublato poſt ἀϛραβ. commate, poſitoque ἀϛυγειτονουμένους, locus ſic explicetur: ἀκούω τε Ἰνδοὺς νομάδας ἀϛυγειτονουμένους εἶναι (τοῖς) ἱπποβάμοισιν (ἐπὶ) καμήλοις ἀϛραβιζούσαις χθόνα παρ' Αἰθίοψιν, *Eſt et commercium, ut audio, Indis Nomadibus et Aethiopibus*; ut adeo ex utriusque gentis coniugio vos prognatas quiſpiam ſuſpicari poſſit. V. 319. et cum eo v. 19. ſic explicat: *quomodo igitur vocatur Iovialis vitulus?* intellecto ὄνομα poſt τί. Non aptam ſatis exiſtimat v. 344. reſponſionem interrogationi: unde mavult εἰ τοῖσι pro αἰτοῦσι, quod nobis quidem non prorſus neceſſarium viſum eſt, qui talem eſſe reſponſionem putamus: *Noli dedere de-*

nillo

nuo petentibus Aegypti filiis; quae reſponſio et modum εὐσεβείας declarat, et aliquid precum adjunctum habet. Ἀκρατον v. 376. interpretatur οὐ κρίσιμον, κρίσει οὐχ ὑπεύθυνον. Verſui 405. εἴπῃ τι μὴ τοῖον τύχῃ, adſcripſit, pro μὴ ἀγαθὸν. (Nempe hoc ſequitur ex illa formula, de qua vid. Erneſti ad Callim. H. in Del. v. 27.) Cum v. 441. ſqq. comparat Horat. C. 1, 38. 30. Admonet v. 450. προσηγμένον eſſe latinum, *adductum*, *adſtrictum*, *adactum cuneis nauticis*. Verſum 473. ſic legi vult: αἰν' τεῦχος, ἀλλ' ἀπλῶς Φράσον, (quamquam et vulgaris lectio ſtare poteſt,) ibique permultis exemplis illam αἰνίγματος et ἀπλότητος oppoſitionem defendit illuſtratque, item coniunctionem Φανερῶν et σαφῶς aliorumque, cum illo ἀπλεῦς. Immutatum varie et crebro uſurpatum dicendi modum, λιμὴν κακῶν, de re vel loco, ubi quis a malis tutus eſſe cupit, ad v. 480 perſecutus eſt multis, quod genus obſervationum ad copiam diiudicandam egregie prodeſt. V. 565. ſuadet εἰσκλονουμένη, hoc ſenſu, κλονουμένη τῷ βέλει τῦ βοὸς πτερ. ἱκνεῖται εἰς ἄλσος. Cum non apte dicatur v. 607. δύλιος Φρὴν, *animus ad obſecundandum paratus*, vel βεύλιος cum Pauwio legi vult, quod verbum eſt Choeph. 670., vel e ſua coniectura δεύλιος, ut v. 97. Ad v. 625. Scaligeri coniecturam, προφωνῶν legentis pro πρέφρων ὢν, exemplis ſimilium in verbis divellendis errorum illuſtravit. Probat etiam v. 626. πόλιν pro πέλιν, ſibique dicit Optat. παχύνοι pro infin. ponendum videri. V. 722. ναῦς κλύουσα οἴακος confertur cum Stat. Theb. 5, 412. *clavum audire negans prora*. Praeterquam quod v. 813. pro πόρον εὖρω reducere ex Roberti. ſuadet τέμνω, oſtendit, quomodo τέμνειν a ſimilitudine τοῦ τέμνειν ὁδὸν et θάλασσαν ad alia tranſlatum ſit, ut ψεύδη τέμνειν, h. e. διεξελθεῖν, Pind. Ol. 12, 8. τέλος μακρὰν τέμνειν, 13, 80. In locis difficilibus v. 833. ſqq. 839–843 ordinandis verbis, et varie explenda ſententia, efficere voluit, ut ſenſus probabilis ineſſet: noluimus hic ita inſtitutum ordinem repetere. Laudatis ad v. 892 aliorum lectionibus, quid lateat ſub μαλδαάγει, quaerendum relinquit,

ac

Digitized by Google

ac ipſe quidem ἀμαθύνει aut ἀμαλδύνει ſuſpicatus, negat tamen reliquis hoc convenire. Exemplis perſpicuis oſtenditur, τόπον εὔφρονα v. 979. esſe εὐφραντικὸν, ἡδύν. De v. 1008. 1009. haec monentur, videri punctum inducendum; legendum porro κηρύσσειν κύπρον, χλωρὰ κωλύουσαν ὡς μένειν ἐρῶ, ἐρῶ autem interpretandum, *amo*, *amplector*, ſic effici hunc ſenſum: ἐρῶ κύπρον κηρ. καρπ. στάζ. καὶ κωλ. μένειν (αὐτὰ) ὡς χλωρά.

Auctarium Dilucid. Thucyd.

L. 1. c. 68. f. ἐπιχειρῆσθαι. Docetur, ἐπὶ in compoſitis eſſe πολλάκις, quod quidam transferant ad ep. Iud. v. 3. ubi ἐπαγωνίζεσθαι ſignificare poſſit, *perſeverare in certamine.* Idem erit ἀποχειρῆσθαι, quod rurſus exemplis explicatur, in quibus eſt Ael. de an. 8, 17. ἀπολέλεκται, pro ἱκανῶς λέλεκται. C. 70. γνῶναι eſt *cognoſcere*, ἐπιγνῶναι *cognoſcere ultra*, *cogitatis addere.* C. 87. ἐπιψηφίζειν. Augetur numerus exemplorum, in Dilucidationibus poſitorum, in quibus verbo eſt aggregata ſignificatio. Nondum ſe conſtituere potuiſſe dicit, vtrum verbo ἀναβιοῦν agendi notio detrahi poſſit, an apud Ael. de an. 2, 29. pro ἀναβιώσεις ſit ἀναβιώσει ponendum, et apud Palaephatum c. 41. ἀναβιῶσαι, ut ἀναβιῶναι e lectione cod. Oxon. ἀναβιῶναι ποιῆσαι, quod ſcholion eſſe videatur, in contextum venerit. Ibidem agitur de verbo διαγνώμης, quod *rei cauſaeque cognitionem* notat: nec, niſi de pluribus populis ſermo ſit, dici ſolet ποιεῖσθαι διαγνώμας, verum διαγνώμην. Fruſtra Thomas Mag. διάγνωσιν parum Atticum verbum dicit, quo Plato Legg. 2. 684. E. uſus eſt. Ad c. 93. explicatur locus e Xenoph. Anab. p. 136. ed Hutch. ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαισεν (Suidas in ἐπιτήδ. habet ἔπαιεν) ἄν, ubi ἐπιτήδ. vertit, *cui plurimum favebat*, ut Clearchus, huic verbera intendens, ſignificare voluiſſe videatur, quid eſſet alii, ſegnius agenti, exſpectandum. C. 120. ἐν πόρῳ eſt ἐγγὺς, *prope*, *ad tranſitum*, unde defenditur Pauſan. Boeot. p. 726. ἀγάλματα ἐν τῷ ποταμῷ Sic et ἐπὶ occurrit: in exemplis Ioan. 4 6. ponitur. Explicata locis conferendis vi ſententiae, εἰδὼς

τες

τοὺς ἀνθρώπους, ſqq. c. 140. agitur multis de ἀναπείθειν, *impellere quocumque modo*, atque adeo loco τοῦ μεταπείθειν vſurpato.

L. 2. c. 35. τῷ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες, ἤδη καὶ ἀπιστοῦσι, ſic explicat, ut praeferat αὐτὸν, et comma poſt ἤδη ponat, hoc ſenſu: τῷ ὑπερβ. (πράγματι) αὐτὸν φθον. ἤδη, ἀπιστοῦσι (τοῖς λεγομένοις). Occaſione c. 49. e quo, quae potuit, repetiit Aelianus de an. 14, 20. defenditur hic ſcriptor quoad verbum ἀναπλεῖν, de vomitu ſurſum tendente. Sic enim verbum vſurpatur de fluido ſurſum nitente, ut Ael. 2, 48. de aqua, 5, 52. de Nilo, unde 2, 54. de cibo etiam tenendum eſt τροφὴν ἀναπλεῦσαν ἐπεσθίειν. C. 60. in his, τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο, malit ἀπολοῖτο e codice, quia πωλεῖσθαι activo ſignificatu a Graecis dictum eſſe dubitat, ne cum altero πωλεῖσθαι, *verſari*, confunderetur; etſi in aliis verbis hoc fieri ſolet. Ad c. 72. monentur quaedam de copia Thucydidis ex unius notionis variatione. C. 81. tropi in verbo ἀμβλὺς illuſtrantur, tum de etymo diſputatur, quod cum Euſtath. ad Od. α p. 40. v. 38. duci quidem poteſt ab ἀναβάλλειν, ratio autem ſecundum *Cl. Abreſchium* eſt in τῷ ὑπτίως καὶ ἄνω βάλλεσθαι, κάμπτεσθαι τὴν ἀκὴν καὶ αἰχμὴν, atque adeo διπλοῦσθαι, quorſum et Valer. Fl. Arg. 3, 140. refert, *duplicata ſecuri* diſiecit ora, i. e. tam vehementer, ut ſecuris duplicaretur et obtuſa fieret. Hinc διπλόαι apud Plutar. T. 2. p. 802. B. (διπλόας ἐν σιδήρῳ μαλάσσειν καὶ καταλεαίνειν) ſunt ſquamae laxae et tenues, a malleoli impulſu, quae quia κοίλωμα relinquunt, nec facile interdum deprehenduntur, διπλόη forte dicta eſt *ſpecies virtutis externa*, latente intus improbitate. Ceterum ferrum etiam dicitur ἀνακόπτεσθαι, *obtundi*, Ariſtid. T. 3. p. 690.

L. 3. c. 82. legitur ἐπέπεσε, πολλὰ καὶ χαλεπὰ, ubi τὸ καὶ pro καὶ ταῦτα poſitum videri, dixerat in Dilucidatt. Nunc addit, poſſe πολλὰ verti *gravia*, *difficilia*, ut alibi ſignificet *vehementia*, *inſignia*, cuius utriusque exempla poſita ſunt, in quibus eſt e Plat. Phaedr. 347. ἵππος πολὺς,

λύς, cuius verſio, *equus multiplex*, recte obſcuritatis accuſatur. Ipſe putat, eſſe σφοδρὸν et ἀκατάσχετον, quem antea dixerat Plato κελεύσματι μόνον καὶ λόγῳ ἡνιοχεῖσθαι. Sed cum in omnibus exemplis maneat quodammodo notio multitudinis, altera, *inſignis*, *vehemens*, *gravis*, adiunctum ſit aut effectum, (non poteſt enim πολὺς per ſe ſignificare niſi *multum*,) neſcimus, quomodo in ἵππος πολὺς nimis durum ſit, dicere *multum*, et intelligere *ferocem*: non tamen pugnabimus. Quae praeterea ſunt ad hoc caput operoſe diſputata, ea nimis ampla, quam pro hoc excerpendi conſilio, ideoque tantum indicanda putauimus.

L. 4. c. 27. explicat ἐπιτιμῶν ſignificatu *interdicendi* poſitum, et exempla ſacrorum librorum laudat. C. 30. προπέμψας ἄγγελον, ὡς ἥξων, eſſe dictum pro indicatiuo, ὡς ἥξει, firmatur. C. 74. oſtenditur, nominibus addi ſaepenumero caſum, qui a verbo, eius ſubſtantivi themate, pendere ſoleat, ut σωτηρία εἰς οἰκίαν, πρόσβλεψις τῷ, θεῷ δόσις ἡμῖν, φθορὰ ὕδασιν.

L. 5. c. 4. ἀπολιπόντες ἐκ τῶν Συρακουσῶν. Hic multa ſunt de breviloquentia congeſta. Merito laudamus, varietatem formulae, οὐκ ἔφη τοὺς λόγους τοῖς ἔργοις ὁμολογεῖν, ad c. 55. demonſtratam, velut ἰσόῤῥοπος ὁ λόγος τῶν ἔργων, τοὺς λόγους ποιεῖν πράξεις, τὰ ἔργα συμφωνεῖ τοῖς λόγοις, ὁ βίος σύμφωνος τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα, et alia. De κοινᾶν ἐόντων c. 79 admonet, Valkenarium ad Eur. Phoen. p. 65. his in unum iungendis, κοινανεόντων, veram lectionem reſtituiſſe.

L. 6. c. 46. οἱ ἐκ τῶν τριηρῶν Ἀθηναῖοι occurrit. Notatis interpretum erroribus in hac et ſimilibus formis, ut τὰ ἐξ Ἑλλήνων τείχεα, τὰ ἐξ ἀνθρώπων κακὰ, πράγματα, πληγαὶ, ſibi dicit videri ſic aptiſſime exponi, v. c. αἱ ἐξ ἀνθ. πληγαὶ, ὅσας δυνατός τις ὑπ᾽ ἀνθρώπων πάσχειν, e quo et de de ceteris poteſt coniectura fieri. Ad c. 53. admonet, etſi μεμηνυμένοι περὶ τῶν μυστηρίων malit iungi, quam ἀσεβοῦντες π. τ. μυσ. tamen et poſterius locum habere, et permulta contulit immutatae ſyntaxeos in περὶ cum ſecundo et quarto caſu exempla. L. 7.

L. 7. c. 73. oſtendit, συγγινώσκειν eſſe γινώσκειν σύνολον id, de quo ſermo ſit; nec ergo ſcholion, τὰ αὐτὰ γινώσκειν, de quo in theſauro Stephanus diſputat, preſſe verbum interpretatur, ſed ſenſum. C. 78. haec leguntur, τινὲς καὶ ἐκ δευτέρων ἢ τοιῶνδε ἐσώθησαν. Non vult penitus reiicere illud ἢ, ut pleonaſticum, cum et huius exempla occurrant, et aliarum particularum cum ſuo caſu, ſimili modo poſt comparativos pro genitivo uſurpatarum, ut ἀντὶ, πλὴν, πρὸς, etc.

L. 8. c. 4. ξυστέλλεσθαι εἰς εὐτέλειαν. Et hoc verbum ſic dici, et alia eodem modo, ut συνάγειν, συναθροίζειν, συλλέγειν, συναγείρειν; hisque oppoſitum εὐρύνειν, apte ad intelligendam graecae linguae copiam docetur. C. 73. ſuſpicatur, verba ἐν νηῒ πλέοντας eſſe additamentum. Similis ſuſpicio de Platonis et Aeliani locis ſignificatur. C. 90. examinatur ſententia Iſ. Voſſii ad Melam p. 510. qui verbum διοικοδομεῖν ſic definierat, *aedificationem ſeparare et dividere*, *locumque intermedium vacuum relinquere*, cuius explicationis partem ultimam malit *Abreſchius* omitti, aut ſic conſtitui, *interjecto muro*, *foſſa*. Laudantur duo Platonis loca in Tim. p. 543. A. in quorum altero ſynonymum eſt μεταξὺ τιθέναι, in altero, ἐς τὸ μέσον τιθέναι. Conferri vult Weſſel. ad Diod. Sic. T. 1. p. 586.

Ex his credimus ſatis intelligi poſſe Auctarii pretium, in quo cum ſaepe impeditiora loca verbis ordinandis expedire tentaverit, tamen horum indicium brevitati ſervientes praeteriimus, inprimis quod ipſas Dilucidationes ab omnibus legi ſcimus.

KALENDARIA ECCLESIAE UNIVERSAE, IN QUIbus tum ex vetuſtis marmoribus, tum ex Codicibus, tabulis, parietinis, pictis, ſcriptis, ſcalptisve, Sanctorum nomina, imagines, et feſti per annum dies, Eccleſiarum Orientis et Occidentis, praemiſſis uniuscuiusque Eccleſiae originibus, recenſentur, deſcribuntur, notis-

Digitized by Google

que illuſtrantur. Studio et opera IOSEPHI SIMONII ASSEMANI, Bibliothecae Vaticanae Praefecti, et Sacroſanctae Baſilicae Principis Apoſtolorum de urbe Canonici. TOMUS V. Kalendaria Eccleſiae Slavicae, ſive Graeco-Moſchae: Alphab. 3. TOMUS VI. Alphab. 3. plagg. 6. in 4.

Romae, ſumtibus Fauſti Amidei, MDCCLV.

Conſtituerat *Aſſemanus* V. Cl. ſuis in eccleſiaſticas Sclavorum Origines animadverſionibus Tomo quarto finem imponere, ita ut initio huius Quinti Voluminis Graeco-Moſchas Capponianas Ephemerides illuſtrandas aggrederetur: ſed vidit deinceps, multa ſupereſſe adhuc, eaque non levis momenti, de Slavis graecum ritum colentibus, ut Serblis, Boſnenſibus, Valachis, Bulgaris, dicenda. Igitur primam huius Tomi penultimi partem Slavicis iſtiusmodi rebus exponendis addixit; parte altera, a pag. 208. ad finem, Tomo item ſexto integro, Capponianas Tabulas illuſtraturus. Tuetur morem ſuum Auctor diligentiſſimus, atque, ut eſt infinitae lectionis, quidquid invitante materia inſerviturum operi exiſtimat, non parca manu quidem, ſed experte ordinis methodo, adſcribere pergit. Quibus rebus effecit, ut multa inſint praeclara his Kalendariis, quae volupe erit Slavicarum antiquitatum ſcrutatoribus cognoſcere; ſed tamen etiam multa, quae nemo mortalium, quia huc non pertinent, hic quaeſiverit. Adhaec viſus nobis eſt λεπτολέγος ſaepenumero, de rebus nihili grandia proloqui, et ſubtiliter diſputare, quod fere evitare eum non poſſe exiſtimamus, qui de rebus talibus tot Volumina conſcribere in animum induxerit. In quo ineſt Viri doctiſſimi iuſtiſſima excuſatio. Sed, age, proponamus Lectoribus noſtris, utriusque Tomi, qui ſunt ultimi operis totius, argumenta.

Eſt igitur *Tomi V. Pars Prima* de Originibus eccleſiaſticis *Serblorum*, *Albanenſium*, *Boſnenſium*, *Valachorum*, *Bulga-*

Bulgarorum. *Caput I.* Serbliae et Albaniae deſcriptio, urbes, populi. 1. Serbliae, ſive Serviae deſcriptio. 2. Albanenſes a Schismate ad Eccleſiam Cathol. ſub Innoc. IV. regreſſi. 3. Albania, alias Arbania, regio, eiusque urbes. Albanenſes, alias Arbanenſes et Arnauti, advenae in Epiro. 4. Antiqui recentesque Dalmatiae et Illyridis populi. 5. Chrobati et Serbli iuxta Porphyrogenitum pleramque Dalmatiae et Albaniae partem obtinebant, relictis Graeco Imperio nonnullis maritimis civitatibus atque inſulis. 6. Praecipuae Albanenſium urbes. 7. Serbliae fines et urbes.

Caput II. Serviae et Raſciae Reges ab an. circiter 1040 ad an. 1368. quo Neemanis poſteritas defecit. Sanctus Sabas, Serviae Archiepiſcopus, poſtea Monachus. Eius ſucceſſores in Serviae Archiepiſcopatu Pecenſi, quem ſibi titulum attribuant. Albaniae Principes, eorumque Archiepiſcopus, dictus Montis nigri. 1. Series regum et principum Serviae, ex Cangio. 2. Servia ab an. 950 ad 1034. partim Bulgaris, partim Byzantino Imperio ſubdita. Stephanus Boiſthlabus, a clientelari ſervitute, in plenariam libertatem Serviam aſſerit. 3. Michael, poſt Stephanum patrem, Serviae princeps, Bodino filio Bulgariam concedit. 4. Sancti Gregorii VII. Papae Epiſtola ad Michaelem Serviae principem. 5. Bodinus, Michaelis filius, Serviae princeps, una cum filio Michaele. 6. Raſciae Regni deſcriptio, eiusque antiqua nomenclatura. Stephanus Raſciae Serviaeque princeps. Liubimirus eius filius. Uroſius filius Liubimiri. Deſſa filius Uroſii. Nemanias, Creſimirus, et Miroslavus, filii Deſſae. Simeon, Stephanus nuncupatus, filius Nemaniae. Simeonis filii tres ex Geliza uxore, Wkſanus, alias Vulcanus, Dalmatiae et Diocliae princeps: Vencianus, ſeu Stephanus, Serviae Raſciaeque princeps; et Raſcus, poſtea Sabas appellatus. 7. Vulcanus et Stephanus, fratres, filii Simeonis, Stephani nuncupati Primus Dalmatiae et Diocliae Rex: alter magnus Serbliae Iupanus. 8. Innocentii III. Papae epiſtolae VIII. ad Reges, Iupanum, uxores eorum, Archiepiſcopum, Epiſcopos, aliosque per Dalmatiam et Diocliam, de

Digitized by Google

Legatione Ioannis Capellani, et Simonis Subdiaconi. 9. Vulcani, Dalmatiae et Diocliae Regis, epiſtola ad Innocent. III. de Synodo in Dalmatia celebrata, deque haereſi Banculini Boſniae Bani. 10. Epiſtola Stephani, magni Iupani totius Serviae, ad Innocent. III. Papam de Legatorum ſusceptione. 11. Io. Dioclien. et Antibarenſ. Archiepiſcopi epiſtola ad Innoc. III. de transmiſſo ſibi Pallio, et quid Legati in Synodo egerint. 12. Acta Synodi Dalmatiae et Diocliae an. 1199. celebratae. 13. De cauſſa Dominici, Suacenſis Epiſcopi. 14. Vulcanus a Stephano fratre Regno exutus, ab Hungariae rege reſtituitur, poſtquam is Serviam ſuae ditioni ſubegiſſet. 15. Stephanus, Vulcano fratre, ſive mortuo, ſive deiecto, Regnum occupat, et ab Honorio III. Papa coronam regiumque nomen impetrat. 16. Theodorus Serviae Epiſcopus. Pecium, ſeu Servia, Metropolis, eique ſubiectae Epiſcopales Sedes. 17. Sabas, Stephani Raſciae ſeu Serviae principis filius, monaſticam vitam agit in monte Atho, in Monaſterio Chilantarii, ubi et Pater Monachum induit. Serviae Archiepiſcopus deſignatur. 18. S. Sabas, Vicarius Latini Patriarchae Conſtantinopolitani, Patriarcha Serviae et ipſe dictus, Graecis, Latinis, Slavisque in Serviae Regno habitantibus, praeerat. Abdicato Epiſcopatu in montem Atho ſe confert, et in Mileſcevo coenobio moritur circa an. 1250. Eius reliquiae a Turcis exuſtae. Illius in Epiſcopatu ſucceſſor nuncupat ſe Archiepiſcopum Pekenſem, et omnium Serblorum et Bulgarorum, atque totius Illyrici Patriarcham. 19. Stephanus Uroſius, Sancti Sabae ex Stephano Rege nepos, Serviae Rex, cum Helena uxore. Eorum filii Stephanus Draguntinus, et Uroſius Milutinus. Nicolai IV. Papae ad Uroſium et Helenam Epiſtolae. 20. Stephani Uroſii et Helenae, Serviae Regum, ſtudia pro Bulgaris ad fidem catholicam revocandis, et pro haereticis in Boſnia profligandis. Nicolai IV. Papae ad illos epiſtolae, qui et eos in clientelam Sedis Apoſtolicae recipit, et Petrum in urbe Sava Epiſcopum, iisdem rogantibus, inſtituit. 21. Ad Helenam Reginam ſcribit Nicolaus IV, ut Stepha-

num

Digitized by Google

num Dragutinum et Uroſium Milutinum, ipſius filios, ad catholicam fidem revocare ſtudeat. Benedictus XI. de Schismate in Serviam illato, ad Martinum Archiepiſc. Antibarenſem, et ad Regem Serviae litteras mittit. 22. Sub Clemente V. Stephanus Uroſius Praedicatores petit, ut ſubditos catholica fide inſtruant, ſibique Vexillum deferant: ſed irrito conatu. Servii tunc temporis Schismatici. 23. Albaniae principes, adverſus Uroſium, Serviae regem Schismaticum, Ioannes Papa XXII. exſtimulat. Uroſii mors, et Nepotes Uladislaus et Conſtantinus. 24. Stephanus Uroſius, Uroſii filius nothus, Serviae Regnum occupat, et a Io. XXII. legatos poſtulat, qui fidei ſuae profeſſionem excipiant, ſibique legitimationis diploma deferant. Oroſius a Pontifice vocatur. 25. Stephanus Duſcianus, Stephani Uroſii filius, Oroſius et ipſe dictus, Imp. Romaniae Slavoniae et Albaniae ſe appellat: ad Innocent. VI. nuntios mittit: dubiae Rex fidei. 26. Indictum iuſſu Innocent. VI. Papae bellum in Serviam Schismaticam. Item in haereticos Bosniae ab Urbano V. exſtimulatus Rex Hungariae. Boſniae Banus Thwartkus haereticus, Stephanum fratrem catholicum inſectatur. 27. Urbani V. Papae literae ad orthodoxos Albaniae principes. 28. Uroſius, Stephani et Helenae Bulgarae filius, poſtremus Serviae Rex.

Caput III. Bosniae deſcriptio, eiusque Epiſcopi et Bani, ſeu Reges, ab anno circiter 1200. ad 1478. Haeretici Patareni, ſeu Cathari et Manichaei, cura ſummorum Pontificum et Regum Hungariae, e Bosniae regno exterminati. Catharinae Reginae Bosnenſis, Romae ſepultae, epitaphium. 1. Culinus Banus, Bosniae Dominus, Bosniae Epiſcopus, Patareni fratres Boſnenſes haereſin eiurant: de quibus Io. Capellanus, nec non Rex Hungariae, ſcribunt ad Innocent. III. Papam. 2. Bernardus Spalatenſ. Archiepiſcopus, Matthaeum et Ariſtodium pictores, in haereſin Patarenorum lapſos, aliosque ab iis corruptos, ad Eccleſiam catholicam revocat. 3. Honorii III. per legatum Aconcium, Subdiac. et Capellanum, perque literas, ſtudia, ad exterminandos e Bosnia,

nia, Soy, et Woſſora, haereticos Patarenos. 4. Gregorius IX. Papa non ſolum Iudaeos et Saracenos in Ungaria reprimendos curat, ſed etiam Epiſcopum Boſniae, qui a recta via deflexerat, e gradu pelli iubet, aliosque Antiſtites orthodoxos Bosniae praefici. Zibislavum, Culini ſucceſſorem, laudibus exornat. 5. Idem Gregorius IX. Papa praecipit Epiſcopo Cumanorum, ut Vicarium ſibi conſtituat Valachorum genti conformem, a quo ii ſacramenta percipiant, ne illa ſibi ab Epiſcopis Graeci ritus Schismaticis adminiſtrari cogantur. 6. Epiſcopum orthodoxum, in locum haeretici deiecti ſubrogatum, laudat Gregorius IX. Papa, una cum Zibislavo Bano Bosniae, propter eximium illorum in exterminandis haereticis Boſnenſibus ſtudium. Item Belae fratrem, Colomanum Regem, ad coepta adverſus eosdem haereticos urgenda adhortatur, ſcriptis tum ad Colomanum et Praeſules Carniolae, Iſtriae, Dalmatiae, Bosniae, Croatiae, Serviae, et aliarum finitimarum provinciarum; tum ad Zibislavum Bosniae Banum, eiusque matrem, litteris. 7. Colomanum Slavoniae et Galiciae ſeu Haliciae regem, qui et Ruſſiae Rex dicitur, excitat Gregorius IX. ad exſcindendos e Bosnia haereticos: iubetque a Cumanorum Antiſtite novum Bosniae Epiſcopum praefici, quem et dignitate Legati Apoſtolici exornat. 8. Ad exſtirpandos eosdem Patarenos, ſiue Catharos et Manichaeos, e Bosnia et Rama haereticos, operam quoque ſuam navarunt Summi Pontifices Innocentius IV. Nicolaus IV. et Ioannes XXII. Stephanus et Eliſabetha Bosniae principes. 9. Benedictus XII. orthodoxos Bosniae Corbaviaeque principes adverſus haereticos excitat. Series Bosniae Banorum poſt Culinum, usque ad annum 1368. 10. Sequitur ſeries Bosniae principum ab an. 1368. ad an. 1478. quo Catharinae Reginae Boſnenſis, in Eccleſia S. Mariae in Ara caeli ſepultae, Epitaphium Slavonicum exponitur, et a mendis expurgatur. 11. Animadverſiones in Cangium de Stephano, Thoma, eiusque filiis et ſucceſſoribus, Bosniae poſtremis Regibus, deque Catharina Romae ſepulta.

Caput

Digitized by Google

Caput IV. De Valachis et Bulgaris. Bulgariae et Blachiae regnum reſtitutum. Series Regum ab anno circiter 1200 ad 1462. Ab Innocentio III. Papa coronam regiam, ſceptrum, et vexillum Ioannes Bulgariae et Blachiae Rex accipit: Pallium vero et Patriarchalem dignitatem Archiepiſcopus Trinovitanus. Series Achridenſium Archiepiſcoporum. Codex Vaticanus Slavicus figuratus illuſtratur. 1. Bulgariae et Blachiae ſeu Valachiae regnum, circa annum Chriſti 1187. reſtituitur. 2. Blachorum et Blachiae, ſeu Valachorum et Valachiae nominis, originatio. Myſia et Myſi olim dicti, et cum Bulgaris coniuncti. 3. Comania, et Comani, partem Valachiae incolentes. 4. Valachiae deſcriptio. 5. Valachiae principes Vayvodae dicti. 6. Blachorum ſeu Vlachorum nominis originatio iuxta nonnullos ſcriptores. 7. An Valachi genus ex Italis duxerint? 8. Vera Valachorum etymologia. 9. Primus Bulgarorum et Blachorum Rex Aſanes: eius filii, Petrus, Ioannes, et Alexander, frater vero Ivancus ſeu Ioannes. 10. Ioannes, fratre Aſane caeſo, regnum occupat. Petrus, Aſanis filius, Ioanne patruo interfecto, regnum ſibi et Ioanni fratri vindicat. 11. Ioannes, alias Iohannicius et Caloioannes, poſt Aſanem et Petrum fratres regnum Bulgariae et Blachiae adeptus, ut ad Romanae Eccleſiae obedientiam redeat, provocatur ab Innocentio Papa III. 12. Ioannis Bulgariae et Blachiae Regis epiſtola ad Innocent. III. 13. Baſilii Bulgarorum Archiepiſcopi epiſtola ad Papam Innocent. III. 14. Innocentii III. Papae literae ad Ioannem Blachorum et Bulgarorum Dominum, et ad Archiepiſcopum de Zagora, quibus Legatos mittit Ioannem Capellanum et Archipresbyterum Brunduſinum. 15. Ioannes Bulgariae et Blachiae Rex ſignificat Innocentio III. Papae, interpellatum ſe a Graecis, ut ab ipſis regiam coronam acciperet. 16. Legatus Innocentii III. Papae defert ad Baſilium, Archiepiſcopum Bulgariae, Pallium, Mitram, et Annulum. Praeter ipſum Primatem ſeu Patriarcham Trinovitanum, inſtituuntur duo Metropolitae in Bulgaria. Ioan. Bulgariae et Blachiae Rex obedientiam

 exhi-

Digitized by Google

exhibet S. R. E. et Innocentio III. Papae, aſſerens, priores Bulgariae Reges et Epiſcopos coronam et Patriarchalem benedictionem a S. R. E. accepiſſe. 17. Literae Ioannis Bulgariae et Blachiae Regis ad Innocentium III. Papam, una cum ſuo nuncio Blaſio, conſecrato Epiſcopo, miſſae. 18. Baſilius Bulgariae Archiepiſcopus ſignificat Papae Innocentio III. Pallium ſe accepiſſe: rogat, ut ſibi facultatem concedat Sacri Chrismatis conficiendi. 19. Innocent. III. Papa per Leonem Cardin. S. A. L. declarat Ioannem Regem Bulgarorum et Blachorum, mittens ei ſceptrum, coronam regiam, et vexillum, cruce et clavibus inſignitum. 20. Idem Pontifex Trinovitanum Archiepiſcopum conſtituit Primatem ſeu Patriarcham totius Bulgariae et Blachiae, tribuens ei facultatem Archiepiſcopos et Epiſcopos inſtituendi, Regem ungendi, et ſacrum Chrisma conficiendi. 21. Idem etiam conſtituit, ut nullus deinceps Epiſcopus aut Presbyter ſine unctione initiaretur: utque iam initiati inungerentur ſecundum morem Latinorum, miſſis ad duos Archiepiſcopos Palliis. 22. Quomodo Legatus Pontificius a Rege Hungariae primum ſit detentus, et poſtea, urgente Innocentio Papa, dimiſſus. 23. Litterae Ioannis Regis, et Baſilii Primatis Bulgariae et Blachiae, ad Innocent. III. Papam, quibus res a Pontificio Legato geſtas ei ſignificant. 24. Poſt coronationem Ioannis Regis Bulgariae et Blachiae, ſequitur bellum Bulgaricum, ab ipſo adverſus Balduinum Imp. et Latinos, qui Conſtantinopolim an. 1204. Graecis eripuerant, ſuſceptum. Et quomodo Balduinus a Bulgaris ſit captus. 25. Innocentii III. Papae Epiſtolae ad Regem et Patriarcham Bulgarorum, pro liberando Balduino, et pace Latinos inter et Bulgaros concilianda. 26. Archiepiſcoporum Achridae ſeries usque ad Demetrium, qui anno 1222. Theodorum Angelum Comnenum Theſſalonicae Imp. coronavit. 27. Exciſo anno 1204. Graecorum Conſtantinopolitano Imperio, quatuor Imperia erupere: Conſtantinopolitanum Latinorum, Trapezuntinum Davidum Comnenorum, Nicaenum Laſcarorum, et Theſſalonicenſe Angelorum. Ioan-

Ioannes Ducas, cognomento Batatzes, poſt Theodori Laſcaris obitum, a Graeco Patriarcha coronatur Imperator Niceae: Theodorus Angelus Comnenus Theſſalonicae a Demetrio Archiepiſc. Achridae. 28. Achridenſis Archiepiſcopus, in coronando Imperatore Theſſalonicenſi, iis Privilegiis utitur, quae a Rom. Pontifice conceſſa Trinovitano Primati viderat. Graeci tam Achridenſi, quam Trinovitano, ea Privilegia concedunt, ne videantur illa a Sede Apoſtolica accepiſſe. 29. Poſt Ioannis Bulgariae et Blachiae Regis obitum, Borilas, et Ioannes Aſan, Regno potiuntur. 30. Ioannis Aſanis filii, Calomanus et Michael, in Bulgaria regnant ab anno 1241. ad 1257. 31. Conſtantinus et Myrtzes de Regno Bulgariae contendunt. Ioannes Aſan, Myrtzae filius, poſt patrem regnat. Lachanas Conſtantinum interficit. 32. Georgius Terter, Bulgariae Rex, a Nicolao IV. Papa, una cum Bulgarorum Archiepiſcopo, ad amplexandam S. R. E. fidem excitatur. 33. Georgii Terteri filius Suetislaus, Suètislao Georgius Terteres ſecundus, in Regno Bulgariae ſuccedunt. 34. Michael Strascimirus Rex Bulgariae. Eius filius Alexander Rex. 34. Alexandri Regis filii, Straſcimirus, Aſanes, et Michael. Bellum Nicopolitanum an. 1393. geſtum. 36. Qui poſt Alexandrum Bulgariae Regem regnarunt, Myrxa, Draules, et alii, Daciam ſeu Valachiam tenuere usque ad annum 1462. 37. Codex Vaticanus Slavicus, Conſtantini Manaſſis compendium chronicum, e Graeco in Slavicam linguam conuerſum complectens, Regi Bulgarorum Ioanni Alexandro ab amanuenſi nuncupatus, illuſtratur. Figurae in eo depictae exponuntur: ex quibus oſtenditur, Ioannem Alexandrum Regem tres filios habuiſſe, Ioannem ſcilicet Aſanem, Ioannem Strascimirum, et Michaelem.

Pars ſecunda, de *Tabulis Graeco-Moſchis Capponianis*. Praefatio. Ephemeridum Ruthenicarum *Tabula prima*. Menſis September. Menſis October. Menſis November. Ephemeridum Ruthenicarum *Tabula ſecunda*. Menſis December.

Digitized by Google

TOMO SEXTO, qui eſt totius Operis ultimus, reliqua Ephemeridum Ruthenicarum continentur. Siſtit igitur ad Tabulam ſecundam, quae Volumine quinto coeperat, Menſem Ianuarium et Februarium. His ſuccedit *Tabula Tertia*, *Quarta*, *Quinta*, quae habet feſta per anni circulum mobilia, a Dominica quarta ante Ieiunium quadrageſimale, usque ad Dominicam poſt Pentecoſten. I. Triodium et Pentecoſtarium deinceps exhibetur. II. Evangelia Eclogadia, ſive Lectiones Evangelicae per anni circulum. III. Picturae Ruſſicae Capponianae, quae in Tabula Quinta exhibentur. Viginti ſeptem picturae ſunt, quas Auctor, Graeci ritus gnariſſimus, ſtudioſe expoſuit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Auguſti Anno MDCCLXIII.

TIMEE DE LOCRES EN GREC ET EN François, avec des diſſertations.

i. e.

TIMAEUS LOCRENSIS GRAECE ET GALlice, adiectis diſſertationibus, de praecipuis quaeſtionibus ex Metaphyſica, Phyſica, Morali Veterum etc. par MS. LE MARQUIS D' ARGENS.

Berolini 1763. 1 Alph. 3 pl. in 8.

Imponit iam labori ac ſtudio, Philoſophiam rectam et elegantem ex veteribus declarandi, finem Clariſſimus Auctor, extremam Timaeo Locrenſi admovens manum, quem eadem, qua ſuperiores libros, doctrina atque ingenii amoenitate illuſtravit. Inſcripſit librum Heroi, virtutis fortitudinisque fama inclyto, Ferdinando, Friderici M. Fratri. In praefatione perſuadet ſibi, pari hunc librum fide et accuratione, atque Ocellum, converſum fuiſſe; quod an ita ſe habeat, et ex ſuperiori noſtra cognoſcetur recenſione, et ex praeſenti perſpicietur, qua ſpecimen modo verſionis dabimus, ut nuper. Vituperat latinam, ſed eam, ut, conferenda utraque inter ſe, intelleximus, ſaepius ſolam, omiſſo Graeco contextu, ſecutus eſt, itaque ſe non verba ſingula, ſed univerſum orationis ambitum reſpexiſſe, fatetur.

tur. Queritur de obſcuritate Timaei paſſim, ſed eam, ab ignorantia ipſarum rerum atque doctrinarum, qua noſtra laboret aetas, proficiſci putat. Differit de Platonis ſtudio erga Timaeum, huncque illi cum Bruckero anteponit. Graecam linguam quod attinet, Dialectum Doricam multum difficultatis afferre cenſet, (credimus omnino, homini, non ſatis tincto literis Graecis,) neque tamen ideo facillimas notiſſimasque dialectos opus fuerat recenſere, et *ἄμμε* pro *ἡμᾶς, ποιεῦντι* pro *ποιοῦσι*, et alia, in Cap. V. De Timaei vita tunc quaedam exponit ex Bruckero. Ad extremum in Proteſtantes invehitur, rationi nempe nimium tribuentes; ipſe tamen ſacris literis, complura ſupra, nihil contra rationem prodi, teſtatur, etſi haud ſemper praeclarae huius ſententiae fuiſſe memor videtur. Damnat fervorem duritiemque nonnullorum Pontificiorum hominum, nimirum dementem magis quam ſanam Inquiſitionem, ſeque Romanum haud eſſe oſtentat atque gloriatur. Reprehendit Bellarminum, qui caedem ſummorum Principum a civibus ſuis commiſſam vehementer laudet, talem ob cauſam Purpuram a Pontifice adeptum, eamque doctrinam infernalem appellat, aptiſſimam ad Univerſi huius ordinem evertendum. Defendit denique citata aliorum ſcriptorum teſtimonia, ſine quibus, in probandis potiſſimum rebus geſtis, nihil commode ſuſcipi tractarique poſſit. Sed age videamus ſpecimen quoddam Verſionis huius, ideoque Cap. V. extremum omnium conſideremus.

Verba: *ἐίκα πλείω τᾶς ἀποῤῥεοίσας ἐπάρδοιτο, αὔξα λέγεται*, hunc ſine dubio habent ſenſum: *Corpus, ſi plus irrigatur, quam effluat, vocatur incrementum.* Nunc audiamus Gallum: Si le corps eſt plus que moins arroſé par la nourriture, l' effet produit par cet écoulement ſ'appelle accroiſſement. Sed ubi voces, *par la nourriture*, in Graeco leguntur? Ac reliqua longiſſime a vero aberrant. Neque enim effectus, qui defluxum ſequitur, vocatur incrementum, quod abſurdum eſſet; ſed id, quod ex irrigatione oritur maiori. §. 2. mendum ſine dubio, ſed non inter reli-

qua

qua obſervatum, λυομέων pro λυομένων, occurrit. Voces, δίοδος πνεύματι μὴ διαδίδοται, redduntur: *le paſſage à l' Eſprit eſt interrompu.* Haud accurate. Potius dicendum erat, *à l' haleine*, vel *à la reſpiration.* Ibidem: πολλαὶ κᾶρες ζωᾶς καὶ θανάτω αἰτίαι. Laudaturus primo, quod κᾶρες, non καῖρες ſcripſit, ut Galeus p. 19. ſed verſionem minime laudamus: *Il y a beaucoup d' accidens, qui ſont les cauſes de la vie, et de la mort.* Quis κᾶρες cauſas vitae exponat, cum Heſychius explicet, κὰρ, θάνατος, φθεῖβον. Sic enim vertendum. *Sunt multae peſtes vitae, mortisque cauſae.* Paragraphus tertia ſeparata eſt a ſecunda; ſed in eadem periodo connecti debebat, cum divelli plane non poſſit. Dum Timaeus ſcribit: Ἐκ μυελῶ ἐξαπτόμεναι, ſeu σάψιες, transfertur: *les ſucs, qui vont iusqu' à la moëlle, et qui ſ' y enflamment.* Poſterius tolerari quidem poſſet, praeſtat tamen: *qui ibi oriuntur*, eſt enim ab ἅπτομαι, tango, connecto, ſed prior phraſis prorſus eſt et ſupervacanea, et falſa. §. 4. πνεῦμα vertitur *les Vents*, quod plane ridiculum. Eſt reſpiratio, non ventus, et in §. 12. recte hanc vocem reſpirationem Auctor transſtulit. Ibidem: ἱδρίεται κακῦντα τὰ σώματα, καὶ ἐς αὐτὰ ταῦτα ἀναλύονται, *ſe logent à leur place, nuiſent aux corps, et changent en mauvais ce qui étoit bon auparavant.* Poſtrema ſunt ſuperflua, et tota ῥῆσις ſic interpretanda: *Nocent corporibus, et haec ipſa corpora*, (nam ταῦτα eſt Nominativus,) *in eos ipſos* (ſuccos putres et noxios) *reſoluuntur.* §. 5. λύσσαι ὀιστρώδεες non ſunt *les rages piquantes*, nam haec vim vocis graecae aſſequuntur minime, verum *rages forſenées.* Verba, *ſelon leurs differents effets*, deſiderantur in Graeco. Ἐξαμμέναι ἀρχαὶ ἐκ σώματος, declarantur, *qui dependent du corps.* Melius, *qui viennent du corps.* Sed cum omne, quod ab altero oritur, ab eodem pendeat, ferri poteſt. Ἵμεροι ἔκλυτοι non ſunt *cupidités dereglées*, ſed potius *effrenées.* §. VI. ποιεῦντι μορφὰς φλεγμαινόντων σωμάτων μᾶλλον ἢ ὑγιαινόντων, *cauſent des tumeurs qui échauffent le corps, et le rendent mal ſain.* Praeſtat ita vertere: *efficiunt ſpeciem tumentium corporum magis, quam*

 ſanorum.

ſanorum. §. VII. ἔθεα, ἐν οἷς ἐντεαφῶσι κατὰ πόλιν ἢ οἶκον, *les coutumes dans lesquelles on a été nourri, ſoit dans les villes, ſoit dans les maiſons particulières.* Accuratius ita: *Conſuetudines, quibus vel publica, vel privata diſciplina ſunt imbuti.* Ταὶ θυϱαυλίαι ſunt noſtro *le ſejour que nous habitons, l'air que nous reſpirons.* Θυϱαυλοῦντες proprie dicuntur ante fores, ſub dio verſantes, ut apud Lucianum de Merc. Conduct. πολλὴ διαδρομὴ, συνεχὴς θυϱαυλία, et apud Flaccum, *Manet ſub Iove frigido.* Haec enim vivendi ratio vegetum reddit robuſtumque corpus, nec facile effemiriatum, maxime ſi cum iniqua ſit tempeſtate coniuncta. Vertendum igitur: *Commoratio ſub aperto coelo.* Sequens locus, impeditus valde et obſcurus, ſic ſe habet: καὶ ταῦτα μὲν αἴτια ἐκ τῶν γενετοϱων καὶ ϛοιχείων ἐπάγεται μᾶλλον ἢ ἐξ ἀμέων, ὅτι μὴ ἀϱγεία ἐϛὶν, ἀφιϛαμένων ἀμῶν τῶν ποθακόντων ἔϱγων. *Et ces deux choſes* (la vertu et le vice) *viennent plutôt de nos parens et des élemens, que de nous mémes, à moins que l'on en excepte la pareſſe, lorsque nous nous éloignons des ouvrages, qui nous ſont utiles et gracieux.* Non negamus, perturbatam ac depravatam eſſe ſeriem dicendi, eamque omnino reſtitui poſſe credimus, ſi pro ὅτι μὴ, legatur εἰ μὴ. Tunc omnia ſunt clara. *Haec pendent magis a parentibus, quam a nobis, niſi quando eſt ſegnities et ſocordia, cum intermittimus actiones, quas expetere debebamus,* (h. e. honeſtas.) Gallus hic verum vidit niſi in his: ταῦτα αἴτια, vertit *ces deux choſes, la vertu et le vice.* Εἰ μὴ ἀϱγεία recte transfert, *à moins que l'on en excepte la pareſſe.* §. IX. ἀϱχαὶ κάλλευς, non ſunt *les principes de la beauté,* ſed *ſumma pulchritudo,* ut apud Iſocratem ſaepius ἀϱχαὶ τῶν ἀϱετῶν praecipuae virtutes. §. X. voces, *conduire par une égale règle l'Eſprit et le corps,* praeter neceſſitatem adiectae ſunt. §. XI. verba, *par les inſtructions,* abeſſe poſſunt. Ibidem διὰ πϱοτϱοπᾶν ἐγείϱοισαι τὰν ὁϱμάν. *reveillent l'inclination à la vertu.* Accuratius: *His ſtimulis excitant cupiditatem ſingularem.* Voces, *nous portent au bien par differents motifs,* deſiderantur in textu. §. XII. Αλειπτικὰ (τέχνα) vertitur, *l'Art de*

de ſe frotter le corps, cur non potius, *l' Art d' oindre l. c.* §. XIII. docet Timaeus, Muſicam et Philoſophiam cogere partem animi, rationis expertem, ſeu affectus, conſilio ut obtemperent, eique parti mitem iram et cupiditatem placidam parare. τῷ ἀλόγῳ θυμὸν μὲν πρᾶον εἶμεν, ἐπιθυμίαν δὲ ἐν ἀρεμήσει. *Cette partie irraiſonnable contribue elle même à rendre l' Eſprit doux.* Sed θύμος non eſt l' Eſprit, nec ipſa haec pars animi id efficit, ſed Muſica in ipſa parte, ſeu potius in affectibus. §. XV. ἁ Φιλοσοφία πρεσβύστα non eſt hic antiquiſſima, *très ancienne*, ſed *praeſtantiſſima*, ac ſingulari digna honore. Ibidem deficit vox νόον in Graeco, cuius omiſſio totum turbat ſenſum, neque id in erroribus commemoratum fuit. ὁ δαίμων non eſt *ſon bon genie*, ſed deus, quem haud inficiatur Timaeus, etſi fatum intelligit. §. XVI. εἰ τίς σκλαρὸς καὶ ἀπειθὴς, *ſi quelqu'un eſt vitieux et viole les règles de l' Etat.* Hic certe Graecam linguam plane neglexit Auctor. Igitur nemo eſt inobediens, niſi qui leges civiles violat, et nemo non vitioſus contumax? Neque ullus hic doctus vir, quid ἐπεθῶ ſit, teneat, niſi Argentius adieciſſet: *préſent de l' Imperatif du Medium.* Voces, *par l' appréhenſion des peines continuelles* omitti potuiſſent. §. XVII. connexa eſt arctiſſime cum §. XVI. ſed tamen ab Interprete contra ius et fas ſeparata. τὰ νοσώδη non ſunt *remedes forts*, ſed quae corpus affligunt, ita tamen, ut ea re robur corporis reparetur, ideoque τοῖς ὑγιεινοτάτοις opponuntur. Migratio animarum non eſt *la Transformation des Ames*, ut vertit μετενδυομένας ψυχὰς, ſed *transmigration des Ames* poterat vocari, rectius ſane, cum animae maneant eaedem, ſuamque formam retineant, locum modo domiciliumque mutent. Sed ſatis de his. Iam diſſertationum potiora capita breviter indicabimus.

Incipit a ſententia Patrum, qui Deum corpori eſſe coniunctum crediderunt, qua de re Moshemius ad Cudworthum copioſe expoſuit. Diſſerit ſimul de facultate Dei cognoſcendi, de praeſtantia ſummi Numinis, aliisque eius virtutibus excelſis. Duo veterum principia, bonum et ma-

 lum,

Digitized by Google

lum attingit, eumque errorem in aſſeclis Saturnini, Cerdonis, aliorumque, maxime Manichaeorum, revixiſſe probat, ipſumque docet Beauſobrium et Bailium longis poſt temporibus temere revocaſſe. Oppoſuiſſe quidem ſe Leibnitium, ſed partim Philonis inſtitiſſe veſtigiis in doctrina de mundo optimo, partim vehementer a vero aberraſſe. Sed qua ratione tandem refutat noſter hunc Philoſophorum Coryphaeum? Dicit, nec probat, tantum abeſſe ut hic mundus ſit optimus, ut potius omnium peſſimus haberi debeat. Sed ecce vir acutiſſimus demonſtrat ex mutationibus graviſſimis et iniuſtiſſimis, quibus Galli fuerint ad mendicitatem redacti, vaſa ſacra ad redimendum regem vendere coacti, et inde a Franciſco I. usque ad Ludov. XIV indigniſſima perpeſſi. (Quid autem Germani a Gallis paſſi ſunt?) Num vero Gallorum calamitas univerſi huius eſt calamitas, ſummumqe malum? Et ſi quoque aliis regionibus multa ſunt incommoda importata, num igitur nullae res ſecundae hominibus contigerunt, nullumque beneficium a Deo ipſis tributum eſt atque conceſſum? Profecto hic tantae indulget audaciae Argentius, ut verba ſequentia vix ei condonare poſſimus: *Je demande actuellement, ſi l'on avoit voulu faire le plus mauvais monde, entre tous les poſſibles, ſi l'on auroit pu en trouver un plus deteſtable, que celui qu'on dit étre le meilleur.* Sed haec non digna ſunt quae refutentur, cum ipſe Auctor in hoc mundo verſetur, cumque nemini, ſana mente praedito, placere poſſint. Labitur porro, dum malum negat ab homine proficiſci poſſe, quia tunc condiderit homo aliquid effectivum, cum tamen Deus omnia realia crearit. Ergo liber Argentii eſt non ens, non enim a Deo conditus eſt, ſed ab homine, qui nihil valet efficere. Et num quaeſo peccatum eſt reale, quid et poſitivum, nonne privativum potius ac defectus, ex quo autem deinde mala omnino poſitiva oriuntur? Alia, quae adiungit ibi, ita ſunt a Leibnitio reiecta, ut crambem centies coctam iterum apponi indigne feramus. Iam audiamus noſtrum, longe doctius ex ratione diſſerentem. Non poſſunt eſſe

duo

duo principia, ſed unum tantum, maximo intellectu et bonitate ſumma inſtructum, ab eoque malum ortum ducere non poteſt. Sed bona verba quaeſo. Ergo ſapientiſſimum et benigniſſimum principium fecit omnium maxime deteſtabilem mundum, ut antea homo religioſus dicebat. Num haec inter ſe uniri et conciliari poſſunt? Profecto hic opus Delio natatore. Sed dimittamus bonum hominem, qui ipſe deinceps ad Leibnitii ſententiam deficit, dum mala, quae nobis videantur, vera eſſe iuſtis probisque bona, confirmat. Quid autem aliud Leibnitius ſtatuit, niſi hoc, imperfectionem partium, et damna, ad perfectionem ſalutemque univerſi ſpectare. Aeque recte ſentit noſter, Adamum libero gaudere arbitrio debuiſſe, alias vile automaton exſtitiſſe, gratia divina indignum. Sapientiam et bonitatem Dei eluxiſſe magis, permiſſo lapſu Adami, quam ſi violenter impediſſet, donato nobis Servatore. Haec omnia praeclare cum Leibnitii opinione conſpirant, deriſa antea et pro nihilo reputata. Iam ad materiam accedit aeternam, quod miramur: de voce ברא copioſe diſſerit; Leighium inprimis laudat, cum Guſſetium memorare debuiſſet, negatque eam vocem indicare productionem ex nihilo, et potius conformationem materiae continere arbitratur, cui Moſes Geneſ. I, 1. clariſſime repugnat, et Paulus Rom. IV, 17. Deum vocans *καλῦντα τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα*. Pluribus quidem hoc argumentum tractat, ſed miſiſſe falcem in meſſem alienam vehementer dolemus. Tum ad Vacuum ſe convertit, idque mox affirmat, mox negat. Sententias Philoſophorum veterum, de mundi aeternitate, et de anima ipſius, recenſet; numeros Pythagorae, traditiones ad illuſtrandum Codicem S. aptiſſimas, et ſolum, ut putat, controverſias omnes tollendi remedium; porro auctoritatem Vulgatae, recenſet; de iudice fidei neceſſario Coetu nimirum et Conciliis Patribusque, de libris Moyſis a diverſis ſcriptoribus compoſitis, de introitu Chriſti in urbem Hieroſolymorum, (quis haec in illuſtratore Timaei quaerat,) de obſcuritatibus et repugnantiis divinorum

Libro-

Digitized by Google

Librorum, ideoque de Iudice generali ſeligendo, exponit. Adhaec in Aſtronomiam veterum inquirit, et tria Syſtemata enarrat; ſed dum Ptolemaico ſucceſſiſſe Copernicanum arbitratur, magnopere fallit. Tandem ad Tychonis Syſtema ſe convertit, horumque duorum omnino celeberrimorum Virorum vitam attingit, nihil autem certi definit, cuius ſententiam potiſſimum ſequi praeſtet. Tum de Triangulis multa affert, de anima eiusque ſede et eſſentia, quam omnes neſcire homines fatetur, nimirum quia ipſe ignorat; mox ad virtutem Pontificis Romani, ab omni errore immunis, tranſit, eamque ridet; de Androgynis loquitur, Hermaphroditosque concedit et defendit, eosque quotidie conſpici, quod miramur, declarat. De coniugio eorum leges citat, duas Adami uxores, Litith et Evam, ex Rabbinis, (quos unquam vidiſſe Argentium dubitamus) enarrat. Tum ad Temperamenta, quibus vel emendandis, vel depravandis inſervire educationem recte docet, ad magiſtratus et iudicia, ad Muſicam, ad picturam, ad Poeſin, maxime ad Homerum, animum attendit, quem falſo nullum ſibi exemplar ad imitandum propoſuiſſe ſibi perſuadet, eiusque Iliadem Biblia poetarum, pictorum, ſculptorum, antiquariorum, literatorum, Philoſophorum, quidni etiam interpretum, appellat. Voltairium ab iniquis aliorum iudiciis defendit, tum demum ad Virgilium tranſit, eumque promeritis laudibus extollit, primum huic, Voltairio alterum concedit; locum. Mentionem poſtea iniicit variorum in religione diſcriminum, magnos ſemper motus excitantium, ſed dum Graecos bella religioſa ignoraſſe exiſtimat, ipſe in ignoratione ſumma Belli ſacri celeberrimi verſatur, ut alia taceamus. Memorat miracula fanatica, ſomnia Pontificiorum, credulitatem Patrum, fraudes ipſorum pias, Conſtantinum ut ſceleratiſſimum principem deſcribit, perſecutiones Iuliani negat, eumque laudat, apparitiones Mariae b. Virginis explodit, tempora noſtra haud maiori literarum doctrinarumque luce exſplendeſcere quam ſuperiora credit, quod tantae ſint in Gallia lites atque controverſiae. Quam miſera

ſera argumentatio. Num Gallia univerſae praebebit doctrinae exemplum? Sed ſatis de libro, in quo multa erudite, confuſe, accurate, negligenter, recte falſoque produntur.

SAMUEL REX HUNGARIAE, QUI VULGO ABA audit, ex hiſtorico et ſimul numario monumento, tam Nomini, quam Populo ſuo reſtitutus, Hallucinationibus et erroribus non paucis, quos Actis ſuis Sanctorum ad d. IV. Septembr. Scriptores Antverpienſes iactantius affricarunt, de eadem fidelia deletis, ſubſecivo ſtudio GODOFREDI SCHWARZ, Theologiae Doctoris, et in Academia Haſſo-Schaumburgica Prof. Prim. etc.

Lemgoviae typis Meyerianis MDCCLXI. pl. 8. in 4.

Praeter animum veritatis ſtudioſum, liberum, ab omni timore, ſpe, adulatione, partium ſtudio, longe alienum inter ſummas diffi cultates hiſtoriae conſcribendae inprimis, referimus: primum, iuſtum ordinem in rebus geſtis tradendis, ut hiſtoria inter diſciplinas, e quibus perverſa nonnullorum ratione eiecta eſſe videtur, locum iterum obtinere poſſit; deinceps accuratam quandam vim iudicandi, ut ex immenſa illa multitudine rerum, optima quaeque ſeligamus, et ea quae attentione digna eſſe videntur, recte et ſapienter ab iis ſeparemus, quae tantummodo oſtentationis, non utilitatis gratia proferuntur; denique elegans, et ad res enarrandas accommodatum genus dicendi. Has virtutes tantopere in Graecis Latiniſque hiſtoricis admiramur: igitur, cum pauci e recentioribus hanc accuratam enarrandi vim conſequuti ſint, factum eſt, ut illi hos longe ſuperaſſe iure ac merito videantur. Cavendum tamen etiam ſedulo eſt, ne res geſtas, tanquam parum utiles, vel omnino ſupervacaneas conſideremus, quae, etſi aliquando per ſe non adeo magni momenti ſint, tamen graviori argumento rite illuſtrando ita inſerviunt, ut iis omiſſis et neglectis, veritatem nullo modo inveſtigare liceat. Poſſemus hoc multis exemplis declarare, ſed non

eſt opus in re clara. Erunt profecto, qui tali ſtultitia ducti, putent, qui hac commentatione vindicatur, Samuelem, regem Hungariae, parum ad ſe pertinere, neque intereſſe magnopere hiſtoriae, an idem cum Aba ſit? Sed hi, ex erudita commentatione intelligent, ita ſimul difficilem, multisque tenebris et dubitationibus obnoxiam Periodum Hiſtoriae Hungaricae, optime explicatam et multarum rerum geſtarum memoriam egregie veritati vindicatam fuiſſe, venerabili, et Hiſtoriarum ac rei numismaticae intelligentisſimo Auctori ſummam profecto gratiam habituri ſunt.

In univerſum vero nonnulla dicenda ſunt de hoc ipſo argumento, et de oeconomia totius commentationis. In corpore Scriptorum, de rebus Hungaricis, edito a *Iohanne Georgio Schwandtnero*, nominat quidam Anonymus in chronico, regem Hungariae Samuelem. Eius verba ita ſeſe habent: — — *ex quorum etiam progenie longo poſt tempore rex Samuel deſcendit, qui pro ſua pietate Oba vocabatur.* Huius ipſius regis Samuelis numus argenteus ad celeberrimum Gedanenſium Profeſſorem, multis et magnis in rem litterariam meritis clarum, *Hanovium*, deferebatur, quem eleganti diſſertatione illuſtravit, qua tamen celeberrimo, et Hiſtoriae Hungaricae intelligentisſimo *Schwartzio* non ſatisfecit, qui refutata *Hanovii* de hoc numo ſententia, veram protulit, et ſcriptorum fide dignisſimorum teſtimoniis tam praeclare confirmavit, ut hiſtoria huius regis, e tenebris protracta, nullis amplius dubitationibus obnoxia, ſed veritati ſuae reſtituta eſſe videatur. Propoſuerat igitur ad illuſtrandum hunc numum *Hanovius* Schedion: *Samuel Rex Pannoniae, ſpeciminis dialectici loco, e numo argenteo exhibitus, Gedani MDCCXLIX.* Hanc diſſertationem *Schwartzius* Vir Cl. praemiſit, addita deinde de hoc ipſo argumento ſua, hoc eſt nova et vera, ſententia. Continet diſſertatio *Hanovii* §§. 36, quorum ſumma capita indicabimus lectoribus. §. II. itaque materia et habitus numi externus exponitur. Conflatus eſt ex argento, magnitudinis exiguae, formaeque circularis; diametro octo duntaxat lineas Pariſinas

nas aequans. Inde §. III. impreſſa numo ſigna in parte antica enarrantur. Facie exhibet ille numus crucem quadratam, velut inſigne religionis ipſius regis. Inter angulos, qui intercedunt, verba leguntur: *Rex Samuhel*: poſt §. IV. ſigna parti poſticae impreſſa leguntur, quae rurſus crucem exhibent, inter angulos verba exſtant: *Panoneja*. Denique §. V. metalli valor examinatur, et §. VI. pondus definitur. Ex quibus patet, Ruſſorum ſesquiſquamas argenteas (Kopeiki) aequiponderare Pannonico numo. Externa ſpecie numi indicata, ad argumentum ipſum ſeſe convertit *Hanovius*, et §. VII. quaerit: quis ſit Rex Samuhel? quae Panoneja? reſpondet vero eadem §. eſſe illum regem Bulgarorum. Quam ſententiam argumentis deinceps corroborare annititur. Itaque primum §. VIII. ait: *Ignorant annales, non tantum Pannoniae, ſed et vicinarum gentium, poſſem addere et omnium caeterarum gentium, eius aetatis, ubi eiusmodi pecunia uſitata fuit, regem huius nominis, praeter unicum Bulgariae regem Samuelem.* Quo modo vero ſilentio Scriptorum *Hanovius* uti potuerit, plane non videmus, cum ipſe aperte dicat: PEZIVM, BELIVM, *et* DESERICIVM, *non conſului.* Miramur profecto virum alias acutisſimum potuiſſe deinceps ita argumentari: *Obſervandum duco; ne quidem ullum regem antiquioris aevi, cuius numus dici queat, hoc cognomine, ceu inuſitatiori nomine compellatum apparere, aut a quoquam in medium adductum eſſe, quod ego quidem ſciam.* Exploſi iam ſatis ſunt illi Thraſones, qui, quod ipſi dicant neminem impugnare, quod ignorant nullum alium ſcire poſſe arbitrantur. §. XII. Samuelis Bulgari genus, et monarchia, quam adeptus ſit, demonſtratur. Poſt fata Imperatoris ZIMISCAE, Bulgari defecerunt, et imperium quatuor fratribus, DAVIDI, MOSI, AARONI, et SAMVELI tradiderunt, cuius ſumma paulo poſt ad unum rediit SAMVELEM. Is conſtitutus fuit Monarcha univerſae Bulgariae, neque ea contentus, Thraciam quoque, Macedoniam, Theſſalonicae propinqua, Theſſaliam, Graeciam, et Peloponeſum, ſuis vexavit incurſionibus, multaque caſtella, inque his *La-*

riſſam, cepit. §. XIII. vero auſpicia eius monarchiae in annum 976 referuntur, et §. XIV, ac XV. limites imperii Samuelis, Bulgari, inveſtigantur. Horum finium conſtituendorum cauſſa gentis Bulgaricae finitimi a §. XVI. usque ad §. XXII. indicantur. Ab Oriente Bulgaris erant vicini Romani, (§. XVI.) ab occaſu Turci, ſeu Hungari (§. XVII.) orientem vero verſus trans Iſtrum (§. XIX.) *Patzinacitae*, in ſuperiori denique plaga occidentali, verſus ſeptentrionem, adiacebant Bulgaris *Chrobati*. Deſcriptis hoc modo vicinis Bulgariae terris, fines Bulgariae temporibus Samuelis (§. XXIII.) conſtituuntur. Patuit tum temporis Bulgarorum ditio per Moeſiam utramque, Dalmaticorum, et Haemi montis tractibus ferme incluſam, ulterius per Dalmatiam fere et Illyricum. Praeterea *Raſciam* quoque Bulgarorum principes, pariterque caſtella, *Morabum*, *Belgradum*, et *Sirmium*, ſecundum §§. XXIV. et XXV. tenuerunt. Inde §. XXVI. ex nonnullis argumentis colligitur, Samuelem illarum terrarum regem fuiſſe. Sunt vero haec: a) *quia Samuel is non niſi princeps vel dux Bulgarorum audit.* Satis leve profecto argumentum. Quis enim hiſtoriarum peritus ignorat, vocem regis, reguli, ducis, principis, atque comitis, ſexcenties apud ſcriptores medii aevi confundi, qui proprietatem verborum, et mutationes in republica, parum curantes, non ſemper accurate haec nomina diſtinxerunt: b) *quia ipſe Imperator Zimisca, victum Boriſen captumque regem Bulgarorum appellavit.* c) *Quia Achride regia capta, fertur Baſilius coronas inveniſſe.* d) *Bulgaria habuit ſuos Archiepiſcopos, et Samuelis tempore David hac dignitate functus eſt.* Miramur, virum alias doctum, tantopere ingenio, et inanibus coniecturis indulgere potuiſſe. Accuſat deinceps §. XXVII. magiſtri rei monetariae negligentiam, qui in numo regem *Samuhelem*, omiſſa voce Bulgariae, nominarit, et Pannoniam perperam in Panonejam commutaverit. Refutantur inde *Ortelius*, *Cellarius*, alii, (§. XXVIII.) qui ſub Panoneja Paeoniam, regionem Macedoniae, intellexerint; tum in univerſum nonnulla de finibus Pannoniae §. XXIX. et

XXX

Digitized by Google

XXX. diſſeruntur. Ex quibus porro §. XXXI. colligitur, Samuelem tantummodo inferiorem Pannoniam tenuiſſe, illiusque regem nominatum fuiſſe. Quare autem (§. 32.) non potius titulo regis Bulgariae, quam Pannoniae uſus fuerit Samuel, in eo cauſſam latere ſibi perſuadet Hanovius, quoniam regnum Bulgariae, a Zimisca Imperatore fuerit abolitum. Inſignia numi (§. XXXIII.) exhibent crucem, quae chriſtianam regis et Hungarorum indicat religionem. Quo tempore autem ille cuſus fuerit, §. XXXIV. et XXXV. demonſtratur, patetque, eum annum MXIV. non ſupergredi; denique §. XXXVI. hunc numum eſſe obolum pannonicum, illis temporibus uſitatum, colligitur.

Ita cauſſam numi ſui egit Hanovius V. Cl. Videamus nunc, quae argumenta celeberrimus Schwartzius contra eum protulerit, et quibus rationibus ac teſtimoniis rei ſatis obſcurae veritatem vindicaverit, ſuamque de hoc ipſo argumento ſententiam ab omnibus liberaverit dubitationibus. Primum igitur (§. 4.) contra Hanovium, qui nullum Samuelem, praeterquam principem Bulgariae, in annalibus nominari perſuadere lectoribus conatur, auctoritate Matthiae Belii, in praefatione Ccoll. Script. rer. Hung. Schwandtneri p. IX. ſ. XI. recte monet V. C. hunc ipſum Samuelem, et eum qui apud Hungaros ob pietatem ſuam ABA, OBA, OBO, et OVO ſalutatus fuerit, unum eundemque regem fuiſſe. Revocatur igitur (§. 5.) reliqua diſputatio Hanoviana ad duo capita, et primum utrum Bulgaricae terrae recte in numo per Panoniam exprimantur, dein an Samuel bene et recte rex Pannoniae ſalutetur, examinatur. Nititur Hanovius inprimis hoc argumento, (§. 6.) quod Graeci Chronographi nominaverint Samuelem totius Bulgariae monarcham: ſed Cl. Schwartzius haec verba nihil aliud ſignificare recte dicit, quam unum imperantem, abrogata priore Ariſtocratia. Hoc ipſum luculenter ex Caroli du FRESNE Illyrico probatur. Victoriae porro Samuelis in Macedonia (§. 7.) nihil plane ad regis Pannoniae axioma faciunt. Illud partim ex annalibus eorum temporum, partim ex amplitudine Pan-

noniae, late ad occidentem procurrentis, evincitur. Inde (§. 8.) Hungarorum res cum Graecis, Bulgaris, Patzinacitisque illo aevo geſtae, breviter commemorantur; porro, quod potior Pannoniae pars ſaeculo X. in Hungarorum poteſtate fuerit, docetur; et denique (§. 9.) nihil quicquam de terris Pannonicis ad Simeonem Bulgarum perveniſſe, demonſtratur. His ſatis copioſe dictis, et egregie ac docte expoſitis, de ſedibus Patzinacitarum ſermo inſtituitur (§. 10), et deinceps (§. 11. 12. 13) contra *Iohannem Stiltingium* e Soc. Ieſu, qui in Actis Sanctorum vitam S. Stephani regis Hungariae deſcripſit, diſputatur. Res in univerſum eo redit. Diſſertationem Schwartzius ediderat, *de initiis religionis Chriſtianae inter Hungaros eccleſiae orientali aſſertis*; quam diſſertationem omni modo *Stiltingius* in vita Regis Stephani infirmare, falſitatemque rerum explicatarum demonſtrare conatus eſt. Contra talem ſententiam *Stiltingii* in his §§. egregie et docte pugnatur. Antiquae ſedes Hungarorum (§. 14.) indagantur, ex quo patet, eos inter Wolgam et Tanaim primum conſediſſe. Haec non ſolum §. 14. docte illuſtrata ſunt, ſed etiam §. 15, in qua tamen ſimul bella, migrationes, et fata utriusque gentis, et Hungaricae, et Patzinaciticae, exponuntur.

§. 16. iterum ad Hanovium redit oratio Viri Clariſſ. eiusque ſententia, ſecundum quam nimis prolati ſunt fines Samuelis Bulgari, examinatur. Igitur ex Conſtantino Porphyrogeneta de adminiſtrando imperio c. XXXII. et ex Carolo du FRESNE in Illyrico p. 34. et p. 100. oſtenditur, nec Serviam aliquid Pannoniae tum temporis complexam, nec victorias Bulgaricas Simeonis, Petri, et Samuelis, adeo magnificas fuiſſe, quin iterum dubia Martis alea debilitatae fuerint. Porro, Sirmienſis regio non Bulgaris, ſed potius Romanis orientalibus ceſſit; quemadmodum neque Raſciam, neque inclyta duo ad Danubium caſtella, poſſedit Samuel. Alterum probationis Hanovianae caput erat: Principem Bulgarorum merito ſalutari Pannoniae regem. Omnia hic protulit ſine Scriptorum teſtimoniis, §. 17. igitur neglectas auctoritates urget

get

Digitized by Google

get V. Cl. §. 18. denique ſententiam viri doctiſſimi de numo regis Samuhelis, Panoneia, legimus. Ait vero: Samuhel rex, cuius nomen et titulum diſcus numi anticus inſcriptum habet, is ipſe eſt, qui ab Anonymo, Belae regis Notario, *Oba* vocatur, ab aliis *Obo*, *Ovo*, *Aba*, ob pietatem, hoc eſt pater, nominatus fuit. Qnamvis vero a nonnullis chronographis inſolentiae, crudelitatis, et iniuſtitiae accuſetur; fidem tamen Anonymi ſalvam eſſe recte iudicat V. C. quoniam manca huius regis hiſtoria, inciderit in homines indoctos, mordaces, et rerum geſtarum ignaros. Vox Panonejae nullam plane habet difficultatem. Etenim in pluribus eius aevi numis, auſpiciis regum Hungariae conflatis, expreſſa legitur. Ita reperitur in numothecis Senatus Lipſienſis numus Petri regis, cuius in priore facie legitur: *Petrus Rex*: in poſteriore autem *Pannoneja*. His argumentis additur §. 19. ultimum, exactiſſima nempe numi Hanoviani, cum regum Hungariae eius aevi numis, convenientia. Commemorantur duo numi, alter quorum ad regem Andream, alter ad Petrum pertinet. Ex his omnibus §. 20. colligitur, Samuelem impoſterum hunc regem eſſe nominandum, qui antea ob pietatem Aba ſalutatus fuerit.

Haec ſumma capita doctiſſimae commentationis ſunt. Dubitabunt vero lectores, utrum magis excellentem doctrinam Viri ſumme venerabilis, an mirificam et inſignem humanitatem admirari debeant; propoſitumque illuſtre multis Theologis humanitatis exemplum eſſe videtur, quod, ut omnes acriter intueantur, litterarum cauſſa vehementer optamus. Nuper aliam doctam Viri Celeb. commentationem vidimus: *Recenſionem criticam Schmeizeliani de numis Tranſilvanicis commentarii*, quam forſitan proxime lectoribus indicabimus.

HISTOIRE

Digitized by Google

HISTOIRE INTERESSANTE OU RÉLATION des Guerres du Nord et de Hongrie au commencement de ce Siècle:

i. e.

HISTORIA RERUM MEMORABILIUM IN EUropa ſeptentrionali ab anno MDCC. usque ad finem anni MDCCX. geſtarum: Partes II.

Hamburgi MDCCLVI. PARS PRIMA continet plagulas VIII, PARS SECVNDA plagulas XIII. in 8vo.

Quamvis temporibus noſtris, in univerſum in hiſtoria excolenda multum operae et induſtriae a Viris hiſtoriarum intelligentiſſimis collocatum fuerit; tamen hiſtoria recentior, etſi eius utilitas latiſſime patet, non aeque exculta eſt, ſed derelicta paene, et veluti poſteris ad diligentius pertractandum tradita eſſe videtur. Quis vero illud miretur? cum invidiam, et alia etiam his multo maiora incommoda, laborem talem ſequi, ſatis ſuperque conſtet, cum Hiſtoriam recentiorem non ſecundum rationes rerum factarum, et veras cauſſas, atque leges veritatis, ſed potius ita conſcribere neceſſe ſit, ut fere omnium ſtudio partium, atque praeiudicatis opinionibus, arrideat. Eventus bellorum, cum illius ob ſucceſſionem in terras Hiſpanicas geſti, tum ſeptentrionalis, quae uniuerſam Europam ineunte Saeculo XVIII. devaſtaverunt, ita profecto memorabiles, et tanti adeo momenti eſſe videntur, ut natura multorum publicorum negotierum, quae noſtra aetate acciderunt, ex iis ipſis optime et explicetur, et illuſtretur. De bello illo Hiſpanico data opera quidem nuper expoſitum fuit; in Hiſtoria vero ſeptentrionali, niſi fontes ipſos adeas, pulcherrimos verbi gratia, et graviſſimos commenta-

rios

rios *Lambertii*, aliosque: ex hiſtoria, vel potius fabuloſa narratione rerum a Carolo XII. geſtarum, a *Voltario* conſcripta, nullam plane capies utilitatem. Quantopere itaque vellemus, ut noſtri homines, nimis Gallicorum ſcriptorum pulchritudine et acumine ſententiarum capti, potius vitam illam Ruſſorum Imperatoris *Petri I.* a *Gordono*, perpetuo Imperatoris comite, in linguam Germanicam ex Anglicana transfluliſſent, quam illam *Voltarii*, ab omni veritate alienam, et plane fictam rerum geſtarum commemorationem. Longe quidem fabulis iſtis *Voltarii* praeferenda eſſe videtur Adlerfeldii hiſtoria militaris Caroli XII. (Adlerfeld hiſtoire milit. de Charles:) tamen haec ipſa hiſtoria, in rerum bellicarum magis enarratione, quam in arcanis cauſſis publicorum negotiorum indagandis verſatur. Avide igitur legimus librum, quem nunc lectoribus accurate indicabimus, (propterea quod intelleximus, eum parum cognitum eſſe noſtris hominibus): neque ſpe noſtra deſtituti fuimus, cum non in vulgus notas, ſed plane arcanas multarum rerum contineat cauſſas. Prima Pars conſcripta eſt a Legato Galliarum regis, qui omnibus quas narrat rebus vel interfuit, vel ſaltem diligentiſſimam illarum cognitionem ſibi comparavit. Pars ſecunda habet auctorem, ſicuti in praefatione traditur, virum, qui adhuc noſtra aetate publicis rei regundae negotiis admotus eſt, atque mirifice a pag. 1 - 14 cauſſas belli illius Hungarici, a principe Râkótzio excitati, indagat et examinat, nobisque iam parte prima ea tradit de hoc Principe, quae digna attentione noſtra eſſe videntur. Reliquam vero rerum geſtarum enarrationem, a pag. 15. usque ad finem Partis ſecundae, deinceps libere diiudicabimus. Examinemus itaque Partem primam, indicato prius in univerſum ſcriptionis ordine. Ab omnibus regulis et praeceptis Hiſtoriae liber, Auctor, res memorabiles litteris tradidit, hoc eſt, nullum ordinem ſervavit, ſecundum quem facta enarrare, et cauſſas rerum aperire, atque ex his rurſus alios eventus colligere ſolemus. In univerſam potius huius Hiſtoriae ſe-

riem evagatus, magis non adeo cognita, et arcana; quam iuſto ordine ſervato, iam ſatis pervulgata memoriae prodidit. Accuratam itaque oeconomiam operis ut fruſtra deſiderabis, ita etiam nullam rem idoneis auctorum teſtimoniis confirmatam reperies; quod ſupervacaneum eſſe ſibi Auctor perſuaſit, quoniam ea traderet, quae vel ipſe vidiſſet, vel ab iis acceperit, qui ea, quae narrarent, ipſi geſſerant. Saepenumero etiam Auctor noſter magis perſonam Politici, quam Hiſtorici tuetur, hoc eſt, non narrat quae a Carolo XII. et aliis geſta ſunt, ſed potius quae ex regulis prudentiae civilis ab iis geri et ſuſcipi debuiſſent. Age igitur videamus ſingula. Pag. 1 — 17. nonnulla ſane memorabilia, cum de natura animi Caroli XII, tum de tenera eius aetate, inprimis de educatione tanti regis, enarrantur.

Uſus fuit Carolus (p. 10.) praeceptore parum idoneo, quodam *Frölig*. Etenim ſibi perſuadebat ille vir, omnia caeca quadam neceſſitate agi, et in univerſum hominibus liberam agendi, et ex multitudine conſiliorum prudentiſſimum ſibi eligendi, poteſtatem adimebat. Supervacaneum illud eſſe, dicebat (p. 11.) iſte doctor prudentiae: omnia fortuna geri, neque homines rebus ſuis, conſilio et prudentia ullo modo proſpicere poſſe. Hac ſapientia tenerum imbuerat regis animum, et illa tam altas egerat radices, ut Carolus deinceps, per reliquam vitam, plurima ex parte ſe ſuaque omnia inconſtanti potius rerum dominae, fortunae, quam ſapienti rerum moderatrici prudentiae, permitteret. Inde multarum rerum ab iſto rege ſuſceptarum exitum, et memorabilem et laetum, et inuſitatum et infelicem, interpretari ac diiudicare poteris. Quam multa ridicule de his ipſis cauſis expoſuit *Voltarius*? Nonne plane ſingularis fortitudo huius regis, aliaque multa, praeter omnem opinionem et receptam agendi rationem, et feliciter et infeliciter ab illo confecta, his cognitis, optime et intelligi et explanari poterunt? Non ficta opus eſt rerum geſtarum deſcriptione in hac hiſtoria; multa latent, quae facile colligere poteris ex hac ſola magiſtri ſapientia? Laudantur deinceps

deinceps virtutes Caroli XII., indicantur vero etiam libere et graviter ſimul vitia regis; et denique Auctor ait p. 18. *inter reliquas huius regis virtutes eminent audacia, fortitudo, et animi praeſentia.* Cuius rei confirmandae cauſſa expeditiones bellicae, usque ad fatalem illam periodum, qua Saxonia a Suecis occupata fuit, a pag. 18 — 37. magis indicantur, quam luculenter enarrantur. P. 37. A. narrat, quod Carolus XII. poſt pacem cum Auguſto II. ſancitam, ſubito fere ſolus, comitibus tantummodo quinque vel ſex hominibus, ad regem inviſendum Dresdam venerit; quod in Voltarii libro iam commemorato aeque legitur. P. 38 — 43. nonnulla de celebratiſſimo Comite de *Piper*, qui Carolo XII. erat a conſiliis ſecretioribus, traduntur. Gratiam regis ſibi ille Comes (p. 39.) partim ſeveritate diſciplinae militaris reſtituta, partim oppreſſa nobilitate, conciliaverat: et quamvis fortuna ac ſplendore natalium plane eſſet deſtitutus, exactam tamen rerum Suecicarum cognitionem ſibi comparaverat. Summis igitur dignitatibus auctus, graviſſimorum negotiorum adminiſtrationi praefectus fuit, etſi ita ſeſe gereret, ut merito in iuſtam avaritiae (pag. 40.) et aliorum vitiorum incurrerit ſuſpicionem. Ab hac parte avaritiae etiam innotuit exteris. Nam illo tempore, cum Galli, tum ſocii belli Hiſpanici, de corrumpendo illo Comite velut inter ſe concertarent, Sociis Imperatoris Ioſephi, pluris licitantibus rege Galliarum, ſatisfecit. Et haec vera cauſſa eſſe videtur reconciliationis Caroli XII. cum Ioſepho Imperatore factae. Diſceſſus deinceps regis Caroli e Saxonia, notiſſimumque illud praelium prope urbem *Pultavam*, p. 41 — 49. commemorantur. Inde naturam ingenii, mores, et reliquam vitam nonnullorum virorum, qui tum temporis ſummis muneribus, et militaribus, et civilibus fungebantur, A. deſcripſit.

Ita p. 48. de quodam Barone *Müllero* legimus, qui Regem comitabatur, eique etiam a conſiliis apud Turcas fuit, homine rerum Germanicarum peritiſſimo, ceteroquin tamen adeo arrogante, ut omnia a ſe perfici poſſe crederet.

deret. Porro p. 49. nonnulla de belli duce *Lagerkron* enarrantur, homine ad mores indolemque animi Caroli regis plane a natura facto. P. 50 et 51. traduntur quaedam de Barone *Spare*, et *Poniatowski*, nobili Polono, qui nunc eſt, regis Poloniarum, patre. Ait de eo: *Carolus eum inprimis ſua gratia dignabatur, propterea quod magnitudine ingenii, in rebus agendis celeritate, et animi praeſentia, longe inter alios emineret.* De Comite de *Steinbock* p. 53; de Comite *Güldenſtern*, p. 54, et de Comite *Weling* p. 55. et 56. ſermo inſtituitur. Comes de *Steinbock* inprimis ideo laudatur, quoniam eius provida cura factum ſit, ut exercitus Caroli XII. ſemper abundaverit commeatu: de Comite *Weling* iſtud narrat, eum ſemper a Gallorum ſtetiſſe partibus. Acriter vituperatur p. 56. Comes *Morn*, et de Duce bellico *Craſſau* p. 57. hoc tradit, fortiſſimum quidem eum fuiſſe virum, ſed ab omni honeſtatis ſenſu prorſus alienum.

His explicatis, opes regni Sueciae p. 58 — 64 indicantur. Eadem pagina 64, virtutes *Stanislai* ſummis laudibus extolluntur, et p. 65. *Potockii*, principis eorum qui tum eius partes ſequebantur, avaritiam, et tenuem rerum publicarum cognitionem, maximopere vituperat. P. 68 — 145. eadem ratione de hoſtibus Caroli XII. verba facit. Itaque primum a. p. 68 - 100. (interpoſitis tamen nonnullis p. 86 - 89. de Mazeppa notiſſimo illo duce Coſaco,) animi indolem *Petri I.* Ruſſorum Imperatoris, exponit. Cum vero haec ipſa deſcriptio nihil plane contineat, niſi quod ab aliis commemoratum iam legimus; nolumus, ſingula repetendo et indicando, indulgentia lectorum abuti. P. 100 — 103. de principe Alexandro *Menſikouf* A. exponit. Iſte princeps neque legere neque ſcribere didicerat, loquebatur vero Germanice, cuius linguae cognitionem ſibi uſu comparaverat; ſummorum et graviſſimorum negotiorum adminiſtrationi ab Imperatore praeficiebatur; cura educandi haeredis imperii illi demandabatur, ita multas divitias, et ad ultimum etiam dignitatem Principis, ab Imperatore conſecutus eſt. Saepenumero tamen violentiam animi Petri I expertus

tus fuit; quam ille ita ferre ſolebat, ut ſtatim Imperator ei reconciliatus, eum denuo ſumma gratia complecteretur. Denique p. 103. eleganter, etſi non vere ſatis, de eo Principe dicit: *Vir ſummi ingenii videbatur ille Ruſſis, nullo modo exteris.* P. 103 - 135. de Auguſto II. rege Poloniarum potentiſſimo et ſapientiſſimo nimis libere, et ita etiam ſententiam ſuam dixit, ut nonnunquam veritati detrahere multum videatur. De bonis corporis et animi p. 103 - 109. enarratur. De natura et rerum habitu ante initium belli funeſtiſſimi ſeptentrionalis a p. 109 - 113 exponitur. P. 123 ſeqq. tradit A. nonnulla de nobili viro Livono *Patkul.* Loquitur porro de iis, qui Auguſto vel a conſiliis belli, vel reipublicae, fuerint. Ita p. 132. de principe *Fürſtenbergio*, de illuſtri *Pflugio* p. 133. et de comite *Flemmingo* p. 134. ſermo inſtituitur. His expoſitis, ad regem Daniae ſeſe convertit, et ad eos, penes quos ſumma rerum Danicarum eo tempore fuerat. Multa improbat, inprimis obſidionem Toenningenſem (p. 135.): omnia vero haec ſilentio praeterire conſultius ducimus. P. 145. deinceps Hiſtoria principis *Rákótzi* proponitur. De educatione illius p. 146 - 148. traditur: laudat inde A. amorem Hungarorum libertatis retinendae et conſervandae, quo amore illa gens et Polonica, omnes reliquas ſuperet: vellemus addidiſſet genti Hungaricae, et Polonicae, Anglicanam. Fretus igitur hoc amore erga libertatem civium ſuorum princeps *Rákótzius*, petebat per quendam *Longueval* auxilium a rege Galliarum (p. 149.). Hic vero rem prodidit Imperatori (p. 150.) qui principem Rákótzium, in Hungaria captum, Neoſtadium in captivitatem deduci fecit. P. 155. ſeqq. calliditatem, aliasque virtutes coniugis eius Principis indicat, ſimulque oſtendit, eam multorum amicorum Imperatoris ſibi conciliaviſſe gratiam. Calliditate hac, aliisque artibus, in partes ſuas traxerat praefectum militarem Lehmannum, cui cuſtodia principis tradita fuerat. Hoc connivente princeps feliciter ex captivitate effugit. Suſtentabatur inde a legatis regis Galliarum, quorum conſiliis et promiſſionibus inprimis factum eſt, ut ad par-

 tes

tes regis Galliarum tranſiret, et Imperatoribus Leopoldo atque Ioſepho I. funeſtiſſimum in Hungaria excitaret bellum. Ea omnia luculenter a p. 163. usque ad paginam 189. hoc eſt usque ad finem Partis primae, enarrantur. Haec ſumma capita Partis prioris, breviter, ſatis tamen, lectoribus indicavimus, propterea quod in univerſum nimis libertate ſcribendi uſus eſt Auctor, dixitque ita, ut facile intelligas profecta eſſe ab homine rerum geſtarum non ſolum intelligentiſſimo, ſed etiam ab omni metu plane libero. Multa etiam memoriae prodidit, quae in dubitationem vocari iure ac merito poterunt. Iſta vero lectores hiſtoriarum intelligentes facili negotio animadvertent: nam rudibus huius ſtudii hunc librum non commendamus, propterea quod verendum eſt, ne arcanis causſis perlectis, magis inſaniant, quam ut iis ſapienter utantur.

Pars ſecunda continet enarrationem rerum in Hungaria armis geſtarum, ab anno MDCCV. usque ad menſem Martium anni MDCCVIII. Pag. 1. usque ad pag. 14. A. de cauſis tumultuum, ſub Imperatore Leopoldo in Hungaria excitatorum exponit. His malis, ait, non captivitas, non cruenta mors, Comitum de *Serini*, de *Frangipani*, de *Nadaſti*, non ereptio bonorum mederi poteſt; ſed potius occurrendum eſt causſis, ex quibus tanti mali origo proficiſcitur. Has cauſſas dein uberius demonſtrat, et primam fuiſſe dicit abſentiam Imperatoris; porro haereditatem regni a Leopoldo in Hungaria introductam; denique avaritiam et alia vitia eorum, quibus Hungaria adminiſtranda tradita erat, maximopere vituperat. Alias his commemoratis addidit cauſas, quarum fidem aliorum relinquimus iudicio. His ita enarratis, a p. 14. usque ad pag. 312. hoc eſt usque ad finem Partis ſecundae, praelia, obſidiones, levia certamina, diligentisſime enarrantur, adeo ut nobis certisſime perſuadeamus, hanc particulam hiſtoriae non conſcriptam fuiſſe a Viro hiſtoriarum perito, multo minus ab eo, qui in publicis regnorum negotiis verſatus fuerit. Quo modo his immorari poterimus? cum iam ſexcenties dicta ſint, et in

Diariis

Diariis ac Novellis horum temporum legantur. Diligenter omnia examinavimus, omnibus ſatis nota et perſpecta ex Theatro Europaeo, ruris et inficetiarum plenisſimo libro, atque ex eorum libris, qui vitam huius Principis data opera deſcripſerunt. Hanc igitur particulam Hiſtoriae, ex nimia avaritia librarii forſitan exortam, nullo modo lectoribus commendamus: longe uberius accuratiusque ortum et progreſſum huius belli, cauſſas porro Hungaricorum motuum, et in univerſum frugiferam horum tumultuum cognitionem repetent ex *Hiſtoire des révolutions d' Hongrie, ou l'on donne une idée juſte de ſon legitime Gouvernement, à la Haye* 1739. 12. 6. *Vol.* cuius auctor Hungarus eſſe videtur. Prima contra ea Pars, et ſecundae pag. 1 — 14 nobis abunde ſatisfecerunt, neminemque fore credimus, cui curae cordique eſt recentioris hiſtoriae cognitio, qui hoc eleganti, et ab omni adulatione longe alieno libro, carere velit.

FERDINANDI STOSCH, DOCT. THEOLOGI, ET in Gymnaſio reg. Ioachimico Berol. Prof. Ord. et Ephori, Antiquitatum Thyatirenarum Libri II.

Zwollae, apud Simon. Clement 1763. Alph. 1. plagg. 12. in 8.

Eo libentius cenſum praeclari huius libri Stoſchiani agimus, quo magis certum exploratumque eſt, nihil iſto librorum genere utilius eſſe poſſe. Multum profuerunt, qui veterum inprimis Aſiae civitatum Hiſtoriam ſcriberent; ſatisque conſtat, hanc bonarum artium partem nondum ita eſſe excultam, ut curioſis inveſtigatoribus nihil relictum posſit putari. Sed dicamus iam de opera *Stoſchii* V. Cl. ut lectores noſtri intelligant, quam doctrinae copiam, quem lectionis adparatum, et quam in inveſtigandis iis, quae aliquantum obſcura atque abſcondita viderentur, asſiduitatis perti-

pertinaciam hoc libro prodiderit. Multa de ſitu et ratione Thyatirorum pasſim a doctis viris dicta et diſputata ſunt, ſed nemo hunc in ſe laborem ſuſceperat, ut omnia ſingulatim excutiendo, et minutisſima quaeque perſequendo, a primis initiis, et quaſi ab infantia, iſtius urbis deſcriptionem, ad eius florem et ſummam ſenectutem deduceret. Hinc facile apparet, *Stoſchium* multum de bonis artibus, et hominibus earum amantibus, meruiſſe. Ipſum opuſculum in duas partes deſcriptum, multa cognitu digna habet, quae auctorem doctum, acerrimo iudicio praeditum, et in interioribus litteris graecis et latinis, ut domi ſuae, verſatum, declarant. Primo Thyatiras ab inſula eiusdem nominis diſtinguendas eſſe docet, praemiſſa diſputatione de nomine urbis, et diverſis eius appellationibus in unum collectis. Thyatiras a Seleuco Nicatore ita appellatas primo eſſe, propter conſervatam θυγατέρα h. e filiam, auctore *Stephano* ſit probabile. His iactis futuro aedificio fundamentis, A. progreditur ad eius abſolutionem et exaedificationem, docendo, urbem in Aſia Proconſulari ſitam fuiſſe; per quam occaſionem multa recte et ſubtiliter de ſitu et ingenio urbis diſputantur. Inprimis vehementer delectati ſumus excurſu, quo Cel. Auctor §. 14—18. de cauſſis ordinis explicat, quo ſingulis urbibus ſeptem, quae in Apocalypſi Ioh. commemorantur, litterae miſſae ſint. Thyatiras autem quondam non ignobiles fuiſſe, teſtimonia veterum, in quibus maxime Plinius H. Nat. V. 3. eminet, declarant; in quo tamen loco, pace eruditionis V. d. *Myſiam ultimam* eſſe putamus *ultimam partem Myſiae*; ſic enim Poetis latinis v. c. ultima Hiſpania eſt ultima pars Hiſpaniae, remotiſſima. Urbis autem dignitas coniicitur ex eo, quod in antiquisſimis monumentis ei πανηγύρεις, ἀρχιερεῖυς, βουλαρχός etc. eaque omnia tribuuntur, quae ſplendidisſimis urbibus tantum convenire videntur. Iam diſputatio ad fata urbis procedit. Alexandro Magno totam Aſiam debellante, Thyatireni libertatem nacti ſunt, quo beneficio utebantur donec Attali regis teſtamento in poteſtatem populi Romani venirent, qui eis laudata iura

iura omnia integra reliquit. Hic fere ſtatus urbis fuit ad tempora Turcarum usque, qui cum peſtis ſplendidiſſimarum urbium eſſent, Thyatiras cum aliis Aſiae celeberrimis urbibus in ſummam perniciem deduxerunt, ita ut vix hodie eius veſtigia conſpiciantur. Ad incolas urbis quod attinet, in univerſum de eorum moribus, indole, lingua, origine, multa traduntur, quorum notatu digniſſima huc transſcribemus. Probabile eſt, urbem opulentiſſimam et florentiſſimam fuiſſe, quia Thyatirenorum vaſa figulina, et res purpuraria, inprimis celebrantur; quae res haud dubie effecerunt, ut magna peregrinantium multitudo cotidie eo commigraret. Ad hunc autem urbi ſplendorem fortius confirmandum, utitur Cel. Auctor loco Apoc. II, 26. 27. 28. in quo ipſo explicando, exemplum bonae et numeris ſuis abſolutae interpretationis lectores invenient, quam omnem huc transſcriberemus, ſi modus, et leges quae nobis praeſcriptae ſunt permitterent; quare hoc lectoribus relinquimus, quos haec legiſſe non poenitebit. Peracta urbis deſcriptione, quae fere in laudibus eius et dignitate aſſerenda verſabatur, ſequitur caput de mollitie et impuritate Thyatirenorum. Fuere igitur Thyatireni, et Lydi in univerſum, inprimis Cyri iuſſu, ad ſervilia officia praeſtanda dati, et ad lenocinia exercenda condemnati, omnium impunisſimi, et paene ad omnia ſcelera omnium maxime proiecti, quod veterum teſtimoniis, proverbiis, etiam, v. c. λυδιάζειν, λυδοπαθής; et loco Apocal. II, 20. 21. 23. probatur. Probabile igitur videtur, iſtam impuritatem etiam ad Thyatirenos, uſitato illo ſcelerum contagio, manaſſe, quod, ut Cel. Auctor docte demonſtret, l. l. Apocal. erudite explicat; in qua demonſtratione docet, πορνεύσαι proprie intelligendam eſſe: Quae huic diſputationi adiiciuntur, ad Thyatirarum idolatriam pertinent. Iovem, Aeſculapium, Mercurium, Minervam, Bacchum, Vulcanum etc. coluiſſe dicuntur; ad quod confirmandum, antiqua quaedam marmora afferuntur et explicantur, inprimis autem

 disqui-

Digitized by Google

diſquiritur, quis ſit *Tyrimnus* (*Tyrimmas*) deus Thyatirenorum. Probabile videtur, eſſe nomen aut Graecum, aut Romanum, vel denique Macedonicum et Lydium. Si Romanum nomen eſt, Tyrimnus eſt deus Terminus; ſi Graecum, a vocabulo *τύϱις* vel *τύϱσις* deſcendit, quod notat *circuitum muri*, *turrim*, aut *munitionem*; ſi autem Macedonicum, eſt nomen ducis Alexandri M. qui urbi praefuit. Cel. Auctor tandem eo inclinat, ut patet, eſſe nomen Lydium, et *Tyrimnum* eſſe ipſum Aeſculapium, ducto nomine ab Hebraeorum הורה. Eadem difficultas eſt in vocabulo *Sambethe* aut *σαμβαθεῖον*, ut legitur in lapide aliquo ſepulcrali. Sunt qui, moti loco Ioſephi Antiquitt. XVI, 10. ubi eſt *Σαββατεῖον*, explicari velint de Syagogo, in quo eos locus Philonis de vita Contemplativa p. 894. Edit. Francof. iuvare videtur: ſed demonſtratur, *Σαββατεῖον* ibi eſſe ſuggeſtum, ex quo lex praelegebatur. Quam explicationem contexta confirmant. Totam autem illam inſcriptionem, non ad Iudaeum, ſed ad hominem Chaldaeum pertinere, docetur, cui extra patriam deos patrios Thyatiris colere permiſſum fuerit. De cultu porro Amazonum, Imperatorum Romanorum, Cybeles, Martis, Veneris, Priapi etc. multa, eaque cognitione digna, afferuntur, quibus omnibus tanquam inſturmentis ad explicandum locum Apoc. II. etc. utitur. Marmora antiqua teſtes ſunt, ludorum Thyatirenos, aemulatione Romanorum Graecorumque, ſtudioſiſſimos fuiſſe: uno verbo, clarum ſit his teſtimoniis, quaecunque olim in Aſia proconſulari certaminum floruerint, eadem etiam Thyatyris floruiſſe, et per eam occaſionem omne genus flagitii et nefariae libidinis, ut Graecos et Romanos, incolas iſtius urbis exercuiſſe; quare verba Apocal. II, 24. *τὰ βάϑη τοῦ Σατανᾶ*, non ut multi volunt ad Gnoſticorum myſteria, ſed ad ſacra gentilium, quorum pars ludi erant maxima, pertinent. Status porro Thyatirenorum qui fuerint, eorumque magiſtratus, deinceps commemorantur. In Democra-

tia

tia inprimis tres fuere ordines, ἄρχοντες, βουλὴ et δῆμος, quos Thyatiris fuiſſe marmoris antiqui auctoritate probatur; quia in eo βουλαρχός, δῆμος, βουλὴ Θυατειρηνῶν κρατίστη leguntur. Commemorantur porro in Inſcriptionibus στρατηγοί, ἀσιάρχαι, et γραμματεῖς. Aſiarcharum quidem erat ludis praeſidere; qui cum Thyatiris magnificentiſſime inſtituerentur, iſtos Aſiarchas iis ibidem praeſediſſe probabile eſt. Habuerunt aerarium duplex, alterum populi, alterum Senatus, et patet e marmore apud Muratorium Tom. I. p. 316. ubi verba εἰς τὴν πόλιν ad aerarium populi, τὸ ἱερότατον ταμεῖον autem ad aerarium arctius, hoc eſt Senatus, A. pertinere cenſet. Thyatiris autem bonas artes, inprimis ſtudium Grammatices latinae floruiſſe, declarant magna Grammaticorum nomina, Menodorus, Nicander, Heraclides etc. Eadem ratio rei militaris fuit, quae tota, inprimis cum Romani milites ibi in praeſidiis eſſent, ad Romanorum rationem conformata fuit. Sequitur altera pars opuſculi, quae proprie antiquitates eccleſiaſticas complectitur. Sub initium refutantur ii, qui negarunt, Iohannis tempore Eccleſiam Thyatiris fuiſſe in qua re loco Epiphanii Haereſ. L. I. §. 33. abuti ſolent. Hoc igitur loco explicato et vindicato, docetur exemplo Lydiae Act. XVI, 14. 15. purpurariam facientis, eam aut omnium Thyatirenorum primam Chriſtianiſmum ſuſcepiſſe, aut certe inprimis fundamenta Eccleſiae ibi fundatae feciſſe. Ut autem omnes difficultates reſiduae tollerentur, adiuncta eſt diſputatio, qua Lydiae nomen, non gentile, ſed proprium fuiſſe, eamque non Philippis, ſed Thyatiris habitaſſe, probatur. Quod ad originem iſtius Eccleſiae, paullo poſt dies feſtos Pentecoſtales condita videtur, et a Iohanne amplificata florentiſſima fuit. Ex ordine, quo ſeptem Eccleſiae in Apocalypſi laudantur, nihil pro iure metropolitano effici poteſt, in eaque re Iohannes rationem ſitus maxime habuiſſe videtur, qui ad epiſtolas mittendas commodiſſimus eſſet. Habuit Eccleſia Thyatirena ſuos mi-

Digitized by Google

niſtros, et inprimis Epiſcopum qui ἄγγελος dicitur, quam vocabuli ſignificationem Cel. Auctor docte defendit, ductis argumentis e lingua Graeca, et ratione ſcribendi Scripturae S. Ceterum quis ille Epiſcopus Iohannis tempore fuerit, Carpas an Irenaeus, incertum eſt, eum autem, quicunque fuerit, peſſimum fuiſſe, quae de eo praedicantur, declarant. Tempore ſcriptae Apocalypſeos Eccleſia Thyatirena corruptiſſima fuit, ut docent quae Iohannes improbis iſtius Eccleſiae hominibus minatur; quod non mirandum, cum Iezabel, quam Iohannes commemorat, ſit ipſius Epiſcopi uxor, per antonoma iam ita appellata. Ceterum, cum in Martyrologio Romano ad nonas Sextiles legimus Lydiam purpurariam martyrium ſuſcepiſſe, haec haud eſt alia Lydia, nec diverſa ab illa, cuius fides l. l. Act. laudatur. Tota fere Eccleſia Thyatirena, imperante Hadriano, diſſipata atque deleta fuit, donec, auctore Epiphanio, annis centum et duodecim poſt denuo efflorеſceret; ſed Seculo fere tertio tota exciſa eſt. Nunc quidem urbis atque Eccleſiae ibidem ſtatus eſt miſſerrimus, neque melior facile, propter Turcarum crudelitatem, ſperandus. Haec habuimus, quae ex hoc libello, ſane eleganter atque erudite ſcripto, notaremus; cuius lectionem omnibus eo gratiorem atque ſuaviorem futuram eſſe ſperamus, quo maiora in eo iuſtae atque elegantis eruditionis ſpecimina invenient.

IOANNIS IACOBI REISKE ANIMADVERSIONUM ad Graecos Auctores Volumen quartum, quo Polybii reliquiae pertractantur.

Lipſiae, Literis Loeperiis, 1763. Alph. 2. pl. 4. in 4.

Inutilem fortaſſe operam ſumeremus, ſi notam lectoribus doctrinam Cl. *Reiskii* hoc loco commendaremus, aut longa ora-

ga oratione confirmaremus, et nos multa praeclare ſcripta in hoc volumine reperiiſſe, et ipſos bene de eo ſperare posſe. Illud tamen, etſi commune eſſe debet cum reliquis noſtrum iudicium, ſigillatim nobis profiteri liceat, nos praeter linguae Graecae, hiſtoriae, et antiquitatum cognitionem, admiratos eſſe ſtudium, laborem, diligentiam, ingenium: quae ſi quis recte aeſtimet, facile intelliget, quid noſtra hac admirationis profeſſione contineatur. Non ſolum legit Polybium examinavitque, et pernoſcere didicit; ſed contulit Excerpta codicis Auguſtani, a Boeclero edita, Livium, in Excerptis praeſertim, antiquas editiones, ut nihil fere ſit in Hagenoenſi et Herwagiana, quam in initio Excerptorum primum commemoravit, quod praeterierit: ac ſaepe adeo librorum illorum veſtigiis inſiſtens, devenit ad meliora, ſaepe eos defendit, aut improbavit. In quo ſi multa bene ceſſerunt, in quibus opus erat vel iudicio de lectionibus, vel grammatica interpretatione, ſi obſcuris lux adfuſa eſt, et difficultates ſaepe ſublatae: nec mirum videri debet, nec a quoquam negligi, qui in poſterum Polybianam hiſtoriam legere volet, praeſertim aliorum ſcriptorum permultis locis illuſtratam. Ac nos quidem nolumus velut ſententiam de necesſitate innumerarum coniecturarum, in hoc volumine propoſitarum, ferre, in quo genere ſuo quisque ſenſu uti vult, atque etiam debet, maxime in Polybio, in quo omnibus venia ſuſpicandi et tentandi parata eſt: neque tamen magis obtruſae ſunt lectoribus, quam libere commendatae. Grammaticae obſervationes, verborum plures ſignificatus, ſaepenumero e communi origine univerſae notionis repetitos, invicem nectunt: quae quidem diligentia cum acuere ſolet ſtudioſorum ingenia, tum ad perſpicuitatem ac veriſimilitudinem prodeſt; nonnumquam videtur ad philoſophiae tenuitatem propius accedere, quam pro uberiore uſus loquendi arbitrio, quem in illo nexu ſignificationum conſtat, propter minimam interdum ſimilitudinem, aliam notionem

verbo adieciſſe. Illud perſpicuitatis ſtudio adſcribimus, quod in definiendis verborum notionibus aliquoties verbis pluribus et formulis ſimilibus uſus eſt, ut, ſi non ex una, tamen multis conferendis intelligerentur. De latiniſmis Polybii ſuis locis admonitum eſt. Ceterum, nullo obſervationum ſelectu uſi ſumus, ſed, quae perſequentibus libri ordinem in manus venerunt, huc retulimus.

Pag. 3. v. 3. de pragmatica hiſtoria ſic agitur, ut, explicata primum vi verbi πραγμάτων de omnibus reipublicae partibus, verborumque coniugatorum de peritia, multo uſu parta, etiam in deteriorem partem, quatenus eſt calliditas, addatur eius definitio, eſſe hiſtoriam, rebus vere geſtis plenam, diligenter tradere rationes omnes, ad rem perſpiciendam neceſſarias, cauſas et conſequentia demonſtrare, aptumque reddere lectorem et ad iudicandum de narratione, et ad imitandas res. Ibid. v. 32. pro τῆς παρὰ τοῦ Σικυωνίου legendum putat τῆς Ἀράτου τ. Σ. cum non videatur Polybius ab initio carum ſibi et in omni hiſtoria celebratum nomen celaſſe. Sed nec Polybius celavit, cum τὸν Σικυώνιον appellarit, ut monuit ad h. l. Caſaub. nec videtur quisquam, illo ſaltem tempore, quo Polybius ſcripſit, de nomine Sicyonii Hiſtorici dubitare potuiſſe. Pag. 23, 9. φέροντες, comparato Hom. Il. ι. 330. laudatoque Dorv. ad Char. p. 520. et Hemſterh. ad Lucian. T. I. p. 345. explicatur, *cupide, ſummo cum ſtudio.* P. 241, 10. τὴν μὲν ἐντὸς αὐτῶν legendum eſſe monet, cum opponatur, τὴν δὲ ἐκτὸς αὐτῶν, et intelligit vallum, inter obſidentes et obſeſſos interiectum: nam quidquid ſit in conſpectu, id eſſe ἐντὸς, velut in poteſtate hominis et amplexu. (Niſi magis propter ſitum, quam poteſtatem et amplexum, ita dici coepit.) P. 30. 4. τῆς Ἰταλίας ἀκρωτήριον mutat in τῆς Σκύλλας ἀκρωτήριον; nam a gravitate hiſtorici alienum eſſe, Italiae promontorium appellare, quaſi unum ſit totius Italiae. P. 39. vlt. lectionem edit. Hagenoenſ. ſic conſtituit:

ἁμα

ἅμα δὲ καὶ τῷ συναγωνιζομένῳ τῷ ἂν ϛρατηγῶν, καὶ τῷ ἐν ὄψει τῶν ἡγεμένων ποιεῖσθαι τὸν κίνδυνον οὐχ ἧττον, ἐπικυδ. et τὸ συναγωνιζόμενον interpretatur τὸν συναγωνισμὸν, praeterea οὐχ ἧττον refert ad ſuperius comma. Itaque tria confirmarunt ſpem Romanorum, ſtataria in navibus pugna, militum labor cum ducibus communicatus, et ducum praeſentium verecundia. Non magna eſt verborum illius editionis, et valde veriſimilis immutatio. P. 68, 8. Duplex uſus verbi ἐπίπροσθεν, quod vel rem ante aliam objectam, et officientem alteri, vel antepoſitam et praelatam indicat, multis exemplis explicatur. Priore modo ſaepe dixit Clemens Alexandrin Quae dicta ſunt de verbo ἐπιπροσθεῖν, quatenus non eſt a θέειν, *cum impetu invehi*, ſed *intervenire*, *adſpectum rei impedire*, ut parum analogico, cum eſſe debeat ἐπιπροσθενεῖν, ea veremur ut probari poſſint; cum ubique videatur duci debere a θέειν, nec ab adverbio fieri poſſe aut ἐπιπροσθεῖν, aut ἐπιπροσθενεῖν. Nam quae praecurrunt, i. e. eminent, alia obſcurant. Ergo non opus eſt illo ἐπίπροσθεν, quod in ſe non habet *obſcurandi* notionem, ſed quatenus ſignificat id, quod eſt ante aliud obiectum, προβεβλημένον. P. 83, 22. et addi vúlt ἀπαλλαχθέντες poſt ἀδυναμίαν, et probat ἐκβάλλειν ex ed. Hagen. et Baſil. ſignificatu *differendi*, cuius exempla e Polybio commemorantur. Obſervatio de verbo συγκροτεῖσθαι p. 87, 8. longior eſt, quam quae huc transferatur: ſed legiſſe verbi velut genealogiam, neminem poenitebit. P. 113. 3. συνεσαίνοντο vertit, *conſueverant*, quum qui conſueverint mutuo, ſe mulcere ſoleant. Per hanc occaſionem de loco Paulino 1 Theſſ. 3, 3. monet, olim viſum ſibi μηδὲν ἀσαίνεσθαι (ne taedium doloris aliquem capiat, nam (ἄση βαρύνεσθαι eſſe, aeſtu ventriculi laborare,) legendum: nunc quidem mutationem in σιαίνεσθαι, *taedio affici*, certam eſſe, quidquid contra novitatem iſtius quidem verbi, poſt Pauli aetatem uſurpati, dicatur. Cf. Hemſterh. ad Lucian. T. I. p. 372.

p. 372. P. 119, 12. pro ἅμα κα suſpicatur ἀμαχεὶ. P. 131, 20. illuſtrato vulgari, δυσχωρία τῶν τόπων, ſimilibus locis, in quibus bis eadem notio occurrit, ut ἀγχίνοια τῆς ψυχῆς, λειψυδρία τῶν ὑδάτων, putat tamen, vel δυσκαιρίαν, vel δυσχέρειαν legi poſſe. Sed non eſt neceſſarium. Ad p. 133. ult, quinque ſignificatus verbi παρακούειν exemplis illuſtrantur: *ſimulare ſe ſurdum*, *ſpernere*, *errare audiendo*, ſ. non audire quod dictum eſt, *negligenter audire*, *furtim audire*, quae non debeas audire. Τούτους p. 141, 3. abesſe poſſe, ut abeſt ab edit. Hagen. docet, aliorum locorum comparatione, a quibus abeſt, ut ἐν (ταύτῃ) τῇ γῇ, ἐν (τούτῳ) τῷ τόπῳ. P. 162, 7. malit ἐζητάζοντο, *inveniebantur*, qui eſt uſitatiſſimus ſignificatus, et nobis idem venerat in mentem. Cel. Erneſtius in Gloſſar. Polyb. etiam ἐξετάττοντο ſcribi poſſe admonuit, quia ſequatur, κατέστησαν. P. 168. 4. defendit lectionem Hagenoenſ. συνδιαλαβόντες, nam διαλαμβάνειν eſſe rem paulum remotam prehendere, λαβεῖν εἰς χεῖρας τὸ διεστηκὸς, Romanos autem dici manu intercepiſſe Gallos, ideoque excluſiſſe facultate propius accedendi. In exemplis ſunt, quae non habeant intercipiendi ſignificatum, quoad impedimentum indicat, ſed diſtinctionem per intervalla, ut χώρα διειλημμένη Φυλακαῖς, Φρέασι, ex Diod. Sic. Sed de omni vſu huius verbi egregie diſputatur. Ita mox v. 10. διαλήψεως, *prehenſum manu hoſtem gladio ferire*. P. 176, 10. ἐξαγωγὴ, *moleſtarum rerum depulſio*, explicatur. Quae ad p. 181, 7. poſita ſunt, ea, cum non poſſint in compendium mitti, legenda commendamus. P. 196, 1. e lectione ed. Hagen. παρὰ λιονεῖς Μεγαλ- efformat παρὰ μόνοις Μεγ. Ibidem de verbo ἀπάτης agitur, quod ſaepe indicat oblectationem, quae, curis exemtis, velut fallit animum; quem uſum negat ab interpretibus recte animadverſum eſſe. Cum his confert ἀπάτην τοῦ πλούτου, Matth. 13, 22. P. 210, 19. negat ſe ſcire, vnde ἐκεῖ ἐπιμένων: poſſe tamen e lectione Hagen.

Digitized by Google

Hagen. ἐπικειμένων fieri, ἐπ' εἰκῆ μένων, *otioſe*, *nihil agendo*, cum ἐπ' εἰκῆ ſignificet *incaſſum*. Num vero is nihil agit, qui per otium omnia diligentiſſime explorat? hoc enim otium a proeliis occupatione plenum erat. P. 232. 6. ἀπορία alienatos animos ſignificat, in quam rem de ipſo verbo hic perſpicue exponitur. P. 243. 8. ſuſpicatur στεγνότητα, *taciturnitatem*; quae effecerit, ut ii ſcriptores nihil certi reperirent. P. 258. 1. f. ἐπράχθη τὸ πραχθὲν, καὶ πότερα. V. 3. Ed. Hagen. tantum habet τὸ καταλειπόμενον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. Et poteſt ſane oratio vel ſic conſtare, ceteris omnibus omiſſis, quae verſu quarto quinto et ſexto leguntur, dubiumque eſt, Polybiusne imitari Thucydidem voluerit, an Grammaticus aliquis ei dictionem illam celebrem Thucydideam obtrudere auſus ſit, e L. 1. c. 22. Et videtur Polybius pro ἀγώνισμα potius ἀνάγνωσμα, aut e p. 259. 24. ἄκουσμα ſcripſiſſe. Haec ſunt ipſa Cel. Reiskii de hoc loco verba. P. 318. De διὰ, *praeter*, *propter*, *apud*, copioſisſime agitur. P. 326. 31. παράστασις explicatur: eſt autem vel impetus animi, vel conſternatio: utrumque huic loco convenire iudicatur. Habet p. 330. pen. editio Hagen. hanc lectionem, τρόπον, ἐν δὲ τοῖς ὅπλοις ὡς ἂν γεγονὼς —, unde Cl. Reiskius de ὅπλοις ἐνδέτοις, *illigabilibus*, *conſtrictibilibus*, cogitavit, ut ſcuto, galea, gladio, lorica, pilo amentato, pharetra, frenis, ſtratis, quorum alia e loris dependerunt, alia corpori adſtricta fuerunt. Sed admonitus loco p. 653. 19. 21. 28. opinatus eſt, poſſe etiam arma, ex aliis atque aliis commiſſa, intelligi, ut haſtam, quae infixum ſcapo ligneo mucronem habet: quod nobis quidem valde probatur. Quae de acie Hannibalis multa cum opera ad p. 366. 24. traduntur, ea et integra legi debent, et his anguſtiis maiora ſunt. Praeterquam quod ad p. 392. 4. oſtenſum eſt, ἐπιπολαστικῶς χρῆσθαι τῇ κραυγῇ, ſignificare *praeter modum magnum clamorem*, firmat coniecturam διαβαίνοντες, *dilabebantur*, pro διαμένοντες v. 14, cum μένειν et βαίνειν ſaepius confuſa ſint, atque etiam Caſaubonus et Gronovius locum tentarint. Ce-

Digitized by Google

terum particulam οἱ μὲν — Φαλαγγίταις parentheſin eſſe iudicat. P. 403. 28. ἀποτρίβεσθαι accipit ſignificatu dediſcendi, cum omnino ſit *a ſe amovere*, quod exemplis docetur. Athenaeum, a quo Polybianus locus p. 626. repetitus eſt, putat de ſimulatione intellexiſſe, ſed in illo loco feſtinaſſe. P. 410. 28. προκατέβαλον τὸ ψ. emendat, *prius literis conſignabant formulam plebiſciti.* Sic dici καταβάλλειν et κατατάττειν, reliqua obſervationis pars declarat. Accurata eſt et longa diſputatio p. 439. 16. de ἐπισύρειν, quod omnino tarditatem et negligentiam in agendo exprimit, ut hoc in loco ἄγειν εἰς ἐπισυρμὸν, *protrahere in longum tempus*, non, *ludibrio tradere*, quod eſt διασύρειν. Mox εἰς τὰ Σωτήρια e cod. Aug. et ed. Hagen. rectum iudicat. P. 440. 21. malit Ζηνόφαντον, nam a ξένος fieri Ξενοφάνης. P. 467. 28. pro πρόσλαον, nomine novo, Ηρόστρατον legi poſſe putat. P. 469. 8. κατὰ γένος τὴν habet Aug. cod. et ed. Hagen. e quo efficit καταγελαστὴν. P 473. Αἴπυὸν mutandum eſt e p. 477. 20. in Ἐπειὸν, ſcribendumque Αλφειρέων, ab Αλιφειρεὺς e p. 474. 26. et Stephano. P. 497. 33. πολλῆς ὥρας vertit, *inclinato iam die.* P. 522. 12. διαδοχὴ forte eſt e dialecto Macedonica, et ſignificat *carcerem* vel *cuſtodiam*. P. 524. penult. quod habet Aug. cod. τοὺς νέους νυκτὸς, id olim coniecerat Cl. Reiskius. Πολιτικῶς p. 528. 34. et *urbane* vel *eleganter*, et *rudiuſcule, pinguiori Minerva*, ſignificare poteſt. Exempla ſat multa adiecta ſunt, quae tamen omnia vel humanitatem, vel remiſſionem nimiae ſeveritatis indicant, non illud, quod poſuerat Reiskius, *pinguiore Minerva*, niſi quod *politici verſus* dicti ſunt effuſi magis feſtinanter, quam meditato ſcripti. Praefert lectionem ed. Hagen. p. 539. pen. διαποστολὰς, *mutuas legationes*, vulgato διαστολὰς, quod reconciliationem gratiae indicat. P. 539. 24. ὑποτύφειν eſt *ignem iniicere* v. c. foeno ſicco, ſtupae, et iis, quae ignem lente paſcunt, unde de inteſtinis animi flammis dicitur, in quam rem exempla Luciani T. 2. p. 908. et Aeliani V. H. 9, 41. appoſuit. Ad p. 572. 2. permultis exemplis docetur, ἀτύχημα eſſe ſcelus, flagitium, ut

ut ἀτυχὴς, δύςηνος, ἄθλιος. οἰκτρὸς, τάλας, ſceleſtum indicant; quae loca etſi omnia examinare non potuimus, tamen putamus, in aliquibus miſeriam ſignificari, quae eſt cum ſcelere neceſſario coniuncta, cum omnis malus miſer ſit. Nonne deinde in hoc Polybiano loco eadem res, ἀτύχημα et ἀδίκημα, bis dicta eſſet? Acies Ptolemaei et Antiochi ad p. 591. in tabula propoſita eſt. P. 598. primum quaerit, cur 75 talenta ad oleum data dicantur, nec rotundo numero Polybius contentus fuerit. (Quia non eſt neceſſarium, ſemper rotundo numero uti.) Deinde, cur ad maiora minor ſumma fuerit ſuppeditata. (Forte, quia etiam vaſa donaverunt, quorum in ſacris uſus eſſe poſſet.) Tertio, cur ad moenia et navalia reficienda nihil datum ſit: (Fortaſſe noluerunt, aut ſatis magnum fuit δοῦναι ἀτέλειαν τοῖς πλοϊζομένοις πρὸς αὐτούς.) Ergo locum ita immutat: Ἱέρων καὶ Γ. οὐ μ. ἑδ. ἑβδομήκοντα τάλαντα πρὸς ἀνοικοδομὴν τῶν τειχῶν καὶ νεωρίων, καὶ πέντε ἀργ. τάλ. πρὸς τὴν εἰς ἔλαιον —. Ut autem dubitationes poterant moveri: ita erat forte nimium, e ſua ſententia tam multa addere. In illis porro p. 599. 3. εἰς τὴν ἐπαύξησιν τῶν πολιτῶν haeſitat, pro quo in ed. Hag. eſt, καὶ τὴν ἔπαυξιν, ſine εἰς. Nam ſive hanc ſummam advenis diſtribuere, aut ea homines ad coniugia allicere voluerint, exiguam videri, quam pro multitudine hominum, aut acceſſione rei familiaris. Olim ipſe ἑςίασιν ſuſpicatus erat, poſtea in verſione Perotti *ad uſum civium* repererat, unde ἀπόλαυσιν legiſſe aut conieciſſe Perottum crediderat. Tandem proponit, εἰς τὴν ἔνδυσιν, *ad veſtiendos cives*, ſed rem aliis diiudicandam relinquit. P. 630. 8. ἀποπληροῦται ponit pro ἀποκλ. *tandem exit* in furioſam plebis libidinem. Adſcriptum erat margini ed. Herw. P. 633. 2. Θεωρίαν explicat *naturam rei*, alibi eſſe locum aliquem doctrinae. P. 690. 6. περικοπὴ eſt ornatus, quod illuſtravit Weſſel. ad Diod. Sic. 1, p. 586. Repererat praeterea ἐσθῆτας in Aug. cod. et legi vult ὁμοιότατοι, intellecto ἑαυτοῖς, unde totum locum ſic conſtituit: περιτιθέντες (ὡς ὁμοιότατοι — περικοπὴν, ἣν οὗτοι προσαναλαμ-

λαμβάνουσιν) ἐσθῆτας. Mutat p. 694. 23. εἶδος in ὄνειδος, ut ignominia conditionis privatae intelligatur, nam ἀδοξία eſt privata vita. P. 716. 36. παραλελυμέναις legendum eſt, quia παραλύειν (non παραλείπειν) τοὺς ταρσοὺς dicitur. cf. Liv. 24, 34. *demtis interioribus remis.* Herw. habet παραλεμμέναις, Wechel. παραλελεμμέναις. P. 735, 18. τίθεσθαι (quaſi συντίθεσθαι) τὰ πράγματα, explicari poteſt, *convaſare*, (de quo tamen dubitandum videtur.) neque vero vulgata interpretatio prorſus repudiatur. Ad p. 752, 17. admonetur, γενεαλογίας dici origines deorum et heroum, συγγενείας cognationes populorum per colonias ubique ſparſas. P. 810. 3. in εἰλώτων latere putat εἰδότων, (explorarat e peritis illarum regionum) quae eſt egregia coniectura: ſed et populi nomen, velut Ἰλεργετῶν, corrumpi potuiſſe. Pro αὐτὸν v. 1. ed. Herw. habet αὐτοῦ, quod in αὐτοὺς mutatum ad Romanos refert. P. 859. 1. ἢ τοὐναντίον delendum eſt, ut ſcholion, vel varia lectio, nam πάλιν eſt h. l. *e contrario.* Ibid. v. 22. τῶν μερῶν ε ἑξῆς, i. e. πέντε ἑξῆς ſuſpicatur legendum. P. 877. 34. εὐπερίκοπτος, qui verborum ambagibus reſectis ſtatim accedit ad rem. P. 938. 33. in verbo παραχίται, quod nonniſi e contextu utcumque intelligi poteſt, ineſſe putat latinum, parricida, quod eſt omnino opprobrii. P. 997. 17. προστασία eſt, area patens, ſpatioſa, in qua deambulare licet. Sed hoc, noſtra quidem opinione, ſine exemplis defendi nequit. V. 34. dubitat, utrum ſit ſervandum διαφανεῖς, an delendum, cum videatur explicatio τοῦ δικτυωτάς. P. 1008. pen. negat ſe videre, quid ſit ἀνάστειρος, quod verbum etiam Cl. Erneſti in Gloſſario corruptum iudicavit. P. 1065. 29. cum Caſaubono ad Theophr. Char. 4. malit διάρσεως, pro quo et Diod. Sic, 2, 175. habet διαίρεσιν: quem locum Cl. Reiskius ſic interpretatur, *cum ſublatum altius gladium ad alterum ictum deferret.* Mutari tamen nomina, ab αἱρεῖν et αἴρειν ducta, admonet. P. 1092. 17. εὐχαριστεῖν vertit *gratulari*, oſtendere laetitiam, et comparat εὐχαριστήρια Diod. Sic. 2, 621. Defendit ἱππέων p. 1093. 15. quod ſuadente

Urſino

Urſino in *ἱερέων* mutatum erat, cum Athenis fuerit quidam equitum ordo, et Livii verba, *ſacerdotes — exceperunt*, ad v. 22. reſpiciant. Plura his addere noluimus, cum ei, quod ab initio diximus, iam fides facta videretur, et ex his de reliqua libri ratione iudicari poſſet, quod cum Actorum conſilio convenit.

NOVA LITERARIA.

BIBLIOTHECA LATINA NOVI TESTAMENTI vetuſtioris Eccleſiae, varias recenſiones latinas complexa, quae aut in libris ſcriptis, aut ſcriptorum eccleſiaſticorum allegationibus, ſuperſunt. Recenſuit, qui et obſervationes addidit, et eruditorum adiumenta expetit, D. IOH. SALOMO SEMLER, in Academia Regia Halenſi Theol. Prof. Publ. Ordinar. Seminarii Regii Director, Alumnorum Regiorum et Halberſtad. Ephorus.

Noſtrae huic aetati videntur venuſta illa ſtudia et frugifera eximie convenire, quae in ſacros Chriſtianorum libros haud paulo iam, quam patrum memoria, liberalius impenduntur. Itaque iis collaudandis iam non dabimus operam, quae ab *Eraſmo*, *Stephano*, et *Beza*, atque poſt triſtius aliquod intervallum, a *Millio* tandem, *Bengelio*, et *Wetſtenio*, collata ſunt in ſacros graecos libros. Viderunt eruditi viri, praecipuum adiumenti, *criticum* non ſolum, ſed etiam *interpretem*, ſi auſpiciis optimis carere ipſe nolit, repetere a *latina* interpretatione, tam *vulgata* noſtra, quam *vetuſtiori*, quae ante iſtam fere ubique locorum obtinuit. Sed varii ſunt libri, atque paucorum in manibus, nec ſine multo labore et taedio adhibendi, e quibus illa colligenda ſunt quibus hic opus eſt. Neque enim ſufficit huic conſilio, e *vulgata*, ex *Auguſtino*, ut forte invenire contingit,

 con-

conferre aliquid ſubſidii; meliori et copioſiori opus eſt miniſterio latino. Nam nec *vulgata* vitiis caret, cuius hiſtoria interior paucis eſt perſpecta; nec *Auguſtini*, *Ambroſii* etc. nomina, id praeſtant, quod quaerimus; cum et hi latini ſoleant *non una recenſione*, ſed pluribus uti. Iſtum autem Theſaurum, quo ex beneficio *Blanchinii* tandem potiri licet, (in *Vindiciis* ſcripturarum canonicarum, et praecipue in *Evangeliario quadripartito*,) quoti quique vel oculis ſuis uſurpare poſſunt? quem nec *Bengelius* adhibuit, nec *Wetſtenius* ſatis in uſus hos convertit. Superſunt praeterea multa in codicibus *ſcriptis latinis* aliis, apud *Sabaterium*, quae eximie hoc negotium adiuvant; ipſa autem *Sabaterii* diligentia, non ſolum *ſpicilegium*, ſed fere meſſem nobis reliquit eorum, quae ex allegationibus *eccleſiaſticorum* ſcriptorum vetuſtiorum repetenda ſunt et critico et interpreti; quibus ſi caruerit, multum virtutis et roboris quaſi deerit ad illud conſequendum, quod ſibi propoſuit.

Ut itaque inſtituti noſtri rationem prodamus, eam et dedimus et adhuc impendimus operam, *ut iſta omnia*, quae ſunt huius generis, *in uno corpuſculo modico* exhibeantur collecta, quae ex *latina* eccleſia conferri poſſunt ad utramque hanc cauſſam; *partim*, ut graecum ἔδαφος, textus ipſe, facilius poſſit a nobis perſpici, atque incorruptius diiudicari, quam fieri poteſt, ſi hac in re, quod fere ſolebat fieri, noſtris graecis, qui ſuperſunt, minus intemeratis codicibus praecipue nitamur; *partim*, ut ipſa interpretatio et ſenſus longe melius adiuvetur, quam vel verboſis commentariis fiat. Quod ad iſtud caput attinet, ego non eam ob rem minoris facere ſoleo graecos ſcriptos libros, quod plerique aut multi ſint *ad latina* exempla *interpolati;* eam in ſententiam primus venit *Eraſmus*, ſecurius autem ſic ſtatuit *Millius*, atrociter fere *Wetſtenius* atque *Bengelius*, qui *graecolatinos* codices hoc nomine fere contemſerunt; *Bengelius* adeo, ut ipſius calamo utar, *confixit*. Fueram et ipſe hac in ſententia; ſed iam longiſſime ab iſta via ſeceſſi. Hi iidem codi-

codices, quos *Millius*, *Wetſtenius*, et alii, habent pro interpolatis ex translatione latina, ſervant ſaepe his exemplis, quae ab iſtis accuſantur, veſtigia *alterius recenſionis graecae*, cuius iam demum ad nos redit quaedam notitia; plerique autem graeci codices ſuperſunt nobis ex ea *iuniori recenſione*, quae *Luciani* fere nomine poſſit iam diſtingui, quae non ex *Aegypto, Palaeſtina*, aliisque ſub occidente ſole provinciis, ſed ex *Syria*, per orientales provincias, usque in *Conſtantinopolitanam* dioeceſin inde a *Luciani*, Presbyteri, novo ſtudio, diſperſa fuit. Iſta, fuit *Origenis*, atque adhiberi ſolet a quibusdam aliis ſcriptoribus, *Clemente*, *Euſebio* Caeſar. *Iſidoro* Peluſiota, *Baſilio*, ab *Origenis* diſcipulis; ſupereſt hic ibi non parum ex illa in codice *Bezae*, *Wetſtenii* D. (quem amabimus poſtea) C. L. 1. 13. 28. 33. 63. et paucis in aliis; in quibusdam *Evangeliſtariis* laciniae quaedam apparent; ex ea expreſſa fuit translatio *vetuſtior latina*, quae ſupereſt aliquot in manuſcriptis libris; quam fere excitare ſolent, *Tertullianus*, *Cyprianus*, alii Africani, *Hilarius*, epiſcopus, et alter, diaconus, et pauci alii ſcriptores. Expreſſa eſt in *copta, armena*, in margine *ſyriacae poſterioris*. In excuſo autem noſtro textu graeco non raro foede *utraque recenſio* legitur coniuncta.

De his exponam alio loco copioſius, atque colligam ſimul *deſcriptiones* latinorum *ſcriptorum codicum* meliorum: duorum Sancti *Germani; 2 Corbeienſium;* S. *Gatiani*, maioris *monaſterii; Claromontani* etc. quibus uſus eſt *Sabaterius*. Illuſtrabo etiam *Blanchinii* exemplaria, *Veronenſe*, *Vercellenſe*, et *Brixienſe*, (hoc, et *Veronenſe*, alicubi ſervat *inſignes reliquias* recenſionis vetuſtioris.) Iam corpuſculi quaſi *ideam* delineavimus aliquot in foliis; ad quam adhuc melius informandam ſi quid conferre voluerint eruditi viri, rogamus ut in commune liberaliter conſulant; ut, quod praecipue volumus, academicorum iuvenum ſtudiis proſpiciatur, quibus defuerunt fere huius generis libri, quorum indole partim ipſorum ingenia paullo liberalius excolantur, partim religio-

ligionis chriſtianae rationem et cauſam interpretari eo felicius diſcant, quo magis nova malignitas eorum non deeſt, qui caſtiſſima ſacra laedere audent atque convellere, etſi harum rerum plerumque omnino ignari. Ceterum de noſtra diligentia, quam ad hoc opuſculum ſacrum adferemus, recipimus, nihil quicquam a nobis omiſſum iri, quod ad integritatem cauſae pertineat. Colligetur autem et *index* phraſium latinarum, quibus graecae transferebantur; qua re ad iuſtam interpretationem ſperamus multum adferri poſſe adiumenti.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLXIII.

Pars I.

PHYSICAE GENERALIS METHODO MATHEMATica tractatae, TOM. III. Auctore IOANNE BAPTISTA SCARELLA, Clerico Regulari.

Brixiae, MDCCLVII. typis Ioan. Boſſini. 760 pag. cum tribus tabulis aeneis in 4.

Inter eminentiores, quibus ſagaciſſimi rerum naturalium ſcrutatores hoc Seculi noſtri decennium diſtinxerunt, libros Phyſicos, merito referimus Muſchenbroekii introductionem ad Philoſophiam naturalem, cuius Tomo ſecundo, non ſine inſigni huius ſcientiae detrimento, A. immortuus eſt; illuſtris poſt fata Wolfii continuatoris, cel. Hanovii Elementa philoſophiae naturalis, ſeu Phyſicam dogmaticam, cuius nuperrime Tomus ſecundus prodiit; et Scarelliani operis Tomum tertium, cui recenſendo nos iam accingimus. Continent cuiuslibet horum Cl. Triumvirorum volumina, quamvis in iis unius eiusdemque diſciplinae praeclara inventa exponantur, praeter diverſas eadem tradendi ac explicandi rationes, peculiaria ac propria merita, quae illa harum rerum amatoribus ſupra quam dici poteſt commendabunt, ac iis uberrimam meditandi materiam ſuppeditabunt. Cum Muſchenbroekius, viribus ingenii humani diffidens, in admirabili illa, quam magna cum cura inſtituit, experimentorum

 copia,

copia fere ſubſiſtat, nec ultra concluſiones, quae Mathematicorum ratiociniis elicitae ſunt, progrediatur: generoſiori impetu ductus Hanovius ad inveniendas et declarandas Phaenomenorum rationes, omnia, quaecumque Experimenta ac principia mathematica ac philoſophica ſuppeditant, praeſidia, tanta dexteritate tantoque apparatu conquiſivit, eaque adeo apte connectit, ut ſingulae propoſitiones ex eo inſigne conſequantur robur, ac omnes ſyſtema conſtituant elegantiſſimum. Scarella noſter, cum eandem philoſophiae experimentali in explicandis naturae phaenomenis tribuat vim cum Muſchenbrokio, omnesque ingenii vires, aeque ac Hanovius, ad eruendas, quae magnis tenebris involutae ſunt, rerum naturalium veras rationes, easque apte connectendas, intendat; tamen utrumque, uberiori, quum eodem cum illis conſilio utitur, Matheſeos apparatu vincit. In eruendis enim phaenomenis inprimis ſpecialioribus, ac iis declarandis, ex ſublimiori eaque abſtruſiori Matheſi ſubſidia petit, quae vix aliquis, legendis vulgaribus libellis phyſicis aſſuetus, in libro phyſico expectaſſet. Magnam praeterea, eamque non vulgarem, habet Phyſica haec generalis ex eo commendationem, quod in ea Cl. Auctor non ſolum ſuam de rebus naturalibus ſententiam erudite ac copioſe exponit, ſed etiam de aliorum aliter ſentientium Phyſicorum ac Mathematicorum celeberrimorum ſententiis luculenter diſſerit, argumenta eorum enumerat, eaque, expoſito eorum robore, examinat, atque modeſte refutat. Quod, quantum ad confirmandum ac conſolidandum Phyſices ſyſtema valeat, quisque videt, inprimis ſi id a viro cordato, veritatem ſincere amante, ſententiarum a Phyſicis ac Mathematicis in Germania, Anglia, Gallia, ac Italia, celebrioribus inventarum perito, ac neceſſariis ad eas examinandas ſubſidiis inſtructo, ſuſcipiatur. His vero dotibus Scarellam noſtrum praeditum eſſe, quemque lectio huius libri docebit. Quare ut eo plures Cl. Auctori conciliemus lectores, atque ipſis anſam praebeamus, ex ipſa lectione experiundi, vera nos de eo prædicaſſe, dabimus brevem quidem, ſed accuratam, atque auctoris ipſius fere verbis expreſſam, epito-

men,

Digitized by Google

men, ex qua quiſque facile colligere poterit, quantis vaſtum hoc volumen abundet meditationibus. Occurrit in eo primum admodum prolixa diſquiſitio, de corpore duro, quod data quadam finita velocitate proiectum in aliud incurrit. Atque hic primum ad colliſionem directam ab obliqua internoſcendam, centrum virium ac reſiſtentiarum ſollicite definit; graviſſimam deinde difficultatem examinat, in qua ſolvenda Cl. Viri, ut ex Deſchales Tom. I. Mundi Math. lib. 1. p. 1. patet, ingenii vires contenderunt, quaeque in declaranda ratione verſatur, quid conferat maior aliquarum partium a puncto corporis impedito aut percuſſo diſtantia, eamque nova meditatione ſolvere conatur, et tandem expendit *leges*, non ſolum corporum duorum obliquae colliſionis, ex qua motus rectus ſequitur, ſed et leges colliſionis trium corporum durorum ad examen vocat, elegantibus eas exprimit formulis algebraicis, ac earum conſtructiones geometricas exhibet. In ſequente tractatu diſputat Cl. Auctor de corpore, quod aliis ad perpendiculum inſiſtit, atque totus eſt in eo, ut demonſtret, quod aliud eſt punctum corporis, quod eſt centrum gravitatis et virium, ſi corpus ſit in ſuperficie telluris, in ea ſcilicet a centro telluris, in quod contendit, diſtantia, in qua directiones gravitatis pro parallelis haberi poſſunt; aliud ſi in centro telluris collocetur; aliud denique, ſi in illo intervallo, in quo directiones verſus ſe invicem inclinantur, quod ultimum ſemper variari docet, pro maiori corporis ad centrum telluris acceſſu. Quibus copioſiſſime expoſitis, multisque exemplis, non ſolum ſecundum vulgarem methodum, ſed ex theoria etiam Illuſtr. Riccati illuſtratis ac demonſtratis, ad corpora conſideranda ſe convertit, quae continua vi ſollicitata, ſuper aliis oblique inſiſtant, vel, niſi perpetua vi ſollicitentur, ſuper aliis oblique proiiciuntur: et hic Lectores luculenta, ut ante aſſeruimus, abſtruſioris Matheſeos exempla, in pertractatis curvis celerrimi deſcenſus, ſynchronis, aliisque, nec non elegantem theorematum expoſitionem de Plano inclinato, invenient, una cum magna diſquiſitione ſententiae Eulerianae, qua Tom. II. Mechanicae

Digitized by Google

propoſita, ex motu potentias defendit oriri; nullum vero motum ex potentiis. Pertractata hactenus capita pertinebant quidem, ex conſilio olim facto, ad Tom. II. Phyſicae generalis; ſed quia ille Tomus nimium excreviſſet, pertractatae ſunt demum hoc Tomo tertio. Sequentia itaque capita ea praecipue ſunt, quibus Tomus praeſens abſolvitur, in cuius capite primo proprietates primitivorum corpuſculorum A. examinat, et ut tanto evidentius demonſtraret, aliam aliis denſitatis eſſe rationem, confutat ea, quibus Eulerus V. Cl. in opuſculo inſcripto: Recherches phyſiques ſur la nature des moindres parties de la matière, quod continetur libro cui titulus, Opuſcula varii generis, ſe ita evidenter, ut nemo dubitare poſſit, demonſtraſſe putat, contrariam ſententiam, minimas nempe particulas omnes, ex quibus corpora in ſenſus incurrentia conglutinantur, eſſe aequaliter graves, ſeu eiusdem eſſe ſpecificae gravitatis ac denſitatis. Cap. ſecundo de moleculis corporum docet, primo aquam, terram virginem, aerem, et ignem, in partes proximas diſſimilares naturae viribus reſolvi non poſſe, eamque ſententiam ab obiectionibus Boylii, Nieuventyti, Hoockii, Elleri, et aliorum Philoſophorum vindicat, qua occaſione in eum phyſices particularis locum deducitur, qui pertinet ad vapores et nubes, ubi contra recentiſſima argumenta a Cl. Barbierio Comite allata luculenter docet, vapores eſſe bullulas quasdam aere inferiori in ſpecie leviores, ac tenui pellicula ex aqua et aere formata circumdatas, aereque valde rarefacto plenas. Deinde docet, poros et meatus eſſe non ſolum in corporibus, quae ex pluribus moleculis conſtant, verum etiam in ipſismet ſingulis moleculis; et tandem rationibus ex geometria petitis evincit, meatus atque interſtitia eſſe non poſſe unam cauſam illius tantae, quam in corporibus obſervamus, inter ſpecificas gravitates differentiae. Ex quibus demonſtratis deinceps capite tertio plures nectit rationes ad perſuadendum, corpuſcula primitiva non eſſe eiusdem, ſed alia alius denſitatis; et capite quarto generalem exponit cauſam cohaeſionis, tum primitivorum corpuſculorum ad efformandas corporum moleculas, tum

mo-

moleculArum, ad corpora, quae in ſenſus incurrunt, efficienda; exploſisque cauſis, quae ab aliis proferuntur, unam attractionem pro hac idonea generali cauſa admittendam eſſe efficere conatur. Sequentibus capitibus quatuor corpora fluida ac conſiſtentia, eorumque varias ſpecies expendit, et quidem primo in ea quaeſtione uberrimus eſt, de qua Philoſophi a Carteſii temporibus inter ſe digladiantur, quaeque verſatur in conſtituenda fluidi corporis natura, ac eius a conſiſtentibus differentia determinanda. Ubi inprimis ſumma arte perſuadere allaborat, in fluidis omnibus re ipſa eſſe motum inteſtinum; eamque ſententiam contra Muſchenbrockium defendit, ex cuius rationibus conſequi oſtendit, aquam in vaſe concluſam in conſiſtentem maſſam abire oportere. Deinde illum inteſtinum motum uberius declarat, docetque, aquam, aliosque liquores, in exiliſſimos diſtribui vortices circulares, qui cum eo minores ſint, quo a maiori pondere ſuperimpoſiti fluidi comprimuntur, hoc maiorem habere vim centrifugam; atque exinde novam Hydroſtaticae legum rationem deducit. Qua in re ita verſatur, ut primum oſtendat, vanam eſſe rationem, qua id explicare conetur Muſchenbrockius, neque locum hic habere poſſe ingenioſas explicationes, vel Varignonii, ex legibus Staticae depromptas, vel Desaguilierii et aliorum, qui cauſam horum phaenomenorum ex celebri principio aequalitatis momentorum inter duo corpora, quorum maſſae ſunt in inverſa ratione celeritatum, repetunt. Quibus copioſiſſime conſideratis ſyſtema Cl. Boscowichii, qui in natura fluidi conſtituenda aliam iniit viam, examinat ac refellit; ac tandem librum Fromondi, della Fluidità de' corpori, Liburni 1754. editum, ad examen vocat. Cum is in explicanda corporum fluiditate aliam prorſus ſecutus rationem ac caeteri philoſophi, multa innovet in univerſa Phyſica, quae ipſa illa capita eiusdem funditus evertunt, quae communi ſuffragio philoſophorum certa putantur: copioſiſſime eius rationes ac argumenta exponit atque refellit. Poſt haec breviſſime de corporibus conſiſtentibus in univerſum, ac praecipue de eorum a fluidis differentia,

 diver-

diverſisque diverſorum corporum fluidorum ac conſiſtentium ſpeciebus, differit. Fluida dividit in ea, quae viribus externis prementibus comprimi poſſunt, ut aer; et in illa, quae compreſſionem, ſaltem in ſenſus incurrentem, non patiuntur. Fluida compreſſibilia deinde diſpeſcit in ea, quae vi elaſtica ſe reſtituunt, et in ea, quae ſecus: qua occaſione origines inveſtigat elaſticae vis fluidorum, aerisque praeſertim, et ex experimentis Boylii, Muſchenbrockii, Hauksbei, Amontonii, Haleſii, aliorum, duo genera virium elaſticarum in aere colligit: aliam vim extrinſecus venientem, et ab igne profectam, aliam vero inſitam in ipſismet aeris moleculis; effectus primae multo minores eſſe effectibus alterius, et inprimis conatur demonſtrare A. ſecundam ortum ducere ab ingenita vi, qua particulae aeris, contra quam contingit in particulis aquae et mercurii, ſe invicem repellunt. Cum vero huic ſententiae adverſentur illa experimenta, quibus laudati philoſophi probare conati ſunt, ſaltem in iis compreſſionibus, quibus naturalis quadruplo denſior fit, easdem compreſſiones ponderibus impoſitis proportione reſpondere, propterea quod ex altera parte ex iis ſequitur, vires particularum aeris eſſe in ratione ſimplici inverſa diſtantiarum; et ex altera, in eius ſententia rationem quidem inverſam, ſed duplicatam earumdem ſequantur neceſſe eſt: non ſolum multus eſt in declaranda ſua ſententia, ubi inprimis ad experimenta, Tomi II. Part. I. provocat, quibus clari nominis mulier, Baſſia, edocuit, nimis praecipitanter a Boyleo, et ab aliis, qui ipſum ſecuti ſunt, poſitam illam legem fuiſſe, ut ſi quo pondere aer comprimeretur, is in ſpatium adduceretur tanto minus, et ab aliis reſtrictam, ſaltem ad compreſſionem duplo maiorem: eaque occaſione etiam Lomonoſſowii explicationem, qui in tentamine de theoria vis elaſticae, ad motum quendam recurrit oſcillatorium, examinat, atque iterum Lib. IV. redit ad eruendas ſpeciales motuum leges, quae in motu corporum ſpecialium obſervantur, easque duobus modis conſiderat, primum abſtracte, et varias leges ex hypotheſi aſſumendo, eo conſilio, ut motus corporum

ope

Digitized by Google

ope Analyſis more Geometrarum definiri poſſint; deinde ea ratione, quae Phyſicorum magis propria eſt, ad omnia attendendo, quae in ſpecialium corporum motibus, quatenus in hoc mundo contingunt, efficiendis, variandis, et aliter aliterque turbandis, aliquid conferunt. Primam illam partem iterum in duas diſpeſcit Sectiones, in quarum priore de colliſione corporum conſiſtentium cuiuscunque generis, in altera de iis, quae in dura, mollia, et elaſtica cadit, diſputat. Viam vero ſibi ad eruendas has motuum regulas munit, inſtitutis ante meditationibus de vi inertiae, deque ipſius centro in corporibus ſolidis. Ubi primo cum Cl. Koenigio, et aliis, enarrat proprietates et effectus, qui ab ea repetuntur, et inde ipſius origine derivata ab illa vi expultrice, in quam ubi corpora ad contactum pervenerunt abit attractrix, planum efficit, quid illi acceptum ferri debeat, quid minus, et quaenam eius proprietates a recentioribus obtruſae verae ſint, et in rerum natura locum obtineant, quaenam vero commentitiae, aut ab alia cauſa repetendae. Cumque recentiores eidem vi inertiae tribuant poteſtatem efficiendi, ut corpus perſeveret in eodem ſtatu quietis vel motus in directum, in quo ſemel eſt poſitum, niſi aliqua vis cogat eum ſtatum mutare, exponit Cl. Auctor Boscowichii ſubtiles rationes, quibus §. 13. Supplem. ad I. libr. elegantiſſimi poematis de philoſophia recentiori Cl. Stay, Romae 1755. editi, oſtendere conatus eſt, nullas eſſe rationes allatas aut afferendas a Phyſicis, pro demonſtranda illa motus lege, eas copioſe ac funditus convellit, ac tandem Koenigii veſtigiis inhaerens, demonſtrat, celebrem illam Cl. Newtoni legem, quod commune gravitatis ac inertiae centrum ſemper quieſcit, aut aequabiliter in directum movetur, quamvis corpora circumiacentia aliter aliterque in ſe agant. In oſtendendis deinde legibus colliſionis, tam directae, quam obliquae, corporum durorum ac mollium, duo praeſertim oſtendenda ſuſcipit: primo diſcrimen inter oſcillationes corporis duri ac mollis, interque illas, quae ſunt in elaſtico; ſecundo contra Graveſandum aliosque, quae leges in conflictu durorum obſer-

obſervantur, easdem quoque in mollium percuſſione obtineri. In determinandis legibus motuum in colliſione corporum perfecte elaſticorum duorum, vel plurium, nova utitur ſimplicique ratione, easque extendit ad colliſionem obliquam, ex qua motus rectus ſequitur, et praeſertim ad colliſiones corporum oſcillantium, atque rotantium; in quibus examinandis cum *Ioanne Bernoulli* Iac. Fil. diligenter verſatur, multa ex propria meditatione adiicit, quae ad declarandam difficilem hanc theoriam ſpectant, atque revocat ad examen, cum Ioan. Bernoulli patre, leges colliſionis obliquae corporum tam durorum et mollium, quam elaſticorum, ex qua motus aliquis in gyrum exiſtit, tandemque ad ſatis longam devenit diſquiſitionem, de principio conſervationis virium vivarum, quo Mechanici nunc paſſim utuntur, ad maxime difficilium aut theorematum inveſtigationem, aut problematum ſolutionem. Quod principium non ſolum iuſtis circumſcribit limitibus, cauſasque indicat, cur eius ope tot tantaeque veritates erui potuerint; ſed eius occaſione etiam de aliis principiis, e. c. breviſſimae viae, ac Maupertuiſianae minimae actionis, copioſe diſputat, nec non de legibus colliſionis directae, in corporibus quae imperfecta vi elaſtica donata ſunt. Quibus abſolutis, progreditur ad detegendam cauſam vis elaſticae corporum ſolidorum, expoſitisque philoſophorum placitis de eadem, earumque cenſuris, primum enarrat obſervationes ab Auctoribus factas, et experimenta inprimis circa transformationem ferri in chalybem, et diffractionem vel guttarum Batavicarum, vel ampullarum Bononienſium, quarum diffractionis originem, exploſa Cl. Belgardi ſententia, eam a tremitu derivantis, et oſcillatione minimarum fibrarum, ipſe a concluſa in earum meatibus magna ignis copia, ſe quaquaverſum explicare conantis, derivat; tumque ſuadere conatur, ſaltem in aliquibus corporibus vim elaſticam peti oportere ab intercluſo in meatibus fluido elaſtico, monetque, ſe non audere, ob nimias difficultates, hanc materiam prorſus definire. Inde venit ad motum corporum ſolidorum in medio fluido, ac reſiſtente. Quam arduam doctrinam,

in-

Digitized by Google

inhaerens veſtigiis Varignonii, Wolffii, et inprimis Euleri, iuxta diverſas hypotheſes, in magnam ponit lucem, explicando difficiliores Euleri calculos, et dando elegantes easque faciles quamplurium problematum, potiſſimum logarithmicae ac hyperbolae ope, conſtructiones. Conſtitutum erat Auctori, in hoc Tomo tertio de ſpecialioribus motuum legibus, quae ad phyſicam magis pertinent, cum in natura locum habeant, agere, ſed cum is in magnam excreviſſet molem, totam eam tractationem in phyſica ſpecialiori ſe nobis daturum promittit, atque hic unum tantum reſiſtentiae fluidorum effectum, qui in reflexione corporis ab aqua conſiſtit, expendit. Atque primum enarrat experimenta, in hac re ab aliis facta; tum exponit cauſam huius reflexionis, quae in peculiari libello allata eſt a Cl. Belgrado. Examinat eam perinde ac aliam, quae olim ipſi ſe commendaverat, ſed explodit ac veram exponit, novis experimentis a ſe factis, et rationibus confirmat, ac ab iis quae ei opponi poſſent vindicat. Tandem huic Tomo appendix adiecta, in qua Cl. Auctor de legibus attractionis copioſe agit, atque theoriam ſuam, quam Tomo II. Phyſ. generalis de attractione dederat, contra ea quae Cl. Gerdilius adverſus attractionem eiusque leges ſcripſerat, in libro qui ſub titulo, Sur l'incompatibilité de l'attraction, et des differentes lois avec les Phenomènes, Pariſiis 1754. prodiit, pulchre vindicat.

QVESTIONS DE DROIT NATVREL

h. e.

QVAESTIONES DE IVRE NATVRAE, ET OBſervationes in Baronis de Wolf, de Iure Naturae, Commentarios. Auctore Domino DE VATTEL.

Hagae Comit. 1763. 20 pl. in 8.

Varius iam, egregiisque ſcriptis orbem literis imbutum ſibi devinxit Auctor illuſtris, doctrinaeque laude inclytus,

tus, eaque re loci, quam obtinet, dignitatem, tanto tuetur praeclarius, quanto vehementius et delectatur ſcientiis, et iisdem amplificandis ipſe ſtudium impendit. In praefatione, Ius Gentium publica quadam tractatione ac ſingulari illuſtrare voluiſſe, ideoque Commentaria Wolfii diligenti manu triviſſe, et quae ſuum cohibuerint aſſenſum in chartam conieciſſe, declarat, ex quo hae obſervationes ſenſim paulatimque maius ceperint incrementum. Excuſat conatum ſuum, ea, qua honeſtum virum decet, ingenuitate, quod a tanti Viri, et omnino Philoſophorum noſtra memoria principis, ſaepe diſceſſerit opinionibus; laudat ſimul eius in hunc literarum ambitum merita immortalia, ſyſtema eius admirabile, principia in univerſum excellentia, plurimas conſequentias iuſtas, appellat, plurimumque ſe ex eius profeciſſe libris gratiſſimo animo teſtatur. Hinc Criticum ſe agere velle negat, ſed tantum commentari librum utiliſſimum Wolfii; cumque non omnes latina calleant, (cuius tamen linguae peritia veros philoſophos aetate noſtra inſtructos eſſe oportere cenſemus), ut Gallica ſeu nativa ſibi lingua exaratum opus, libertatemque ſuam excuſent lectores, vehementer orat. Nos omnino hunc laudamus conatum, verum a falſo diſcernendi, fineſque eruditionis philoſophicae latius proferendi; laudamus humanitatem, quam tanto Viro, ut dignum erat omnino, exhibuit, et potiora iam, in quibus a Wolfio ſeceſſionem facit, afferimus.

Statuit Philoſophus, hominem obligatum eſſe ad ſtudium virtutis, qua compareتur felicitas, et omne damnum evitetur. Sed haec demonſtrandi ratio diſplicet Auctori, quod ita ad felicitatem modo, non ad virtutem, homo ſit obſtrictus. *Car en général, il ne s'enſuit point, de ce que je ſuis obligé à une choſe, que je le ſois à une ſeconde, qui eſt l'effet même neceſſaire de la premiere.* Wolfium felicitatem velut effectum virtutis neceſſarium conſideraſſe, non velut obiectum; cum tamen obligatio hominis omnium prima felicitatem ſpectet, et perfectio ſit verus et unicus fons felicitatis huius, virtus autem medium ſolum perfectionis acquirendae. Itaque homi-

hominem potiſſimum ad felicitatem, tum, ut hanc conſequatur, ad perfectionem, et ut huius compos fiat, ad virtutem tendere debere. Sed, an qui ad finem obtinendum reſpicit, nonne is ad ſubſidia quoque huius finis impetranda eſt obſtrictus? Nonne in ordine officiorum ſemper virtus obtinebit primum locum, etſi, caput rei ſi ſpectes, felicitas ſummum, ita ut homo a virtute ad felicitatem aſcendat? Hominis eſſe ſuum corpus conſervare, inde probaverat Wolfius, quod actiones liberae eundem finem ſibi proponere debeant, quem naturales, has autem ad conſervationem corporis tendere, et, quod ad perfectionem maximam obligati ſumus, ideo et corpori conſervando vacare debeamus. Obiicit his ill. Vattelius, non omnes actiones naturales ad conſervandum, ſed ad corrupti potiſſimum et ſenectute confecti corporis deſtructionem ferri, et ſi ſumma ſit perfectio homini quaerenda, tum profecto plurimam ei utilitatem afferri, ſi animum liberet a corpore, itaque eum libertati ſuae et vigori, qui mole huius carceris opprimatur, reddat. Sed nonne hic actiones naturales, ſeu corporis ſani, cum praeternaturalibus, ut Medici loquuntur, ſeu corporis aegroti, permiſcentur? Nonne ſic Ius Naturae *αὐτοχειρίαν* commendabit? Homini non competere dominium in vitam ſuam, in corpus, aut ullum membrum, Wolfius docuit, nimirum abſolutum, et ipſi noxium. Sed Vattelius, eodem modo, inſtat, nec patrimonii ſui dominum fore hominem, imo ne pedem quidem laeſum reſecandi poteſtatem habere, idque abſurdum eſſe putat, omnem ita obligationem tolli. Wolfius certe Theologum egit, non ſolum Philoſophum, confirmantibus oraculis ſanctioribus, nihil eſſe noſtrum, ſed omnia Numinis praepotentis. Explicarat hoc Wolfius, dum homini competere ius utendi organis ſuis dixerat, quoties eorum uſum exigat obligatio quaedam naturalis: ſed Noſter hic ſibi Philoſophum repugnare arbitratur, propterea quod homo, qui non ſit dominus organorum, neque iisdem uti poſſit. Crederemus ipſum Ius Civile hunc ei ſcrupulum evellere potuiſſe; nam aliud eſt dominus, aliud

 fructua-

Digitized by Google

fructuarius. Carnibus animalium veſci licere, haud ſatis ad liquidum perductum credit Noſter, quod nondum extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum, num anima cogitante, et boni malique capace, ſint inſtructa, imo forte Deum eadem de cauſa comedere ſanguinem olim vetuiſſe. Sed quoniam plantae et lac beſtiarum non ſufficere videantur alendis hominibus, imo quod hae ipſae plantae ac fruges conſumi poſſent ab animalibus, nullo modo extirpatis, omnino licere eorum veſci carnibus arbitratur. Homo, ſtatuente Wolfio, obligatur ad pulchritudinem naturalem conſervandam, quoniam actiones eius liberae iisdem determinari finibus debeant, quibus actiones naturales. Ergo, obiicit V. obligari hominem ad deformitatem ſuam augendam, quod natura interdum in nonnullis corporibus actiones ſuas contulerit ad corpus informe reddendum. Sed his praeternaturalis eſt ſtatus, minime naturalis, qui ſemper ad pulchritudinem roburque corporis amplificandum inclinat. Dum W. magnanimitatem definit virtutem moderandi appetitum circa honores magnos, recte a Noſtro vituperatur nimis ab uſu et conſuetudine loquendi receſſiſſe, cum tantum ſpeciem virtutis huius, non virtutem ipſam definiviſſe docet, quam ponit in actionibus excelſis, ad quas fertur animus humanus, nullo ab iisdem periculo vel graviſſimo deterrendus, ſui ipſius dominus. Sic Caeſar erat magnanimus, non quod ſperneret honores, horum enim erat avidiſſimus, ſed quod hoſtibus ſuis, teſte Tullio pro Marcello, ignoſceret. Cenſet Wolfius, unicuilibet homini conſtantem ineſſe debere voluntatem, perfectionem ac felicitatem alterius hominis cuiuscunque augendi, idque dum profitetur, verum ſe φιλανθρωπον declarat. At Vattelius limitibus certis finibusque circumſcriptam hanc eſſe oportere curam putat, eandemque ſane in ſententiam Wolfius erat ingreſſus. Cum enim in ſummo diſcrimine vitam ſuam, alterius cum incommodo, imo morte, defendi poſſe doceat, profecto fines officiorum, quae ſibi quisque debet, haud nimis late prorogavit. Neque nos fatemur compertum habere,

num

num mandatum Dei, quo alios ſicut nos ipſos diligere iubemur, ad ſolam ſinceritatem, non ad gradum amoris ſpectet, ut A. Clariſſimo videtur. Multo minus cenſemus fieri non poſſe, cum naturae repugnet, ut alter alterum eodem quo ſe, proſequatur amore, ſiquidem ipſa ratio docet, principum vitam parentumque noſtrae anteponendam eſſe. Quae de amore, inimicis praeſtando, praeclare vereque diſſeruit ille, haec ita infringere ſtudet adverſarius, ut dicat, officia alterum iuvandi repeti ab auxilio mutuo, quod ſi ceſſet, ut in inimico vere ceſſet, etiam amorem deſinere, itaque nec inimicum diligendum, quod nullum nobis auxilium commodumque afferat. Sed haec nimis utilitatem, ab honeſtate ſeiunctam, ſpirare videntur. Naturam ipſam, ſibi perſuadet, incendere in nobis odium adverſus ea, quae nobis noceant, Deumque ſolum ab omni odio et ira hoſtium alienum eſſe. Quin imo, cum homo felicitatem augere ſuam debeat, eum neceſſario odio proſequendum videri, qui beatitatem eius imminuere velit. At nonne ſic appetitus affectusque imperat, ratio obtemperat? Nonne hoſti, quem magno proſequimur odio, maiorem praebebimus facultatem importandi nobis damna, quam ſi, caritate ei exhibita, propenſum eum nobis benivolumque reddiderimus? Cum Wolfius probat, eum, qui facit ut alter maneat imperfectior, eius imperfectionem promovere: negat id Vattelius, ratus, aliud eſſe ſi impediatur progreſſus, aliud ſi augeatur imperfectio. Sed nobis videtur Wolfius de imperfectione morali loqui, quae ſi non impeditur, tum habitus peccandi inde oritur, eaque re omnino eius imperfectio augetur. Tum vero praeclare ſane Noſter oſtendit, Scientiam moralem haud methodo Geometrica, atque evidentia Mathematica demonſtrari explicarique poſſe; quod ideae et termini vagas ſaepenumero propoſitiones incertasque efficiant, eaque re ancipitem faciant cogitandi rationem. Haud male etiam, contra Wolfium, calumniatorem cenſet cogi poſſe, ut quibus ſit ad conviciandum rationibus impulſus, indicet, ut omnia conſilia ſua detegat, ut alios ea re de malitia propo-

ſiti ſui convincat, etſi Philoſophum, quod negat, omnino convenire ſecum credamus, dum alio loco adiungit, fidem calumniatoris labefactare licere, eaque re ipſius Vattelii ſententiam confirmat, et ea, quae ipſe dixerat ante, iam diſtinctius exponit. De proportione inter peccatum et poenam praeclare quoque Noſter diſſerit, et Wolfio acutius omnino vidiſſe verum videtur. Dum autem ſenſum divinarum perfectionum alacrem et vividum (*ſentiment aſſez vif*) ne poſſe quidem eſſe in hominibus, niſi admodum mediocri gradu, ideoque ne Deum quidem ex Iure Naturae, ſummo coli amore poſſe, in eo, niſi nos omnia fallunt, contrariam ingrediendam nobis eſſe ſententiam putamus. Etenim certe obligationem hominis, Deum maximo amore complectendi, Ius Naturae imponit; nec, ſi modo operam adhibere velimus, adeo paucas et exiguas Summi Numinis perfectiones, idem Ius, ex Theologia Naturali illuſtratum, ante oculos ponit. Ex tractatione partis ſecundae haec potiſſimum obſervamus. Erravit Wolfius, dum in communione primaeva res *induſtriales* et artificiales communes cenſuit. De naturalibus non eſt dubium; ſed earum rerum, quas quis produxit, auctorem excellentius ſane ius habere quam alios, ſapienter monetur. Eodem modo recte ſtatuitur, ſi quis foſſores in agro ſuo conduxerit, iique in eodem auri argentique mineras inveniant, has haud eſſe operariorum, ut Wolfius ſtatuerat, ſed eius ad quem ager pertinet, domini nempe, quod operae nomine huius, locoque, opus faciant. Sin uſufructuarius invenerit, tum huic, non domino fundi, aſſignari theſaurum debere. Impenſas autem utiles interdum eſſe neceſſariis praeferendas, nobis perſuadere haud poſſumus; cum ea ſuppellex, quam negligit quis, ut aliam utiliorem comparet, vel plane non neceſſariam, vel certe haud aeque neceſſariam, atque illam putat ſapiens, cuius potiundae flagrat cupiditate. Etiamſi enim haud neceſſaria ſit revera, tamen ut neceſſaria a poſſeſſore conſideratur. Aenigma omnino antiquitate vocum laborat, ideoque difficilem praebet ſenſum; cumque omnis ſenſus difficilis ex no-

tione

tionibus pluribus, rei aut voci tributis, oritur, apparet exinde, in omni aenigmate ambiguos eſſe terminos debere. Virtutem interdum ſimulare licere, contra Wolfium A. arbitratur, quod homo, nondum habitum caſtitatis conſecutus, in conſortio feminarum honeſtarum, tamen ſe caſtitatis amantem fingere debeat, etſi minime eam poſſideat virtutem. Sed dum Wolfius virtutem ſimulare prohibet, et verba et actiones reſpicit, tumque is iuvenis certe caſtitatem non ſimulat verbis, dum eam probat et laudat ex animi ſententia, etſi re ipſa eam nondum poſſit probare perfecte, nondum habitum eius adeptus, amoremque certe virtutis huius pulcherrimae declarat, neque eum diſſimulat ullo modo. Si quis rem cuidam promiſſam alteri denuo promiſerit, priorem quidem valere promiſſionem recte largitur Vattelius, cum Wolfio, ſed ſapienter adiungit, alteri rem aequalis pretii praeſtandam eſſe, ſi nempe res promiſſa ſit eiusmodi, ut alter permittat mihi eam pretio mutare. Sed ne nimis longi ſimus, tranſeamus nonnulla, atque haec paucis adhuc tangamus. Perfidum omnino et eum appellamus, qui, quod ſe facturum recepit, minime perficit. Nam cum perfidia ſit vitium, quo efficitur contrarium eius, ad quod faciendum fidem ſuam aliquis obſtrinxit, omnino, ſi quis fidem non ſervet, contrarium facit, ob eamque rem eſt perfidus habendus; etſi Vattelius, hoc ſi fiat, falli fidem modo, ſin illud, perfidiam exerceri arbitretur. Verba ſolum differunt, haud res. Beneficiarium amare debere benefactorem, elegantius ſane ſolidiusque Wolfio, Noſter probavit. Venditorem vitium rei, et illa quae in oculos incurrunt, emtori indicare oportere, rectiſſime idem ex conſcientia demonſtrat. De Lotariis, ut Wolfius vocat, (ſur les Lotteries) pauca quidem, ſed praeclara diſputat, diſſentiens a Philoſopho; nam earum patrocinium ſuſcipere non videtur. In ſumma cibi penuria omnino alterum occidere licere, ne ſit omnibus pereundum, affirmat Vattelius, Wolfius negat. Ille quidem et vitam defendi poſſe, imo debere, praeſertim ſi ſocietatis integrae ſalus procuretur, exiſtimat; ut ſi nautae, omnibus alimen-

Digitized by Google

alimentis deſtituti, inter ſe in eo conveniant, aliquem ut mactent, quo veſcantur. Quod etſi, in ſumma anguſtia, haud illicitum videri poſſit, quod ex ſententia Noſtri, exiguum incommodum maiori eſt commodo poſtponendum: tamen, num ſalus reliquorum omnium ea re augeatur, vehementer dubitamus. Nonne enim alter poſt alterum mactandus erit, omnesque demum necandi, niſi frumentum apportetur? Qua ratione igitur vigebit ſalus omnium, extinctis omnibus? Videtur id animo proſpexiſſe Wolfius, dum prohibet invitum vel ſorte ductum occidere, ne ſit omnibus pereundum. Sed ſi vel id concedamus, nullam ſane repugnantiam in Wolfii ſcriptis reperimus. Dederat ille poteſtatem reſiſtendi laedere conanti, ſed ademerat facultatem, hominem in ſumma alimentorum penuria occidendi. Nulla vero hic pugna. Illic enim de ſumma vi ſermo eſt, quam vi repellere licet; hic autem vetatur homo alteri vim inferre, ſeu vitam eripere, invito. Itaque, cum liceat vim illatam defendere vi, apparet, haud licere alteri vim inferre, ſeu invitum mactare, niſi me ante laceſſierit. Aliud eſt etiam eiicere e ſcapha alios inſilientes, eamque praegravantes, ut in profundo mergantur, quod omnino licet iis, qui prius occuparunt ſcalmum; aliud homines manducare, atque ferorum modo hominum devorare. Nam illi, id ſi faciunt, certe hoc remedio ſervantur; hi autem ſe ipſos tandem comedere coguntur. Recte autem oſtendit, fefelliſſe Wolfium, dum de immerita alterius laude erudito detrahere licere negavit, idque omnino permiſſum egregie docet: partim quod alio ſpectet, eripere cuiquam laudem, qua ſit indignus, alio inurere, quod mereatur, dedecus; partim quod ſaepenumero ſalus publica eo homines officio obſtringat, ut alteri indignum denegent honorem, ut ſi quis liberos ſuos tradat erudiendos magiſtro, qui ſtipes ſit ac truncus, quales plurimi domeſtici, ſed ab aliis indoctis laude et admiratione affectus. Quae de educatione liberorum, ſumptibus communibus facta, ſi communio uxorum concederetur, traduntur, multis impedita ſunt difficultatibus, neque

que ideo hoc vitium horrendum permittendum. Polygamia Noſtro certe ex Iure Naturae ideo licita videtur, quod nonnulli, (et qui tandem hi ſunt Epicuri de grege?) ne abſtinere quidem poſſint a mulieribus per breve tempus, niſi ſanitati vim inferri velint. Num vero effrenatae voluptates Iuri Naturae, non beſtiis, ſed hominibus dato, conveniunt? Sic omnia profecto ſcelera defendi poſſent, nec ullus eſſet homo puniendus, ſi quid cupiditatibus ſuis permotus inſtigatusque fecerit. Hinc Maiorum laudat Polygamiam, ipſisque convenientiorem putat fuiſſe, quam nobis fore pollicetur. Alia ad hoc caput ſpectantia praeterimus, quod nimiam Iuri Naturae concedunt libertatem. De auctoritate ac principatu mariti prae uxore, A. egregie ſane ſentit, negatque, contra Wolfium, aequalem utriusque poteſtatem. Fortaſſe autem Philoſophus eam intellexit Legem Naturae, quae in Statu Naturali valeret, quoque nullus ſane praeſtat alteri atque excellit. At nos hodie in hoc ſtatu minime verſamur. Quaſi coniuges ſapienter etiam reiicit, quos ita, copula carnali iunctos, Wolfius appellarat. Sed hic finem recenſioni noſtrae imponimus, ne nimis copioſi, graves lectoribus ſimus. Id certe affirmamus, multa diſcendi cupidum in hoc libello inventurum, ad quae aciem ingenii, iudiciique vim intendere poſſit; multa accuratius ſolidiusque quam a Wolfio diſputata; multa quoque ſingularia, quae graviori commentatione dignisſima ſane videantur. Interim omnino maximopere laudandum Viri Amplisſimi inſtitutum cenſemus; cumque tantam et modeſtiam et ſubtilitatem oſtenderit, ut de literis praeclaris egregie mereri pergat, iudiciique ſui copiam faciat pluribus, rogamus.

ANMERKUNGEN UIBER DIE BAUKUNST DER Alten, etc.

i. e.

OBSERVATIONES SVPER ANTIQVORVM AEDIficandi ratione, auctore IO. WINKELMANNO.

Lipſ. ap. I. G. Dyck. 1762. pl. 12. in 4.

Et iam facta eſt a nobis, et fiet ſaepius, mentio Cl. *Winkelmanni*, de quo quid eſt quod ſibi non polliceri poſſint antiquae memoriae ſtudioſi? Tanta eſt in viro doctiſſimo ingenii elegantia et doctrinae copia; immo tam benigna illi oblata eſt a fortuna occaſio, cum, quae antiquis ex temporibus reſtant monimenta accurate contemplandi, tum indagandi nova ſollerter. Atque etiam in eo, quem indicavimus, libello, inſunt quaedam neque obvia ubique, neque nota vulgo. Longe enim aliam rationem ſecutus eſt V. A. quam ii, qui adhuc aedium Romanarum formam et faciem explicuerunt.

Ipſe miratur, illas aedes, quae maxime memorabiles videantur, et ſint, neglectas fuiſſe ab iis, qui antiquorum Architecturam illuſtrare conati fuerint. Illuſtrat hoc imprimis exemplo Poſidoniae, ſive Peſti, urbis prope ſinum Salernitanum. Nemo enim reliquias huius urbis ſatis accurate contemplatus eſt. Atque ideo accuratiſſimam, quanta verbis fieri poteſt, illarum deſcriptionem dedit in praefatione Auctor.

Quod ad ipſum libellum attinet, diviſus eſt ille in duas partes, quarum primo complectitur quae ad naturam Architecturae pertinent, altera tradit ornamenta.

Prima pars et materiam et aedificandi rationem, et formam aedium et partes exponit; quae quidem licet lubenter cum lectoribus noſtris communicaremus, vix tamen quidquam, praeter hinc inde decerptas particulas, dari a nobis poteſt. Deſcribendus enim foret nobis totus libellus, ſi filum auctoris ſequi vellemus. Inde a p. 1. exponit de lapidibus, quibus conſtruebantur aedes antiquae, de pulvere Puteolano, quo lapides conſtringebantur, de fundamento aedium: p. 9. ratio fornicum explicatur, multaque p. 14. de muris e lapidibus coctis compoſitis monentur. Pergit p. 15. ad duplices muros, quos tum adhibebant, ubi verſus editiorem montem aut locum aedes collocabant; eos ita

ad-

adhibuere, ut inter utrumque non parum ſpatii relinqueretur. Hoc modo et humiditatem removere, et ſibi cavere voluere a vento, animalibus fructibus et domibus noxio, qui Graecis λιψ, Romanis Africus audiebat. Quanta cura parietes conveſtiti fuerint, quomodo etiam deinceps verſati fuerint Romani in pavimento ſtruendo, a p. 16. docetur.

Forma templorum (p. 18.) apud Graecos, ſi pauca exceperis, erat quadrata. Latitudo exaequabat dimidiam partem longitudinis. Rotunda forma apud Romanos uſitatior fuit, quam apud Graecos (p. 20.). Pertinent huc etiam columnae, quarum varia genera ita explicantur, ut et partes cuiusque indicentur, et, quo quodque inventum fuerit, tempus addatur. Imprimis explicatur locus Euripidis ex Iphig. in Taur. v. 113. parum recte a Wilh. Cantero intellectus. Operae pretium eſt, repetere inſcriptionem antiquam, rectius ab auctore exhibitam p. 27. quam ab aliis. Habet illam ianua templi cuiusdam, et varias ob cauſas memorabilis illa eſt:

M. MANLIVS. M. F. L. TVRPILIVS.
DVOMVIRES. DE. SENATVS. SENTENTIA. AEDEM. FACIENDAM. COERAVERVNT. EISDEMQVE. PROBAVERE.

Illuſtratur quoque p. 29. locus Plinii L. XXXVI. C. V. male intellectus ab Harduino, ubi narratur, architectos, Saurum et Batrachum, in columnarum ſpiris ea animalia poſuiſſe, quorum appellatio nomini ipſorum in Graeco ſermone reſponderet. P. 34. opinio refutatur, palatia divitum in agris una tantummodo tabulatione inſtructa fuiſſe. Contrariam enim rem oſtendere, addit, villam Hadriani, et balnea Diocletiani atque Antonini.

Nolumus repetere, quae de tectis, faſtigiis, ianuis, et feneſtris aedium, inde a p. 35. dicuntur. Docet A. praeter alia p. 39. templa quadrata plerumque nullas feneſtras habuiſſe,

Digitized by Google

neque aliam lucem, quam quae per ianuam admitteretur. Si, quae reſtant, antiqua monimenta, conſideramus, magis adamaſſe tenebras, quam lucem in aedibus Romanos, apparet. Superne feneſtrae adaptatae erant, unde immiſſa lux multas ob cauſſas bonum uſum praeſtabat. Nec displicuere, quae p. 45. dicuntur de ſcalis, quae gradus altiores habuere, quam ut commode aſcendi poſſent. Nempe hi gradus prope templa hunc etiam uſum habebant, ut populus iis inſidere poſſet. Si quis rationem hypocauſtorum conſtructorum non tam expeditam, ut quibusdam videtur, cognoſcere velit, ille legat ea, quae p. 48. dicuntur.

Ornamenta ſane aedium duplicis generis ſunt. Quaedam externam aedium faciem, alia internam, decorant. Illa pertinent ad faſtigia, ad columnas, ad feneſtras; haec ad veſtibulum, ad contignationes, ad cubicula. Hinc oſtenditur p. 50. quomodo ornamenta adhibendi ſtudium ſenſim paullatimque creverit, demumque degeneraverit. P. 67. rationes ſubducit Auctor, comparatque antiquorum et recentiorum artificum longe diverſam rationem adhibendi ornamenta. Ex antiquorum ornamentis, inquit, ſimplicitas eminet, ex recentioribus longe diverſa facies. Illa amice conſpirant, et tanquam unius arboris rami exeunt. Haec evagantur interdum ſine et initio deſtituta. Tandem fronti aedium addita ſunt illa, ſi fas ita dicere, ornamenta, quibus Gallici quidam et Auguſtani artifices extremum picturarum ambitum obruerunt. Michael Angelo non parſimoniam et antiquorum imitationem ita obſervavit, ut debebat; luxuriabatur, nec modum tenebat in ornamentis adhibendis. Boromini, auctor corruptae architecturae, exemplum dedit maioris etiam luxuriei, quae mox per Italiam aliasque terras evagata, eo minus opprimitur, quo longius noſtra aetas a ſimplicitate et ſeveritate antiquorum receſſit.

WOE-

Digitized by Google

WOECHENTLICHE WAPPEN-BELUSTIGUNG.

id eſt

DELICIAE HERALDICAE HEBDOMADALES.
Pars I. II. III.

Auguſtae Vindelicorum in Bibliopolio Academiae Franciſceae liberalium artium: 1761-1762. cum multis figuris aere expreſſis, in 4.

Praefixa eſt parti primae lex Caeſarea, qua Auguſtisſimus Franciſcus Academiam, quae Auguſtae Vindelicorum coaluit, liberalium artium, ratam habuit, et liberalitate non ſatis laudanda varia illi conceſſit, quibus hoc inſtitutum adiuvatur. Quare etiam Societas, tanquam gratae mentis documentum, *Samuele Wilhelmo Oettero* interprete, hanc primam partem Auguſto Franciſci nomini dicavit. Ubi licet facile agnoſcamus pietatem Academiae, et gratum animum, minime tamen eandem ſe dignisſimam praeſtitiſſe Caeſarea gratia putamus. Quis enim illam imaginem huic epiſtolae additam intueri poteſt, quin, quam parum elegans ſit huius Academiae omnium liberalium artium ingenium in inveniendo argumento talis picturae, agnoſcat? Certe pudere debebat Directorem Academiae, appingere canem allatrantem Auguſtam familiam. Nec ingenioſa ſatis eſt illa inventio, quae principem iuvenem impoſuit chartae notatae verbis, *cum gratia et privilegio S. C. M.* Quis etiam eſt, qui primam picturam monſtrorum, aut, ut auctor putavit, dearum plenam, adſpiciat, quin optet, ut propitiorem deinceps experiatur Apollinem *I. D. Herz de Herzberg.* Certe ſi hic deus affuerit, non credimus nos iterum contemplaturos eſſe Danielem ſomnia Nabuchodonoſoris interpretantem p. 113. In univerſum monere oportet, fideliter quidem reddita fuiſſe antiqua monimenta, atque etiam ſat venuſte, inprimis ubi *Reinii* manus radium duxit; ſed ubi ipſi artifices invenire aliquid vellent, tum ſane nihil apparere,

 quod

Digitized by Google

quod deceat liberalium artium Academiam. Redimus ad librum ipſum.

Primo loco apparet *Oetteri* praefatio, in qua et explicat, et illuſtrat, et auget, et emendat, (nam certe emendare debebat peccatum, quod ſcripſerat *poëta Ligurinus* pro poëta Guntherus in Ligurino,) ea, quae illum diſputaſſe dein indicabimus. Mox ad inſtituti rationem progreditur, et cum imagines additas explicat, et ſe omnia Caeſarum, Regum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, et urbium ſigilla, quotquot inveniri posſint, editurum eſſe pollicetur: ſequitur praefatio viri ill. *Henrici Chriſt. de Senckenberg*, cuius argumentum brevibus enarrabimus. In univerſum quaedam monet de ſtudii heraldici utilitate et adiumentis; atque olim rei heraldicae maiorem curam habitam fuiſſe, quam nunc, addit. Quaeque aula habebat regem armorum (*le Roi d'arme*), cuius veſtigia pauca noſtra quoque aetate reſtant. Illius erat non exiguum munus: omnes enim legati atque praecones ad eum ducebantur; eorum qui aulam adibant genus explorare debebat; cuiusque nobilis mores cognitos habebat; praeerat praeconibus; inſignia curabat, emendabat; omniaque, quae huc pertinerent, curabat. Tranſit auctor ad praecones (*Herolde*), qui regi armorum ſubditi erant, quorum officium, in libello ao. 1520. edito, deſcriptum eſt. Enarrat auctor illorum munia, honoresque non exiguos, iura item. Penes hos erat olim omne ius inſignium, quoniam regi armorum inſerviebant, omniaque, quae ſpectabant ad proſapiam, inſignia, et honorem, curabant; donec Dei conſilio illud tempus adveniret, quo Iuriſconſulti hanc quoque partem ſibi vindicarent (*wo die Rechtsgelehrte auch ihren Kram bey dem Wappenweſen zu Marckte getragen.*) Hinc factum eſt, ut officium regis et praeconum ſenſim extingueretur. Suſpicatur V. Ill. praeconum etiam quasdam ſpartas fuiſſe in re feodali; deinde ad vocem *Herold* progreditur. Deducit eam ex voce *Heer* (exercitus), et *Ald* (ſervus). Coniicit, praecones originem ſuam ducere a populis Germaniae, ignotosque fuiſſe Italis. Nos quidem

dem, bona cum venia ill. Auctoris, putamus, munera patris patrati, praeconum, caduceatorum, et fecialium, certe occaſionem dare potuiſſe huic muneri, praeſertim cum notum ſit, plura officia e republica Romana translata fuiſſe in Germaniam. Sed ſimul profitemur, eos, qui ad Alexandri magni usque tempora progrediuntur, lepide errare. Mox obſervat A. regem armorum et praecones peculiare collegium conſtituiſſe, ad quod pertinebant nuncii, tum pedites, tum equites. Monentur quaedam de auctoritate praeconum, qui etiam de victoria ſententiam dicebant, et cui parti illa deberetur pronunciabant: tum cauſas enarrat, cur optabile ſit, ut munus praeconum iterum reſtituatur in magnis regnis: comparat dein praecones cum Notariis, eosque enarrat ſcriptores, qui de praeconibus expoſuerint. Attexitur lanx ſatura obſervationum, quae ad rem heraldicam pertinent. Quaerit V. ill. quomodo ſacerdotes inſignia adepti ſint? Facilis eſt reſponſio, lubentius in caſtris, quam in templo verſari, gladium quam Sacram Scripturam tractare, ſolebant. Quanquam neque negandum eſt, ſacerdotes Germaniae ex officio bellis intereſſe debuiſſe. Pergit A. ſignum gratiae fuiſſe, ſi Dominus cuipiam inſignia ſua, aut partem eorum, conceſſerit: duplicem Imperii aquilam a Graecis nos repetiiſſe, iuvenes quoque principes Imperatoris aquilam uſurpaſſe, immo etiam interdum principes extra legitimum matrimonium procreatos, de quorum ratione plura monentur: Fridericum II. primum duplicem aquilam adhibuiſſe (exſtant nummi antiqui, dati a Bandurio, qui Byzantinos quoque Imperatores hoc inſigne adhibuiſſe teſtantur). Adduntur excerpta ex Nicolao Uptono, Claudio Fauchet, et Spelmanni Gloſſario, una cum litteris quibusdam antiquis, quibus haec praefatio illuſtratur.

Tranſimus nunc ad librum ipſum *Oetteri*, quo explicatur inſigne S. Rom. Imperii, ita, ut auctor magnam diligentiam, eruditionem non vulgarem, et praeclaram rei heraldicae cognitionem, oſtendat. Ipſe liber in IV. capita deſcriptus eſt. Cuiusque argumentum breviter indicabimus.

Notum

Notum eſt, quantae diſſenſiones fuerint inter viros doctos de origine aquilae: quas quoniam auctor putat inde ortas eſſe, quod heraldicarum figurarum coniunctiones ignoratae ſint, de hac coniunctione exponit. Explicare illam fatetur omnes rei heraldicae doctores, ſed ad antiquisſima tempora neminem accedere; immo, ſi ea attingant, quaſi de re inſolita loqui. Oſtenditur hoc exemplo Zſchackwizii, Schmeizelii, Banizae, Reinhardi, Eſtoris. Antiquam rationem figuras heraldicas coniungendi fuiſſe hanc: alteram figuram alteri impoſitam fuiſſe, atque inde unam quaſi figuram factam: ſi exempli gratia princeps novum regnum acciperet, inſignia gentilitia ſecum ſaepe afferebat, quae deinde inſigni regni imponebat; ubi tamen notandum eſt, figuras tales eſſe debuiſſe, ut et apte imponi altera alteri poſſet, et diſcernerentur invicem, neque adeo una figura tota obtegeretur. Luculentum exemplum dant duo ſigilla, repetita ex Olivarii Vredi Genealogia Comitum Flandriae p. 37. et 55. Eadem, pergit, ratio obſervata fuit in inſigni Romani Imperii. Hoc certe compoſitum eſt ex duabus aquilis: hae figurae unius generis erant, poterat igitur altera apte imponi alteri; hoc etiam pro antiquo more artis heraldicae fiebat, una aquila alteri imponebatur. Idque eo melius fieri poterat, quia utraque aquila eundem colorem habebat. Una aquila tota ab altera obtegebatur, ita ut tantum duo pedes eminerent, unum corpus conſpiceretur. Ut autem appareret, duas eſſe aquilas, capita indicium praeferre debebant. Poterant etiam duo capita et colla obtegi, ut tantummodo unum caput, et unum collum obſervaretur; ſed quia talis figura unius aquilae ſpeciem prae ſe tuliſſet, non imponebantur ſibi invicem colla et capita, ut pedes, alae, et corpora, ſed diſtinguebantur ita, ut alterum collum et caput verſus dextram, alterum verſus ſiniſtram verteretur. Duo igitur capita illa indicio erant, non unam, ſed duplicem aquilam exhiberi. Capite vero hoc ideo indicabant, quia caput primaria pars et hominum et animalium eſt. Duplicem aquilam eſſe bicipitem hanc aqui-

Digitized by Google

aquilam docuerunt iam Noldenius, Molinaeus, Lipſius, quos male Pfeffingerus refutare ſtuduit. Male etiam Vitriarius et Harzheimius in hac re verſati ſunt. Ex antiquis ſcriptoribus docetur, iam olim duas aquilas inſigne Imperii Rom. conſtituiſſe. Haec de capite primo.

In altero quaerit A. quid hae duplices aquilae indicaverint, et quando primum uſurpatae fuerint. Qui de hac re ſcripſerunt, omnes adducuntur et refutantur. Sunt vero Lud. Heineccius, Pfeffinger, Ioachim, Treuer, Struvius, Heumannus, Koelerus, Schwarzius, Elsner, Wagenſeil, Caſp. Manzius, Spanhemius, Schloſſerus, Limnaeus, Fritſch, Auctores repertorii iuris publici et feudalis, Spener, Tenzel, Seelaender, Harzheim. Quaerit denique, an duplex aquila orta ſit inde, quod Germani ſub Imperatore Auguſto Romanis duas aquilas eripuerint in clade Variana? ſed hanc coniecturam non probari poſſe dicit.

Duplex aquila non eſt ſignum Romani Imperii, ſed eſt ſignum Rom. Imperatoris. Aquila ſimplex et Rom. Imperii ſignum erat, et Romani Regis inſigne. Tempus Imperatorum Suevorum ſimplicem et duplicem aquilam, tanquam inſigne, vidit primum. Romanus Imperator duplicem dignitatem, aut duplex regnum habuit, nempe Germaniam et Italiam: huc ſpectat duplex aquila: huc pertinet duplex corona. Germania et Italia duo ſeparata regna exiſtimata fuerunt, etiam ab ipſis Pontificibus. Hoc pluribus argumentis confirmatur, diſputanturque multa de quaeſtione, an aquila ſit inſigne Imperii Germanici, nihilque omittitur, quo oſtendi posſit, duplicem aquilam ad Germaniam et Italiam reſpexiſſe.

In Cap. IV. quaeſtiones ſequentes illuſtrantur: quis Rom. Imperatorum aut Regum uſurparit primus aquilam ſimplicem tanquam inſigne? Auctor Ludovicum Bavarum primum hoc feciſſe dicit: quid ſignificet circulus, qui in ſigillo Alphonſi caput aquilae ambit? dicit, ſignum eſſe ſanctitatis: cur aquila nigra exhibeatur? occidentalem aquilam ideo nigram eſſe putat, quia ſymbolum ſit regni verſus

 occi-

occidentem ſiti. Denique quaeritur, cur Imperator Carolus IV. bullam auream filis flavis et nigris muniverit: nempe, dicit, inſigne Imperii reſpexerunt. Clypeus flavus eſt, ſive aureus: figura ſive aquila, nigra; hinc etiam factum eſſe, ut veſtes ſervorum Caeſareorum his coloribus diſtinguerentur, ut qui *poſtarum* officio funguntur, aut equitum Imperii nuncii ſunt, eundem colorem prae ſe ferant. Haec de prima parte. Addimus illud unum, non pauca ſigilla antiqua, de quibus tamen ob brevitatis ſtudium nihil dicere poſſumus, illuſtrata eſſe.

Alteram partem implet eiusdem *Oetteri* illuſtratio Inſignis Ducalis Franconici, atque imprimis tres quaeſtiones explicantur: primum, habetne epiſcopatus Herbipolenſis inſigne Ducatus Franconiae? tum, ſi habet, etiamne iure obtinet? denique, poteſtne Imperator hoc inſigne alicui praeterea Statuum Imperii concedere? Occaſionem huic diſputationi dedit lis nuper coram iudicio imperii inter Epiſcopatum Würtzburgenſem atque domum Hohenlohe Waldenburgicam agitata. Totam orationis ſeriem ſequi non poſſumus; quare tantummodo argumenta attingemus. Primum agit A. de duplici genere inſignium: de inſignibus vexilli et inſignibus clypei; de inſignibus ſacerdotum. Oſtendit, epiſcopatum Würtzburgenſem olim nullum inſigne habuiſſe, nec poſſe uſurpare inſigne Franconiae: Franconiam nullum inſigne habuiſſe, nec Sueviam, Bavariam, aut Saxoniam: ſi etiam Franconia peculiare inſigne habuerit, non tamen Würtzburgenſem Epiſcopum illud uſurpare poſſe. Würtzburgenſem epiſcopatum non accepiſſe Ducatum Franconiae, nec prae aliis Epiſcopatibus quidquam praecipui habuiſſe. Monitis quibusdam de Advocatis Eccleſiae, narrat, Advocatiam eccleſiae Würtzburgenſis penes familiam Conradi III. fuiſſe: epiſcopos Würtzburgenſes neque in nummis, neque in ſigillis, titulum et inſigne Ducale uſurpaſſe, neque Seculo XV. hoc factum fuiſſe. Quaerit, quid occaſionem dederit epiſcopis Würtzburgenſibus, appellationem Ducum Franconiae uſurpandi: Gothofredum, ait, Limburgenſem

ſem, primum hoc nomen adhibuiſſe. Adduntur et illuſtrantur ſigna ſequentium Epiſcoporum: illuſtratur utrumque inſigne Epiſcopatus Würtzburgenſis, doceturque, epiſcopatum hunc iniuria queri, cum Imperator inſigne Franconiae alicui Statuum Imperii concedit. Reliquam partem occupat illuſtratio novi inſignis Hohenlohe Waldenburgici; addita ſunt ſeptem documenta antiqua.

Properamus ad partem tertiam, quae habet illuſtrationem inſignis Archiepiſcopalis Moguntiaci. Primum loquitur A. de fabula illa ſatis nota, Archiepiſcopum Willigiſum, rotam, in opprobrium nobilium quorundam, uſurpaſſe: examinat opiniones Gruberi et Eſtoris, Ayrmannique. De origine rotae ſententia auctoris haec eſt: primum dicit, hanc figuram rotam eſſe, atque ideo inſigne eccleſiae Moguntinae fuiſſe, nullam vero eſſe aliam rotam, quam curulem eandem. Refutatur fabula de Willigiſo: non eſſe rotam S. Martini oſtenditur, doceturque, hanc rotam indicare debere totum currum, et partem pro toto, ut aiunt, poſitam fuiſſe: intelligi debere eccleſiaſticum currum, et aurigam eccleſiaſticum: ita originem aquilae Imperii, a Petro de Vineis et Aenea Sylvio, ex Ezechielis cap. XVII. 3. 7. derivari. Fortaſſe igitur Moguntinum epiſcopum, id eſt, primum in Germania et proximum ab Imperatore, idem feciſſe, et rotam ex eodem Propheta Ezechiele cap. I. 15. 16. repetiiſſe. In litteris Archiepiſcoporum Moguntinorum frequenter Prophetae Ezechielis mentionem fieri, (o quam tenue argumentum!) denique hanc inventionem confirmare ſimilia exempla. Archiepiſcopum Sigefridum litteras An. 1069. datas ita finire: *acta ſunt hec anno dominice incarnationis indictione VII. regnante Domino Henrico quarto, Sigefrido Archipreſule*, curru Dei aurigante *feliciter*, *Amen.* Iisdem fere verbis finem imponi aliis litteris 1074. datis. Adduntur alia quaedam, cur rota Moguntiaca albo colore, et in rubra area cur exhibeatur: quot radios haec rota habere debeat: quis Archiepiſcoporum Moguntiacorum primus uſurpaverit hanc rotam: cur Archiepiſcopi Epiſcopique alii ſedentes

tes exhibeantur. Haec nobis dicenda eſſe duximus de hoc libro, quo antiquos aliquot nummos egregie explicari profitemur ab auctore, licet nec diffiteri poſſimus, illius opinionem magis nobis acute excogitatam, quam veram eſſe videri, praeſertim ſi cogites, hoc ſymbolum currus Dei non magis aliarum eccleſiarum, quam Moguntinae, proprium fuiſſe.

HISTORISCHE NACHRICHT VON BAYERIſchen Müntzen,

id eſt,

HISTORICA RELATIO DE NUMMIS BAVARIcis etc. Auctore IOSEPHO EVCHARIO OBERMAYR,

Francofurti apud Montagium, 1763. Alph. 1. plagg. 15. in 4. cum tabb. aeneis 10.

Accidit ao. 1753. in urbe Bavariae ſuperioris, Reichenhall, ut ab operariis quibusdam nummi non pauci invenirentur. Hos nummos illuſtravit auctor huius libri, cui non defuit varia doctrina, non defuit antiquiſſimae hiſtoriae accurata cognitio; ſed defuit bene ſcribendi ratio: unde accidit, ut non ſine taedio moleſtiaque poſſis legere res praeclaras, dicendi genere parum Theotiſco, diffuſo, et ob longiorem verborum ambitum obſcuro, narratas. Sed haec obiter. Laudamus auctoris ingenium, doctrinam, atque etiam patientiam. Externam faciem accurate conſideravit, inſcriptiones, figuras, materiam, pondus et craſſitiem, bene exploravit, et cum accurate exhibuit, tum deſcripſit diligenter. In explicatione non potuit non ſaepe ad coniecturas confugere; ſed invenit tamen quaedam non parvi momenti. Ita ex Tab. VI. num. 76. 77. 83. et Tab. VII. num. 97. patet, Duces ante ſolium regis inveſtitos fuiſſe; et ex num. 76. 77. tutoris iura eo proceſſiſſe, ut ſuam etiam imaginem nummis imprimerent. In univerſum monendum eſt, non negli-

negligendos eſſe hos nummos, quoniam ad Bavariam pertinent, atque ex aevo repetiti ſunt, cuius de nummis nihil exſtat, et de quo ideo pauca certe dici potuerunt. Sed agendum eſt de tota re paullo accuratius.

Pertinent hi nummi ad Seculum XI. et usque ad annum 1180. progrediuntur. Medium Seculum undecimum illud eſt tempus, quo nummi longe diverſam a prioribus ſpeciem prae ſe ferunt, in exhibendis variis hiſtoriis, ducibus, et epiſcopis, etiam ſanctis, aut aliis ornamentis. Inde a Duce Arnulpho, qui ao. 907. in Bavaria fuerat, usque ad Ducem Conradum, quem Imp. Henricus III. ao. 1053. dignitate privavit, omnes nummi ſibi ſimiles ſunt invicem. Exhibent crucem et lineas, quae templum indicant, inſcriptiones autem nomen Ducis et loci monetarii, quaedam litterae ad artificem monetarium ſpectant. Hi vero nummi longe alii ſunt, non inſcriptiones, non litterae apparent, ſed ſigna loquentia, ſymbola, et effigies. In tota collectione nullus nummus apparet, qui antiquioribus ſimilis ſit, id quod claro documento eſt, illos, his novis inductis, abrogatos fuiſſe, atque conflatos. Altera differentia eſt, quod paucisſimi horum nummorum inſcriptionibus gaudent, id quod et ignorantiae illorum temporum tribuendum eſt, et artificum ſtudio erga ſigna loquentia, hiſtorias, et ſymbola, quae non potuerunt non iis temporibus tam clara eſſe, quam nunc ſunt obſcura.

In Praefatione auctor exponit de numis bracteatis, atque ratione cudendi bracteatos: immo etiam de pondere atque valore bracteatorum, ubi oſtendit valorem monetae Carolingicum usque ad medium Seculum XI. duraſſe, licet hiſtoriae monimenta ſileant, nummos tamen ipſos hoc teſtari. Diligenter hic annotatur differentia inter priores atque recentiores.

Initium totius libri fit a nummis peregrinis et ignotis, qui cum Bavaricis commiſſi erant, id quod ideo fit, quia hi proponuntur non interrupta ſerie, atque hinc coniecturae quaedam deducuntur. Primus nummus pertinet ad Colo-

Digitized by Google

niam, ſimilisque eſt alteri, qui Archiepiſcopo Rainaldo tribuitur, qui a 1159. electus fuit. In altera parte clare conſpicitur nota CHIES, quae procul dubio Archiepiſcopi nomen indicat. Sequuntur nummi ignoti, atque hos nummi Caeſarei, qui in Bavaria cuſi ſunt. Nempe, ſermo eſt de iis nummis Caeſarum, qui Duces Bavariae non fuerunt, et tamen ibi nummos cudi iuſſerunt. Nam Imperatores, aut liberos, aut alios quibuscum neceſſitudine coniuncti fuere, Duces conſtituerunt: proſcriptiones etiam effecere, ut Imperatores Ratisbonae officinam monetariam haberent: Bavaria, atque urbs Bavariae primaria, ſaepe aut exercitus Imperii, aut iudicia vidit: praeterea etiam Imperatores inter iura reſervata retulerunt hoc; ut quoties iudicia haberent in regionibus Epiſcoporum, quibus monetandi libertatem conceſſerant, telonium et monetam ſibi vindicarent.

Non poſſunt nummi omnes deſcribi; igitur qui illos cognoſcere velint, ipſum librum adibunt, nos tantummodo paucos memorabiliores reliquis afferemus. In Tab. II. num. 19. eſt nummus, qui in altera parte ſedentem Imperatorem, dextra crucem tenentem, et in averſa crucem oſtendit. Auctor putat, nummum pertinere ad Conradum III, qui ao. 1147. in Palaeſtinam exercitum duxit, *crucem a Bernhardo Abbate cum multa mentis alacritate ſumens*, ut ait Otto Friſingenſis. Monentur hic ab auctore quaedam, quae ad inſignia Imperatoris pertinent.

Sequuntur nummi Bavarici ab Epiſcopis cuſi, ubi docetur, dubitationem, utrum ducale, an epiſcopale ius monetandi antiquius ſit, ex eo tempore diiudicari poſſe, quod oſtendat, Ducem Arnulphum, et alios, longe prius a Romanis Imperatoribus ius monetandi accepiſſe, longe prius monetas cudiſſe, quam Epiſcopos. Quae huc pertinent exponuntur, una cum aliis quibusdam, quae ad hiſtoriam epiſcoporum ſpectant. Primo loco apparent monetae Salisburgenſes, inter quas eminet quae memoriam habet Epiſcopi Salisburgenſis, honore legati nati ſacri officii ornati. Alius nummus pertinet ad hiſtoriam vexationum Salisburgica-

rum

rum, occaſione litis inter Imperatorem et pontificem, ob inveſtituram cum annulo et baculo, agitatae, ſaepius, imprimis tempore Gebhardi et Conradi, obortarum. Sequuntur nummi Brixinenſes, notati agno Dei, qui puritatem epiſcopalis muneris indicat. Unum horum nummorum in Tab. IV. num. 54. auctor coniicit ad Burckhardum, ab eccleſiae miniſtris occiſum, pertinere. Hos excipiunt nummi Paſſavienſes: quamquam opinio tota, hos nummos ad Paſſavium pertinere, coniectura nititur. Multo clariores ſunt nummi Friſingenſes, ob inſcriptionem cum capite Sancti Corbiniani; nam Dux Henricus II, Hezilo dictus, tale caput argenteum epiſcopo Abrahamo donavit, ut antiquum carmen teſtatur,

Dum iubet Heinricus, quam ſanctus Corbinianus
Splendet in argento, quod dedit ille Deo
Praeſulis Abrami fulgeſcit imago benigni,
Omnipotens animam ſalvet in arce ſuam.

Inter epiſcopales Ratisbonenſes nummos Tab. V. non pauci ſunt memorabiles: ubi etiam docetur, quid clavis indicet in manibus epiſcopi; quid ſignificet angelus, quem nummi Ratisbonenſes praeferunt. His enarratis, tranſit auctor ad nummos ducales in Bavaria poſt medium Seculum XI. Ducale ius monetandi antiquius eſſe epiſcopali, iterum docetur. Inventus fuit nuper nummus cum inſcriptione in una parte, HRAHTOLDVS DVX, in altera vero, REGINA CIVITAS: qui quidem pertinere videtur ad filium nothum Arnulphi, Rhatoldum, quem ex Hollenradia procreavit. Porro oſtendit A. duces iure proprio territorii, non ex privilegio Imperatoris, ut Epiſcopi, nummos cudiſſe; nam ſuperioritatem territorialem penes Duces fuiſſe, non penes Imperatorem. Primo loco apparet Tab. VI. nummus Henrici VI. Ducis, ao. 1053. cuſus, aliusque eiusdem et Conradi II, aliique ad an. 1056. usque, item numi Imperatricis Agnetis, usque ad an.

1061.

1061. de qua Adelzreiter circa an. 1057. ſcribit. *Agnethi Auguſtae, ob ſpem prolis, qua ſe ferebat gravidam*, Boiariae Ducatus eſt permiſſus. Nummus Guelfi I. et II. qui ad inveſtituram pertinet: nummus Henrici nigri et Guelfi II, qui memoriam ſervat ducum Guelficorum, excommunicatione papali liberatorum: nummi Henrici magnanimi, quorum unus ad proſcriptionem pertinet: hi omnes eximii ſunt. Leopoldi et Henrici Auſtriaci, nec non Henrici Leonis ſequuntur, quibus adduntur quaedam de moneta, telonio, foro, et origine urbis Monachii. Revertitur auctor deinde ad Henricum Leonem proſcriptum: quam hiſtoriam nummus ſervat. His expoſitis proponitur appendix, de nummis quibusdam ao. 1746. in monaſterio Reichenbacenſi inventis, cui additus eſt alius index, qui habet nummos anno 1760. in pago Norimbergenſi, Offenhauſen, inventos. Sunt illi circiter fine ſeculi XII, aut initio ſeculi XIII. cuſi, faciuntque cum ad continuandam ſeriem nummorum Guelficorum, tum ad rem monetariam illius aevi illuſtrandam. Pergit auctor his dictis ad nummos Ducum e domo Wittelſpacenſi usque ad finem ſeculi XIII, et mox, tributis nummis quibusdam Ottoni, tranſit ad filium Ludovicum, qui ao. 1231. interfectus eſt. Venit dein ad Ottonem illuſtrem, & duces Ludovicum et Henricum; ubi ſimul quaedam adduntur de hiſtoria rei monetariae Ratisbonenſis. His additus eſt *extractus* formularum pecunialium, diverſis locis et temporibus occurrentium, a Seculo X usque ad finem Seculi XIII. ex variis antiquis ſcriptoribus compilatus; quibus accedit tabula, qua valor nummorum Reichenhallae inventorum accurate definitur; alia item, quae ad nummos Offenhauſenſes pertinet. Has excipit *receſſus* rei monetariae Ratisbonenſis, inter Henricum ducem Bavariae Straubingenſem, et Henricum de Roteneck epiſcopum Ratisbonenſem, circa annum 1284. initus, et e codice membranaceo ſumtus, itemque receſſus rei monetariae Ratisbonenſis, inter Henricum ducem Bavariae inferioris ſive Straubinganum et cives Ratisbonenſes, poſt annum 1284. circiter initus, ex

eodem

eodem codice. Ultimo loco apparet tabula, ſumta ex codice antiquo, quae rem monetariam Seculi XIII. et XIV. multis modis illuſtrat.

IANI PLANCI, ARIMINENSIS, DE DVPLICI Tethyi genere, et de Manu Marina, ad Pium Iannellium, Senenſem, Academicum Phyſiocriticum.

Senis, ex Tomo II. Actorum Anno 1763. fol. pag. 8. Tab. aenea 1.

Vt rem gratam faceret Ianus Plancus amico ſuo, Pio Iannellio, Senenſi, epiſtolam ſcripſit in Actis Tomi II. Phyſiocriticorum inſerendam, menſe Aprili anni 1763. quae eſt de tribus corporibus marinis, quae non inepte zoophyta dixeris, ſi tertium excipias: haec licet ab aliis ſcriptoribus deſcripta, et aere expreſſa ſint, tamen minus apte id factum Plancus putat, ut ex verbis figurisque oſtendit.

Primum ex his corporibus eſt Tethyi genus, Aurantium Marinum dictum, quod Aurantium Luſitanicum forma et colore refert: hoc poſtremo deſcriptum fuerat a Vitaliano Donato, Profeſſore Botanico et Hiſtoriae Naturalis Taurinenſi, qui, dum haec ederentur, in Sinu Perſico occubuit, dum res Naturae in remotis illis regionibus ſcrutaretur. Eſt vero illud a Donato nimis ornate deſcriptum et pictum, itaut res naturalis non videatur, ſed potius quidpiam arte pictoria et circino geometrico deformatum; quod accidit in figuris fere omnibus ab eo deſcriptis: et tamen reticuit pulchrum Aurantii colorem in hoc Tethyo, nam forte nonniſi obſoletum et paene exſiccatum vidit, dubius etiam fuit, an ad Tethya, an ad Holothuria referret. Plancus igitur, ut eſt revera in ſtatu naturali et viridi, deſcripſit, et exprimi curavit. Omnino Tethym eſſe docet,

 quod

quod ſemper aliis corporibus adhaereat, et numquam ſit ab iis ſolutum, niſi vi avulſum, aut laceratum. Neque improbat Plancus Eliae Bertrandi Bernenſis coniecturam, qui opinatur huiusmodi Tethya originem dediſſe Phoſphoro Bononienſi, qui ex ſtratis radiatis a centro ad circumferentiam eſt compoſitus, ut ex fibris oſſeis radiatim eſt conformatum Tethyum iſtud.

Secundum Tethyi genus, quod in hac epiſtola deſcribit Plancus, eſt illud, quod deſcripſerat Rondeletius libro de Inſectis et Zoophytis cap. XXIII. ſub nomine Mentulae Marinae, alterius ſpeciei; ſed rudem figuram ille dedit, et avulſam, ut potius ad Holothuria, quam ad Tethya referatur. Plancus ſemper ſaxis vel conchis adhaerens invenit, quare Tethyum revera eſſe dicit, ut talia corpora haerentia dixerunt Ariſtoteles, Theophraſtus, et Rondeletius, aliique. Corpus hoc a piſcatoribus Adriatici maris Tamarognolo vocitatur, ut Plancus ait. Tale corpus repertum fuit etiam Neapoli a Bohadſchio, ut deſcripſit in Libro Dresdae edito, ſub nomine *Tethyi coriacei, cap. VII.* ſed ejus totum eſt ibi quibusdam punctis nigris notatum, ut quaſi ex opere teſſellato conſtare videatur, quod in Tethyo Planci non apparet, licet interdum puncta quaedam nigricantia in eo cernantur. Rondeletius et Bohadſchius figuram externam tantum deſcripſerunt, ſed Plancus anatomen internam dat, atque oſtendit, hoc Zoophytum habere ventriculum quendam ſimilem ei ventriculo mentulae illius informis, quae a Rhedio *Carnumi* dicitur, et cuius apte variis figuris anatomen dedit Plancus, in Appendice Libri ſui, qui de Conchis minus notis inſcribitur, capite XIX. Tab. VII. In prima editione eiusdem Libri, notitiam dederat eiusdem corporis, quod V. Clar. repererat in littore Ariminenſi, ſemiexſiccatum, eiusque imaginem dederat in Tab. V. eiusdem Libri ſub Littera V. et cap. III. pag. 45. ſic nominavit: *Tethyum, ſeu Mentula marina, penem caninum referens.*

rens. Bohadſchius variis in locis ſubtiliter circa hanc rem cavillatur, quod Plancus corpus illud *Tethyum* vocitaverit, et *penem caninum:* verum ſi corpus illud adhaerens erat, ut patet ex fibris laceris, quae ſuperſunt in eius baſi, ad Tethya referri debebat; et ſi hoc Tethyum a Rondeletio vocatum fuit Mentulae marinae altera ſpecies, ad penem quoque referri poteſt, nam penis et mentula idem ſunt. Anatomen diligenter dat Plancus Tethyi huius ſui ſecundi, cui rei tres integras figuras dicavit.

Poſtremo loco in hac Epiſtola deſcribit Plancus *Manum marinam*, ſeu *Manum latronis* Botanicorum, quam multi memorant; ſed eam melius quam alii pinxit Ioſephus Ginannius, Ravennas, in opere ſuo poſthumo, quod eſt de Plantis marinis, ſimulque ad fungos marinos retulit. Plancus hanc plantam horizontaliter diſſecuit, et reperit eam tubuloſam, ſeu fiſtuloſam eſſe, ut eſt pedunculus plantarum aquatilium, et praeſertim Nymphaeae. In extremitatibus ſuperioribus huius plantae, ſeu in digitis eius, vidit quibusdam temporibus apices quosdam rubicundi coloris, quos flores credit, qui lente vitrea aucti videntur ſinguli ex ſex ſtaminibus geniculatis conſtare. Quare corpus hoc marinum plantam credit, et non polyporum nidum, ut ſunt multa alia corpora marina, quae Lithophyta, Keratophyta, Fuci, et Spongiae vocitantur. Quum nullum veſtigium polyporum in tubulis illis reperiatur, et coriacea ſit materia tota huius plantae, non carnea, neque cartilaginea, ut ſunt Zoophyta pleraque.

GRAECA ET LATINA LINGVA HEBRAIZANtes, ſeu de Graecae et Latinae Linguae cum Hebraica affinitate, Libellus; cui accedit brevis Tractatus de linguae Italicae Hebraismis. Auctore P. PAVLO MARIA

MARIA OGERIO, Ordinis Carmelitarum, Sacrae Theologiae in Taurinenſi Coenobio Lectore.

Venetiis typis Sebaſt. Coleti, plagg. 12. in 8.

Vndecim capitibus, excepto Appendice de linguae Italicae Hebraismis, totum Auct. Cl. abſolvit libellum. Praemiſit autem Cap. I. Praenotanda quaedam circa linguarum affinitatem in genere, in quibus multa de diverſis huiusce affinitatis modis ingenioſe atque eleganter expoſuit. Monet autem, id quod ambabus ipſi concedimus, falſiſſimam eſſe eorum perſuaſionem, qui, unius duntaxat idiomatis gnarum, aliorum protſus inſcium eſſe et extorrem credunt, quum propria quemvis experientia, ad diverſarum dialectorum naturam attendentem, contrarium doceat. Nec minus recte V. Cl. praecepiſſe arbitramur, dum ait: in derivatione vocum ex una in aliam linguam, nullam vocalium habendam eſſe rationem, ſed ex ſolis conſonantibus, et quidem radicalibus, diiudicandam eſſe vocum affinitatem. In his vero litterarum eiusdem organi, quippe quae facile invicem, ob ſimillimam inter ſe conſonantiam, permutantur; deinde gutturalium etc. denique figurarum, quales ſunt Protheſes, Apocopes, Epentheſes, Metatheſes rell. nec non diverſarum formarum, abſolutae nempe atque conſtructae, rationem eſſe habendam. Cap. II. propius ad argumenti ſui tractationem accedit. Docet enim in eo, quaenam Graecae linguae cum Hebraica ſit affinitas. Quae vero cum duplici modo ſeſe exſerat, quoad litteras nempe, atque idiotismos, utroque eam demonſtravit. Litterarum vel vocabulorum, quorum magnum hic adiecit catalogum, exempla haec ſunto: *αβαλη* inutile — הבל vanitas; *αγειρω* congrego — אגר *idem*; *αγω* (*Aphaereſis* א) — נהג *idem*; *ανια* moeror אניה *idem*; *αρθμος* amicitia — רתם ligare; *δεινα* quidam — דכה *Chald.*

Chald. idem; δικη iuſtitia (*ablato* צ *per Aphaer:*) — צדק *idem;* ερωταω rogo (Metatheſis) — עתר *idem;* φθογγος locutio — פתגם *Chald. ſermo.* Inter Idiotismos Graecae linguae cum Hebraica communes, Noſter primo loco ex Salmaſio retulit hoc, quod Graecis olim uſitatum fuerit, cum verbo nomen affine, emphaſeos gratia, coniungere, ut μανιαν μαινεσθαι, φευγειν φυγην; deinde idiotismis haec quoque adnumerat, quod Graeci, Hebraeorum Hiphil imitati, ex γνωω, *cognoſco*, fecerint γνωριζω, *notum facio;* quod cum verbo ſingulari neutra pluralia coniungant; quod Graeca lingua, Hebraeae inſtar, dualem numerum admittat; quod duplex habeat E, breve E et longum H; quod denique Graeca olim, ut Hebraea, deſtituta fuerit articulis. Cap. III. Linguae Latinae cum Hebraea affinitatem expoſuit. Vocabulorum autem, quae A. Cl. produxit, haec ſufficiant exempla: Abbas, Avus — אב pater; Ad — עד *idem;* Adeps, — טפש fut. אטפש pinguefieri; Aemulor — מול, אל מול, contra; Aſinus (*ab auribus denominatus*) — אזן auris; Aveo — אוה concupiſcere; Obedio — עבד *idem;* piger — פגר *idem*; Rapio (*Aphaer. T.*) טרף; Via — ביאה *idem;* In generalioribus ſermonis convenientiis numerat: quod utraque articulis nominum caret; quod vetus latina nullas olim litteras duplicabat, v. c. *tera* olim, non terra; quod methodus ſcribendi absque vocalibus olim etiam apud Latinos invaluiſſe videtur, v. c. *bne*, *ptere*, pro *bene*, *petere;* quod tandem vetus latina in hoc etiam cum Hebraea conveniſſe videtur, ut ſubaudiretur Praepoſitio, aut Nomen in Adverbium degeneraret. Cap. IV. in quo eadem affinitas inter duas haſce linguas, et Hebraicam, in characteribus oſtenditur, mittimus, quum vix in eo reperias, quod non iam ſit pervulgatum. Cap. V. ad quaeſtionem, quaenam ex his linguis ad Hebraeam propius accedat, reſpondet. Quod autem de Graeca argumento Iſ. Caſauboni, a propinquitate et loci et temporis deſumto, affirmavit, ſimulque

 Tho-

Digitized by Google

Thomaſſini contrariam ſententiam exploſit. Sexto dein Capite, affinitatem harum linguarum cum Hebraica, et probare earum ab Hebraica originem, contendit. Cap. VII. Auct. Cl. probandum ſibi ſumſit, diſcrimina, quae inter praefatas linguas ſuperſint, minime huic origini obſtare; ait enim, eos, qui haec obiiciant, inprimis ignorare videri, quam diverſa ſit harum linguarum ratio, quamque inter ſe ſimiliter diſcrepent in ſermonis ubertate et copia dictionum: uti enim Hebraea themata vix ad mille quingentorum, vel ſecundum alios vix ad quingentorum numerum pertingant, Latinae e contra tantam eſſe vocum copiam, ut eorum quinquies centena millia numeraverit Varro; neque minorem fortaſſe in Graeca reperiri. quapropter mutuam harum linguarum cum Hebraica affinitatem, non tam ex vocum Graecarum et Latinarum Hebraeae affinium numero dimetiendam eſſe, quam ex numero radicum Hebraicarum, ex quibus multae prodeant Graecae et Latinae dictiones. Mox Cap. VIII. nec hiſtoriam Babelicae confuſionis huic origini obſtare demonſtravit. Putat autem, cum Deus univerſalem illam linguam, quae primitus vigebat, ita perturbare conſtituiſſet, ut opus inceptum Babelicae turris intermitteretur, ad id ſatis fuiſſe, ut alter alterius loquelam omnino non intelligeret; cui vero confuſioni pariendae quam levis ſufficiat varietas, ex linguae Latinae dialectis ſat aperte innoteſcere. Cap. IX. probare eſt conatus doct. Ogerius, linguam primaevam non interiiſſe, ſed ſupereſſe adhuc, eamque non Arabicam, non Chaldaicam, non Armenicam, non Aegyptiacam, ſed Hebraeam eſſe. Ad quam ſententiam ſtabiliendam haec in primis momenta protulit: quoniam nempe haec lingua ſit ſimpliciſſima; et quoniam ſit ſingulari in rebus exprimendis energia. Cap. X. rationem, qua tot recenſitae Hebraeae voces ad Graecos et Latinos pervenerint, docuit. Hanc vero non ex mutuo Hebraeorum cum Graecis atque Latinis commercio, ſed ex coloniarum de-

ductio-

Digitized by Google

ductione, de una regione in alteram, repetiit. Cap. XI. quomodo ad Graecos et Latinos pervenerint Hebraeorum litterae, oſtendere operam dedit. Quoad priores ab iis diſſentit, qui putant, a *Cadmo* demum litteras in Graeciam eſſe illatas; ſed characteres longe prius, et a primis iam temporibus, in Graecia obtinuiſſe arbitratur, quamvis non neget, lapſu temporis Cadmum, vel alium quempiam, illa ipſa, quam deinceps ſortiti ſunt, forma, characteres in Graeciam invexiſſe. Quoad Latinas autem hanc profert ſententiam: Latinos a Graecis litteras non eſſe mutuatos, ſed eas Graecis vetuſtiores eſſe, vel ſaltem tam Graecas quam Latinas a primis hominibus ex Oriente fuiſſe delatas.

Huic tandem opuſculo Appendicem de linguae Italicae Hebraismis adiecit, quos in vocibus iterum atque ſyntaxi reperiſſe putat. Primo in vocibus: Alfiere - אלוף ductor; Ammalato - אמל debilis; Mangione מעון habitatio; Meta - מטא *Chald.* pervenire; tolto - מרש volare. Deinde quoad *Syntaxin* et Idiotismos: quod nulla in utraque lingua locum habet nominum declinatio; quod nullus datur comparativus, nullus ſuperlativus; quod pronomen verbo, et praepoſitionibus, ſaepe etiam nominibus affigitur; quod nullus apud Hebraeos eſt uſus Gerundiorum et Supinorum, ſed iſtorum loco quatuor litteras ב כ ל מ, et Itali *in, con, a, da*, Infinitivo praeponunt; quod tandem in utraque lingua duae negationes ſucceſſive non affirment, ſed negationem adaugeant.

Haec ſunt potiora huius opuſculi momenta, in quorum recenſione, ſi per inſtitutum licuiſſet, libenter uberiores fuiſſemus. Reſtat ut, quid nobis de toto doct. Ogerii inſtituto videatur, breviter et ingenue dicamus. Negare non poſſumus, illud in univerſum nobis probari, quod ea, quae in hoc libello pertractantur, non ingenioſe ſolum atque docte ſunt excogitata, ſed firmo etiam fundamento ſuperſtructa eſſe

Digitized by Google

eſſe videntur. Unde enim ea linguae Graecae et Latinae cum Hebraea affinitas, quae inter haſce linguas intercedit, oriri potuiſſet, niſi vna alteri, magna ſaltem ex parte, ſuam deberet originem? Quamvis igitur huic Cl. Auctoris inſtituto in univerſum ſubſcribimus; ſunt quaedam tamen, quae non omnino probare poſſumus. Diſplicet, primo, quod non, antequam ad argumenti ſui pertractationem accederet, aliquot Dialectos orientales, de quibus nempe certo certius eſt ex lingua Hebraea eſſe ortas, ita cum earum matre comparaverit, ut pateret, quantopere lingua, ortu eadem, ab hominibus ſub diverſo climate habitantibus uſitata, deformari poſſit et ſoleat. Quae comparatio graviſſimum ſane pondus huic hypotheſi ſtabiliendae addidiſſet. Nec ſatis porro providus fuiſſe videtur Cl. Ogerius, in ipſa vocum Graecarum et Latinarum cum Hebraeis collatione. Saepius enim in hoc lapſum eum eſſe arbitramur, quod in leviſſima acquieverit ſimilitudine, ita ut una vix littera vocis Hebraeae voci Graecae aut Latinae reſponderet; deinde, quod utriusque vocis ſignificationem toties non curaverit, quae tamen, ut nos quidem arbitramur, in tali re maxime attendenda erat, cum non qualiscunque conſonantia utriusque vocis ſolum, ſed una potius eademque illius ſignificatio, quae coniunctam ſecum habet conſonantiam, unius ex altera ortum arguat.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Septembris Anno MDCCLXIII.

Pars II.

GEORGII CHRISTIANI GEBAVERI, ICTI ET ANteceſſ Iur. Primar. Narratio de Henrico Brenkmanno, de manuſcriptis Brenkmannianis, de ſuis in Corpore Iuris Civilis conatibus et laboribus. Accedunt Mantiſſa de libro rariſſimo, Bibliotheca Antonii Auguſtini, et Vita Henr. Newtonii.

Goetting. ap. Vid. Vandenhoek, Alph. 1. plagg. 11. in 4to.

Egregium fuit omnino conſilium, quod coeperat olim de nova Corporis Iuris Civilis editione curanda Illuſtris Gebauerus: de cuius exitu, cum iam propter provectiorem aetatem fere deſperaret, ne, quale eſſet, plane ignorarent docti, copioſius in hac de Brenkmanno enarratione expoſuit. Quo excellentiora autem eruditi expectare poterant ab viro in antiquae iurisprudentiae commodum nato, omnibusque rebus, quae in eleganti Iureconſulto praeſtantiſſima celebrantur, egregie inſtructo, et in labore perferendo patientiſſimo; eo magis iisdem dolendum eſt, eum occupationum, quae ipſi omne otium ſurriperent, mole depreſſum, nondum abſolvere potuiſſe negotium, in quo et delicias ſuas, et ab laboribus vacationes omnes poſuerit, iam vero eo etiam valetudinis infirmitate redactum eſſe, ut de

Digitized by Google

eo perficiendo omnem plane ſpem deponeret. Non autem tam ipſius Gebaueri cauſa, cui laborum et ſtudiorum fructus, et paratiſſima eruditionis laus intercepta perit, quippe qui iam aliis editis, atque ab intelligentibus cum plauſu et admiratione exceptis libris, eruditioni famaeque ſuae aere perennius monumentum poſuit; quam univerſae potius rei litterariae cauſa dolendum eſt, hocce praeclarum inſtitutum, viri Illuſtris exitu caruiſſe. Iam olim viri docti editionem librorum Iuſtinianeorum deſiderarunt, quae fide ſumma eſſet ad antiquiſſimorum librorum auctoritatem expreſſa; quaeque ſimul doctorum virorum annotationes ita ſubiectas contextui exhiberet, ut omnia, quae ad rem pertinerent, ſtatim lectorum oculis obverſarentur. Recte enim intelligebant, in Taurelliis nonnunquam fidem, in van Leeuwen ſemper diligentiam deſiderari, Gothofredum multa inutilia poſuiſſe, in univerſum autem Veterum Iureconſultorum reliquias ab criticorum audacia ita crudeliter eſſe tractatas, ut, ſi earum auctores in vitam redirent, eas pro ſuis agnoſcere plane non poſſent; multa denique in variis Iureconſultorum recentiorum ſcriptis eſſe diſperſa, quae ſi ad ſua loca eſſent relata, plurimum luminis accendere, obſcurisque legum capitibus intelligentiam et facilitatem afferre poſſent. Sed quantae difficultatis ſit, atque laboris, in eiusmodi negotio ſuſcipiendo, ad quod perficiendum, neque unius hominis ingenii vires, neque vitae ſpatium ſufficere videtur, ſi quis cum laude in eo, et ita ut doctis et intelligentibus probetur, verſari velit, quis eſt qui non intelligat? Praeter utriusque enim linguae iuſtam ſcientiam, et antiquarum rerum, humanarum pariter ac divinarum, cognitionem abſolutam, indefeſſa diligentia in evolvendis antiquis cartis, et genuinis ad earum fidem legum verbis ubique reſtituendis, afferenda eſt, et ſumma patientia in perluſtrandis doctorum commentariis, colligendisque, quae ad illuſtrationem vel emendationem ſingulorum locorum pertineant. Neminem igitur, niſi egregie doctum, in antiquiſſimis rebus verſatisſimum, iurisque praeceptis praeclare imbu-

tum,

tum, quemque nec laboris immenſitas, nec operis magnitudo, ab ſuſcepto deiicere poſſit, de hac re cogitare poſſe apparet. Quae cum ita ſint, cumque tam multa deſiderentur in editore Romanarum legum, quis, quaeſumus, Gebauero, bonarum litterarum cauſa non maximas gratias agat, quod tanti laboris molem in ſe recipere non recuſaverit, in primis cum eo nemo inſtructior paratiorque accedere potuiſſet; noſtris maxime temporibus, quibus Iureconſultis plerumque elegantia, elegantiarum autem amatoribus iuſta legum intelligentia, deeſſe ſolet: quae omnia in Gebauero longe aliter, quippe qui forenſium rerum quotidianum uſum cum elegantiae ſtudio ſapienter coniungere a primis annis didicit, antiquarumque linguarum et rituum ſcientiam non minus, quam legum ad facta applicandarum rationem, optime tenet. Verum grandior haec felicitas, quam ut exitum habere potuiſſet. Magna multaque impedimenta effecerunt, ut tanti operis tantummodo umbram atque delineationem doctis dare poſſit, perfectionem aliis, quibus haec veſtigia premere ſatis et otii et ingenii ſit, relinqueret Gebauerus.

Iam igitur ipſa Narratio, cuius ſummam referre noſtrum eſt, in quatuor diviſa eſt partes. Primo loco de Henrico Brenkmanno exponit. Fuit autem Vir iſte doctiſſimus origine Germanus, gente Belga, patria Roterodamenſis, natus anno ſuperioris Seculi LXXX, vel LXXXI. quem, quoniam incertus eſt, adſcribere Gebauerus dubitavit. Prima ſtudiorum ſtipendia Hagae, deinde Lugduni, ſub Noodtii auſpiciis, meruit. *De Legum inſcriptionibus* propoſita diſſertatione, ſummos in iure honores a. 1705. conſequutus eſt. Brevi poſt, antequam Academiam relinqueret, edidit librum *ad legem Remmiam*, qui hodie, una cum eius diſſ. *de ſtatu calumniatorum ſub Imperatoribus*, in Ottonis Theſauri Tomo III. habetur. Diſceſſit deinde Hagam, ibique cauſis forenſibus orandis non ſine laude interfuit, annoque 1706. *Diatribam de Eurematicis* publici iuris fecit. Iam cum intelligeret, ſcripta ſua haud diſplicere ſa-

 pien-

pientibus harum rerum aeſtimatoribus, de maiore opere ſuſcipiendo cogitavit, conſiliumque, hortante in primis Noodtio et Bynkershoekio, coepit de Pandectis in capita digerendis, naturalique ſuo ordini reſtituendis, cogitare; (de qua re etiam Leibnitzium cogitaſſe conſtat,) eiusque rei cauſa propoſuit ſpecimen, quod inſcripſit: *Pandectae iuris civilis, auctoribus ſuis et libris reſtituti, rel. Speciminis loco hic prodit P. Alfenus Varus*, Amſt. 1709. 8. Exiguae molis, ſed eximiae hodie raritatis libellus. Relicto tamen deinceps hoc conſilio, ad collationem Digeſtorum cum Pandectis Florentinis animum adiecit, et Italicam quoque ad viſendum Tuſcum Pandectarum librum peregrinationem ſuſcepit. Riſit hoc omne conſilium Iacobus Gronovius, qui praeter ſuos quemquam ſapere velle ferre non poterat. Eventus tamen votis Brenkmanni egregie reſpondit. Nam Vitriario et Io. Clerico autoribus, Florentiae in familiaritatem Newtonii, Annae, magnae Britanniae Reginae ibi Legati, atque Antonii Mariae Salvinii, pervenit; quorum primo principalis gratiae apud Coſmum III. conciliatore, altero in conferendo Codice laboris ſocio, uſus eſt. Huic autem collationi integros menſes XIV. inſumſit, aliosque decem excerpendis Baſilicis. Iterumque, reverſus ex Romano et Neapolitano itinere, tres menſes Digeſtis dedit. Romae autem Codices Vaticanos, Ottobonianum, et Barberinianum perluſtravit. Iam quanquam totus eſſet in veterum Iureconſultorum fragmentis perpoliendis, tamen reliquas litteras non neglexit, ſed earum quoque utilitatem curavit. Id quod exemplis diſcitur. Scripſit nempe ad Gisbertum Cuperum de edendis Xenophontis Epheſiacis, et Charitonis Eroticis, cum verſione et notis Salvinii. Sed res exitu caruit, nullo apud Belgas bibliopolarum honeſtas conditiones offerente. Transmiſit deinde Ioſephi Averanii Interpretationes Iuris ad Bynckershoeckium atque Noodtium, qui illas typis exſcribi curavit. Denique etiam Novellas nonnullas, ex Codice Vaticano et Mediceo deſcriptas, cum Hombergkio zu Vach, illo tempore in Novellis latine reddendis occu-

occupato, communicavit. Auctor denique fuit Societatis Litterariae, cuius ſuprema lex, cura promovendi commercii litterarii cum transmontanis, atque librorum doctorum Italorum in Belgio imprimendorum, fuit; quod tamen conſilium, etiamſi propter communem utilitatem ſeſe Italis vel maxime commendaret, ob alias multas difficultates nullum exitum habuit. Antequam ex Italia diſcederet, ab Salvino Salvinio, Antonii Mariae fratre, Academiae Florentinae Conſule, Academici Florentini honores accepit. Recepit deinde ſe ex hac peregrinatione, cui XM. florenorum Hollandicorum inſumſerat, per Gallias, in patriam. Ibi redux, tanto Pandectarum edendorum flagrabat ardore, ut oblatos honores recuſaret, atque allectus inter Senatores Supremae curiae Cuilenburgenſis, inter honorarios collegas ſubſiſteret, brevi autem poſt, ſtudiorum cauſa, Henvlitam, inſulae oppidum, ſecederet. Scripſit ibi *Epiſtolam de Conſulibus, quorum in ff. ſit mentio,* quae in Appendice ad Relandi Faſtos conſulares legitur. Sed infirma deinde, in primis oculorum, valetudo, Brenkmannum impedivit, quo minus abſolveret opus, cui magnam vitae partem inſumſerat. Tandem anno poſt reditum ex Italia nono, *Hiſtoriam Pandectarum* edidit, quae futuri operis maximam cupiditatem apud doctus excitavit. Sed per tredecim deinde annos nihil ſcripſit, immo ita latuit, ut, an adhuc in vivis eſſet, non conſtaret inter eruditos. Tandem denique ſe adhuc ſuperſtitem eſſe docuit *Epiſtola ad Heſſelium* ſcripta, qua praecipua capita epiſtolae Guidonis Grandi de Pandectis, nec non diſſertationis Schwarzii, ſimilis argumenti, qui aliter atque ipſe de Pandectis Florentinis ſenſerant, examinavit. Annos natus LV. vel LVI. a. 1736. menſe Aprili rebus humanis ereptus eſt, Pandectarum opere nondum abſoluto. Haec noſter de Brenkmanno. Sequitur narratio, *de Gebaueri in Corpore iuris civilis Romani conatibus.* Erat Lipſiae Thomas Fritſchius, celebris Bibliopola. Is novam ſplendidamque Corporis Iuris editionem parabat, utebaturque opera Iohannis van de Waater, qui clariſſimorum virorum in Belgio, Bynckers-

hoeckii, Noodtii, Schultingii, et aliorum obſervationes in breves notas redigeret; itemque Balthaſare Branchu. Cum autem aliquem vellet, quem praeſentem praeficeret, in Gebauerum incidit, eique id negotii demandavit: is etiam Prooemium Inſtitutionum, cum decem prioribus Titulis, tanquam futuri operis ſpecimen, litteris exſcribendum curavit. Sed hoc totum conſilium Fritſchii mors evertit. Adiit deinde Gleditſchius, Fritſchii frater uterinus, Gebauerum, et ut ſuam operam in edendo Corpore Iuris, reſtituenda Taurellii Florentina lectione, Haloandrinis lectionibus variantibus adiiciendis, recenſendis notis Gothofredianis, addendisque optimae notae Interpretum obſervationibus, interponeret, petiit. Conditionem Noſter accepit. Verum Gleditſchius deinde datam fidem infregit, atque neſciente Noſtro, qui Göttingam, novum muſarum templum, fortunarum ſuarum ſedem transtulerat, novam Corporis iuris editionem curavit. Spretae igitur operae, violataeque pactionis iniuria, iam novos ſtimulos Noſtro addidit, et ut de abſolvendo, quod inceperat, opere, ſtrenue cogitaret, effecit. Quare cum intelligeret, academicos labores omne otium ſibi eripere, ſaepius miſſionem petiit, tandemque Senior Collegii ICtorum ab Illuſtri Münchhuſio impetravit, ut tradito Ordinariatu, quem poſt Reinhardi mortem iterum cum ſumma laude vicarius geſſerat, Wahlio, ipſi litterarum cauſa per aliquot annos ſecedere liceret. Dum haec geruntur, ad aures noſtri adlabitur rumor de Manuſcriptis Brenckmannianis, ea inter reliquos libros bibliothecae Bynckershoeckianae, ſectionis lege plus licitantibus offerri. Adiit eius rei cauſa noſter Ill. Münchhuſium, precibusque effecit, ut is eorum emendorum curam in ſe ſuſciperet. Votis eventus reſpondit, atque hic Brenckmannianus theſaurus ML. florenis Hollandicis emtus, ſumma fide et integritate ad Noſtrum pervenit: eiusque enarratio tertium huius libelli occupat locum. Ipſe Gebauerus hoc loco de ſingulis voluminibus diligentiſſime expoſuit: nobis, praeter inſcriptiones, quicquam dare, propter harum cartarum anguſtias, non licet.

1) Me-

I. Merito Brenckmannus omnis ſui laboris fundum elegantiſſimam Pandectarum Taurelliorum Florentinam editionem fecit, eamque perpetuis notis diſtinxit: Vaticanae quoque Iuſtitiae, a Raphaele quondam Urbinate pictam, et ab Hartzoeckero quodam artificioſe delineatam imaginem, addidit: integramque paginam Tuſci libri, ab ſe olim delineatam, adiecit, quam exempli cauſa nobis Noſter hoc loco exhibuit. II. Notae ad X. priores Pandectarum libros, maxime criticae. III. Notae ad libros ff. XII. - XXXVII. IV. Notarum marginalium ſupplementa. V. Βασιλικων cum ff. Florent. collatio. VI. ff. Florent. cum Taurelliana editione collatio. VII. Fontes mendorum in ff. Florentinis. VIII. Obſervationes criticae ex ipſo Digeſtorum Codice. IX. Fontes errorum, de litterarum permutationibus, omiſſionibus, et adiectionibus. X. Obſervata a Taurellio, quae ad criſin pertinent, in editione ff. Flor. XI. MSS. Pandectarum difficilioribus in locis collatio. Continet hic liber Variantes Lectiones Codicum Vaticanorum, Ottoboniani, Barberini, Taurinenſium, Pariſinorum, atque Bynckershoekianorum. XII. Ad ſyntaxin ff. pertinentia. XIII. Orthographia Pandectarum. XIV. Graeca in Pandectis. XV. Obſervationes miſcellaneae in nomina quaedam propria Pandectarum. XVI. Extemporalia in Pandectas. XVII. Obſervationes et Emendationes Pandectarum. XVIII. Opuſcula varia. XIX. Notae ſelectae ad Pandectas Cornelii van Bynckershoeck. XX. Caroli Andr. Duckeri Animadverſiones ad Notas Brenkmanni in Pandectas. Hunc recenſum operum manuſcriptorum Brenkmanni excipit *Narratio* de Noſtri *poſt ea coemta conſiliis et laboribus*. Primo igitur loco, quomodo ea in ſuos uſus convertere ſtuduerit, exponit. Pervenerant quidem, legati nomine, ad Bynckershoeckium, ea lege, ut is novae editionis Pandectarum, tribus voluminibus faciendae, curam in ſe reciperet: verum haec Brenkmanni voluntas ad Gebauerum non pertinebat, quippe qui in re ſua, oneroſo titulo acquiſita, eam impune negligere poterat. Scilicet,

licet, non Digeſta ſolum, ſed totum legum Iuſtinianearum corpus, uno volumine, ſi fieri poſſet, edere conſtituerat. Quapropter cum ipſe ſuam diligentiam arctioribus finibus circumſcripſiſſet, in tam amplum, quam Brenkmannus, campum exſpatiari non licuit: ſed de eo in primis ſibi elaborandum exiſtimavit, ut veram ubique Florentinam reſtitueret lectionem. Egerat hoc iam Brenkmannus, illaeſamque ab malevolorum iniuriis famam Taurelliis praeſtiterat. Primus nempe Laurentius Theodorus Gronovius Taurelliorum fidem in dubium vocarat, propterea, quod iſti in recenſendis Conſtitutionibus, Digeſtis praefixis, non eandem quam in reliquis diligentiam adhibuerant; quoniam eas extrinſecus acceſſiſſe, nec ipſum Imperatorem eas magni huius libri partem frontemque eſſe voluiſſe, exiſtimarant. Sed eorum cauſam optime Brenkmannus defenderat; ab illa tamen culpa eos liberare non potuit, quod, ut ab recentioribus editoribus res non ſatis recte caperetur, occaſionem dederint. Hanc, ſcilicet, ſibi integerrimi viri legem ſcripſerant, ut nullam plane Florentinae lectionis litteram mutare auderent, ſed quae ipſis non ſatis recte ſe habere viderentur, ea certis ſignis lectoribus indicarent. Quapropter ubi v. c. Favius, ſet, neceſſet, pro Fabius, ſed, neceſſe eſſet, ſcriptum repererant, eius loco FaVius, ſeT, necESSET, artificioſe repoſuerant: addita autem per antiquum librarium duabus ſtellulis; ſuperflua cuneolo et lunula; neglecta, ſed ſenſus cauſa reſtituenda, duabus lunulis; locos ſuſpectos ſtellula et lunula incluſerant, e duabus denique lectionibus congruis, unam contextui inſeruerant, alteram cruce notatam margini adſcripſerant. At recentiorum editorum ignorantia, vel neglectis, vel non ſatis intellectis ſignis, omnia miſcuit. In eo igitur, ut genuinam Tuſcam litteram ubique reſtitueret, diligenter Brenkmannus elaborarat: ad quam rem Volumina, ſub N. I. II. III. IV. V. notata, pertinent, quae egregium Gebauero uſum praeſtiterunt. Altera noſtri cura verſabatur in ordinandis variantibus lectionibus reliquorum Codicum Mſptorum, quorum nomina laudare

dare Brenkmannus omiſerat. Fecit id auxilio faſciculi ſub n. XI. laudati. Variantes autem lectiones impreſſorum librorum fere plane noſter neglexit, ne libri moles nimium creſceret, et quoniam eorum non tanta, quanta Mſptorum raritas eſſet, denique deprehendiſſet, in iis conferendis non ultimam diligentiam Brenkmannum adhibuiſſe. De Excerptis e Baſilicis ea tantum, quae ad ff. illuſtrationem pertinerent, retinuit, reliqua ſepoſuit. Notas denique e Voluminibus I. II. III. IV. V. VI. XI. XVI. XIX. et XXſimo loco nominatis, collectas, ſuis quasque locis adſcripſit; reliqua, ſub n. VII. VIII. IX. X. XII. XIII. XIV. XV. XVII. quoniam ſeparata eſſet opera, intacta reliquit. Haec de iis, quae Noſter Brenkmanno debuit: quae ſequuntur, ad eum unum pertinent. Primum ipſe Codicem Digeſti novi Rehdigeranum, liberalitate Senatus Wratislavienſis conceſſum, membranaceum, optimae notae, et forte ex ipſo, niſi conlectura mirifice a vero aberret, Florentino libro deſcriptum, contulit. Deinde Leewenianum exemplum novae ſuae editioni aptavit, Taurellianamque lectionem et ſigna reſtituit, geminationes autem et permutationes litterarum in notas reiecit; Noricae editionis lectiones adiecit, Vulgatam denique, praeeunte in hac re Brenkmanno, addidit. Ita ex his tribus editionibus, legitimis contextus verbis ordinatis, ad notas Leewenianae editionis deſcendit. Reprehendit in notis Gothofredi in primis nimiam prolixitatem, quae controverſiis movendis, quaeſtionibus tractandis, pragmaticis rebus admiſcendis, omnem notarum modum excedant: deinde crebram earundem rerum, iisdem verbis, in eadem ſaepius lege, iterum iterumque factam mentionem; denique inutiles legitimorum verborum, quae nihil difficultatis contineant, in notis repetitiones. Ab his naevis eas purgavit. Denique Brenkmanni, Bynckershoeckii, Duckeri, et ſuas notas, ſuis locis inſeruit, atque univerſum Digeſtorum opus, omnibus numeris perfectum, abſolvit. De ſuis in reliquas Corporis iuris partes meritis haec ſubiicit. Codicem omnem ſe a mendis purgaſſe, cum Ha-

Digitized by Google

loandrina d. A. MDXXX. contuliſſe, doctorum virorum notas addidiſſe, Leewenianae autem editioni has curas nondum aptaſſe: Inſtitutiones ad optimarum editionum fidem caſtigaſſe, notisque Cuiacii, Coſtae, aliorumque celeberrimorum virorum, illuſtraſſe, nec iis praeter variantes Haloandrinae d. A. MDXXIX. in 8. deeſſe amplius quicquam. In Novellis ſe nihil operae poſuiſſe: attamen praeter graecam litteram, et vulgatam verſionem, cuius auctoritas in foro dominetur, etiam elegantiae nomine laudabilem novam Hombergkii zu Vach verſionem addere conſtituiſſe: in Feudis autem eo plus diligentiae adhibuiſſe. Non ſolum enim Codicem Rehdigeranum gloſſatum, membranaceum, optimae antiquiſſimaeque notae, contuliſſe, ſed etiam Variantes, primae Conſuetudinum feudalium editionis, trium Codicum bibliothecae Auguſtanae, atque Codicis Schwarziani, liberalitate Schwarzii ipſi conceſſas, ſuis locis annotaſſe, atque haec omnia Leewenianae editioni aptaſſe. Sed iam emenſo fere, quem ſibi impoſuerat, labore, ob graviſſimas cauſas, ex otio litterario ad Collegium Iureconſultorum, quod de iure reſpondendo ſedet, redit, atque Wahlio rebus humanis erepto, praeter voluntatem, ſed ita Illuſtriſſimis Academiae Patronis iubentibus, Ordinarii munus in ſe recepit, omnem autem ſpem perficiendi operis, iam annos LXXIV. natus, ſimul depoſuit. Nos autem univerſae rei litterariae utilitatis cauſa optamus, eiusque nomine rogamus, ut hoc egregium conſilium non prorſus negligere velit, ſed opus iam fere perfectum, cuius vel ſola elegantisſima enarratio mirificum apud ſapientes excitavit deſiderium, penitus abſolvere properet, ne ſuae ſapientiae ſpeciem oſtendere tantum, fructum negare voluiſſe videatur; quam vanitatem, ab eius certe modeſtia, et de litteris bene merendi ſtudio, quam longisſime abeſſe ſcimus. Reſtat ut pauca de *Mantiſſa, de libro rarisſimo, Bibliotheca Antonii Auguſtini, Tarraconenſis Antiſtitis*, et *Vita Henrici Newtoni*, dicamus. Quem librum Brenkmannus, in Pandectarum hiſtoria, ſe in nulla alia, quam Romae in Barberinorum bibliotheca, Clemens autem

in

in ſuae Biblioth. T. II. p. 248. ſe nunquam vidiſſe affirmant, eundem inter ſuae bibliothecae cimelia ſervat ipſe Gebauerus. Impreſſus eſt Tarraconae, apud Philippum Mey 1587. in 4to. Continet indicem Manuſcriptorum graecorum et latinorum, atque librorum editorum variarum linguarum. Numerus graecorum ad 272. latinorum ad 561. editorum ad 975. adſcendit. Speciminis loco e bibliotheca graeca et latina ius Caeſareum exhibuit Gebauerus. Hos Codices maximam partem ipſe legit Auguſtinus, omnes autem diligentiſſime pervolvit, eorum etiam indicem proprio ſtudio confecit, id quod ex veteri ſcribendi ratione, quam vel propter Florentinum ff. librum, vehementer amabat, colligitur, aetates denique ſingulorum Codicum, etiam antiquiſſimorum, quam modeſtisſime definivit. Libri in hoc indice laudati, non, ut Brenkmanno et Pancirollo viſum, Philippo Hiſpaniarum Regi teſtamento Auguſtini relicti; quippe qui regalis aurae contemtor, omnia ſua bona pauperibus vivus diſtribuit, et ipſe in ſumma paupertate mortuus eſt, ut vix, unde efferri poſſet, relinqueret: ſed a Philippo, vel alio quo, harum rerum ſapiente aeſtimatore, per averſionem coemti videntur. Quae res haeredes, qui ſuis ſumtibus indicem librorum vendendorum cauſa prelo ſubiecerant, ſine dubio impulit, ut operas typographicas nondum finito opuſculo ceſſare iuberent; ſimulque plurimis imperfecti catalogi exemplaribus interitum attulit, pauciſſimis autem, quae ad noſtra tempora ex hoc naufragio evaſerunt, eximiam raritatem conciliavit. De Newtono denique Gebauerus haec habet. Natus eſt Henricus Newtonus, ſive de Villa Nova a. 1651. Primis ſtudiorum ſacris initiatus eſt Oxonii in Collegio Mertonenſi. Dedit ſe inprimis Poeſi, autore Waſio, Oratoriae, Phyſicis, Mathematicis, et hiſtoricis ſtudiis, atque Iuris Doctoris, et Londinenſis Societatis Sodalis honores aſſequutus eſt. Relicto Oxonio, Londini cauſas oravit. Deinde ab Epiſcopo Londinenſi Cancellarius, hoc eſt, Iuridicus ſuae dioeceſeos, conſtitutus, mox Conſiliarius Admiralitatis creatus eſt. Annae poſtea A. 1704.

ad Coſmum III. ſuſcepit legationem, ibique non ſolum ex voto ſuae reginae rempublicam egregie adminiſtravit, ſed etiam amicitias cum viris in utraque republica ſummis, ipſi honorificentiſſimas, contraxit. Extant de ea re illuſtria documenta in eius Epiſtolis ad Eugenium, Sabaudum Imperatorem, et Daunium, Neapoleos Proregem, una cum reliquis eius Opuſculis Lucae editis. In primis autem eius apud Coſmum ſingulari gratia factum eſt, ut Brenkmanno ita facilis et diuturnus Tuſci Digeſtorum libri uſus concederetur, in qua re eius de litteris bene merendi ſtudium egregie adiuvarunt Comes Magelottus, ſanctioris apud Magnum Ducem admiſſionis amicus, atque Purpurati poſtea Quirinus, et Paſſioneius Abbas. Inter reliquos Henrici amicos prae ceteris Guido Grandus, Benedictus et Ioſephus Averanii, fratres, commemorandi ſunt. Arcades, Florentini, atque Furfurani, eum Socium adoptarunt. In itinere Romano A. 1708. ſuſcepto, praeter ſpem Clementem XI. praeſentem alloqui non licuit: ſumma tamen inter ipſos usque ad extremum vitae tempus litterarum neceſsitudo interceſſit, noſtroque humanis rebus erepto, ſummus Pontifex per Hetruriae Legatum, Londini commorantem, viduae et filiabus ſignificavit, ſe non levem eius morte iacturam feciſſe. A. 1706. ad Genuenſem rempublicam Legatus abiit, de qua legatione eius Oratio ad Senatum Genuenſem extat. Imperatis in Italia rite confectis, iubente Anna regina, ao. 1710. et ſuſcepta antea Hoſpitii S. Catharinae ſacri Praefectura, meritorum praemio, regalisque gratiae documento, maritimo itinere in patriam reverſus eſt. Auctus deinde hic honor a Georgio I. Rege, qui eum in ſummo foro Thalaſſiarchico Iudicem eſſe iuſſit, addita inſuper aurati equitis dignitate. Annos natus 64. ſubito a. 1715. apoplexia ictus, rebus humanis intereſſe deſiit. Filias reliquit duas: quarum minor natu Catharina, Nobili Beauclerkio nupta; haec, quae Gebauerus de Henrico nobis dedit, Thoma Bonneyo, Clerico in Eccleſia divi Iacobi, interprete, humaniter communicare non detrectavit.

THEO-

Digitized by Google

THEOPHRASTI CHARACTERES. RECENSUIT, *animadverſionibus illuſtravit, atque indicem verborum adiecit, IOH. FRIDERICUS FISCHERUS. Acceſſit commentarius ISAACI CASAUBONI.*

Coburgi ex officina et ſumtu Ioh. Caroli Findeiſii, A. C. 1763. Alph. 1. pl. 10. in 8.

Simul ac ad nos delatum eſt, occupari *Cl. Fiſcherum* cura Theophraſti edendi, multa praeclara ſperavimus. Cognoveramus ex aliorum ſcriptorum editionibus, quas ei cum multa gratiarum actione acceptas ferimus, cum in locum viliſſimorum exemplorum, quae apud nos circumferri ſolebant, ſucceſſerint, ſed ex his cognoveramus, quanta in eo eſſet diligentia et tolerantia, quae in hoc critico genere principem locum tenent, quam copioſa porro, quam exquiſita et accurata Graecarum et Latinarum literarum ſcientia. Neque vero fruſtra nos ſpem illam ſuſcepiſſe, docuit Theophraſti tractatio. Eadem, et multo maior reperta eſt in libris ſcriptis et editis comparandis diligentia, ſimilis in textu graeco mutando cautio, gemina in diiudicandis lectionibus variis et coniecturis ſolertia. Habebunt ergo et viri docti, in quo verſentur, et ſtudioſi, quod ſibi exempli loco proponant, inque ſuos uſus convertant; habebit item Lipſia, quod et de hoc Viro laetetur, cuius eruditione ſecunda opinio de amore huius urbis erga humaniores literas firmatur. Ut autem noſtrum hoc iudicium argumentis idoneis probetur, de ſingulis ſingulatim exponendum eſt. Ordiemur ergo a praefatione, qua carere nullo modo poſſunt, qui veterum librorum hiſtoriam tractant.

Diviſa eſt permagna copia editionum Theophraſti in tres aetates, Pircamerianam, Camotianam, et Caſaubonianam. Scilicet Bilibaldus Pircamerus, (Pirckeymherus), Noribergenſis Patricius, cum e codice, quem Pico Mirandulano debuerat, a. 1527. 8. Norlbergae primus quindecim chara-

ſteres edidiſſet, imitatores nactus eſt Andream Cratandrum et Ioh. Oporinum, quorum ille Baſil. 1531. 8. hic eodem loco 1541. librum repetiit. Idem eſt de Wechel. editione, Hanoviae 1605. fol. expreſſa, iudicandum. Tum Ioh. Camotius, praeter illos quindecim characteres, alios octo e cod. MS. inſeruit T. 2. Opp. Ariſtot. Venet. 1552. 8. Eius fides in tractando codice Cl. Fiſcherum movit, ut longe praeſtantiſſimam editionem appellaret. Secutus eſt Henr. Stephanus, qui non e codice, ſed Camotiano exemplo, a. 1557. cum paucis Ariſtotelis libellis Characteres vulgavit, paucisque animadverſionibus criticis illuſtravit. De ſuſpecta Stephani fide in univerſum admonentur, qui veteres editiones conſulunt. Ex hac primum fluxit annis quatuor recentior editio Leonharti Lycii, Lipſiae octonis excuſa, adiecta verſione nova, paucis, ſed bonis annotationibus: deinde Zwingeri, Baſil. 1582. cum ethicis Ariſtotelis; adiectae ſunt audaces Claudii Auberii coniecturae. Morellus porro in ea editione, quae Pariſ. 1583. 4. prodiit, ita imitatus eſt Stephanum, ut coniecturas partim in margine poneret, partim in textum admitteret, et verſionem, ubi Politianus deſierat, ipſe adiiceret. Etiam Sylburgius, quamquam ſuas, easdemque bonas coniecturas propoſuit, tenuit tamen rationem Stephani: edidit autem characteres cum ethicis Ariſtotelis Francofurti eodem anno, quo Morellus. Tertiam aetatem exorſus eſt Caſaubonus, cui alios quinque characteres, a Frehero transmiſſos, debemus. Eius tertiam editionem a. 1612. Cl. Fiſcherus tractavit, priores duas a. 1592. 1599. non vidit. Praeter Dan. Heinſium, a quo Theophraſtus 1613. fol. Lugd. Bat. repetitus eſt, inprimis Cornel. Pavum laudat, nemini in interpretatione, coniecturis, & iudicio de lectionibus, cedentem: abſolvit editionem Theophraſti Traiect. 1737. 8. Io. Kirchmannus, editor Brunovicenſis, et Melchior Schmidius, nonnullas Caſauboni coniecturas receperunt: anni vero editionum hi fuere, Kirchmannianae 1604, Roſtoch. 8. Brunovicenſis 1659, Schmidianae 1686, 4. Helmſt. Quod autem Upſalienſe

enſe exemplum a. 1669. praefationem Io. Scheffe i continet, ab eo inſtitutum opinatur Fiſcherus. De opera Thomae Galei in opuſc. myth. omnia nota ſunt. Alia Upſalienſis, a. 1708. 8. ab Erico Benzelio curata, laudatur ob indicem verborum graecorum. Omnium optime a libris ſcriptis et editis inſtructus fuit Nedhamus, qui Charaĉteres, cum multorum animadverſionibus, praeſertim Duporti praelectionibus in tredecim capita, Cantabr. 1712. 8. edidit. Codices eius, quorum auctoritate Fiſcherus uſus eſt, hoc loco deſcribuntur. Denique Io. Conradus Schwarzius Theophraſtum curavit, ſed nimia cum audacia, ut multa adeo depravaſſe videatur. Cum his ergo editionibus coniunxit Cl. Fiſcherus excerpta duorum codd. Guelferbytanorum, alterius e 13. Saeculo, alterius e 14, utriusque ſic conſentientis cum Camotiana, ut videantur ex eodem fonte manaſſe. Non veremur, ne quis ſummam praefationis, ad librorum hiſtoriam adeo utilis, huc a nobis relatam indignetur: quamquam, ne nimii ſimus, conſilium noſtrum illico ad animadverſiones Cl. Fiſcheri accedere nos iubet.

In Prooemio verba haec, τῆς ἑλλάδος κειμένης, putat de *Athenis* accipi poſſe, vel ad inſtituta Graecorum, barbaris contraria, reſpici. Mox pro ἐννενήκοντα ſuadet ἑβδομήκοντα ponere, cum Laertii locus non ſic corrigi poſſe videatur, ut πέ (85) mutetur in ϙϑ′ (99), quae nimium diſcrepant.

C. I. ὡς τύπῳ λαβεῖν primum occurrit in ed. Camotiana. Ibidem e pluribus libris ἐπὶ χεῖρον edidit, pro ἐπὶ τὸ χεῖρον. Eiecit ἐςὶ poſt τοιοῦτός τις, quod et abeſt a multis libris, et in cod. Guelf. 26. punctis notatum eſt, videturque ab aliquo in margine poſitum, vt ſignificaret, Theophraſtum alibi τοιοῦτός ἐςιν ſcripſiſſe. Enumeratis ſententiis interpretum de verbis οὐ μισεῖν, tandem iudicat, cum non ubique diligentisſime loquantur ſcriptores, videri ſibi vulgatam lectionem cum Lycio ſic explicandam: *qui ad inimicos accedat fabulandi gratia, non exercendi inimicitiam*, vel ut, in v. λαλεῖν ipſe Fiſcherus in indice vertit, *ita ut occultet odium.* Ergo μισεῖν eſt *non occultare odium.* Ἐπὶ τοῖς καθ᾽ ἑαυτ. iunctum cum

cum διαλέγεσθαι vertit *de*. Οψὲ γενέσθαι αὐτόν, hic putat αὐτὸν pro ἑαυτὸν, et γενέσθαι ſignificatu *domum revertendi* poſitum. Ac in indice dicit, γίνεσθαι pro παραγίνεσθαι accipiendum eſſe; quod probari poteſt, comparatque Act. 21, 17. Ioh. 6, 25. Sed illic additur εἰς, hic ὧδε, neutro loco γίνεσθαι abſolute ponitur. Ἐρανίζοντες ſunt, qui aut ſibi colligunt eranum, aut pro aliis ſtipem petunt, in quam rem auctoritate Harpocrationis, in ἐρανίζοντες, et Lexici MS. apud Albertum ad Heſych. utitur, ne quis cum Salmaſio putet, ἐρανιζομένους fuiſſe dicendos. Ceterum ὡς οὐ πωλεῖ ſic intelligit: *oſtendit diſſimulator, ſe non habere quae vendat, nec paratam eſſe pecuniam*, ut ille apud Xenoph. Mem. 2, 7, 2. Edidit poſtea e multis libris, καὶ ἀκούσας τι, δόξει μὴ προσποιεῖσθαι, quod verbum in indice interpretatus eſt, *attendere*: reliquam varietatem lectionum diligenter collegit. Τὰ μὴ ἐσκέφθαι, quod probatur librorum auctoritate, recepit pro σκέψεσθαι. Defendit ὅπως δὲ σοὶ ἀπιστήσω, ἢ ἐκεῖνα καταγνῶ, ἀπορῶμαι, intellecto denuo ὅπως poſt ἤ. Πιστεύειν φωνάς, quod Pavus in dativum mutandum cenſuerat, tenet, cum nec libris repugnandum, nec ignota forma illico mutanda ſit.

Cap. 5. Καὶ θαυμάσας - - - ἀφιέναι. Haec integra iudicat, praeſertim cum θαυμάζειν ταῖς χερσὶ coniungi poſſit, *manibus comprimere dextram*, e more ſcriptorum, verba orationis ad res transferentium, de quo ad Flor. 1, 1, 3. *increpare ſaltu*, Graevius dixit. Paviana tamen ratio nobis quidem lenior viſa eſt. Mox ſervavit ἔτι ἐπαινῶν, et ἵνα κοινὸς εἶναι δοκῇ, nam de origine lectionis, ἵνα κ. εἰς εἶναι δ. quam repererat Nedhamus, aſſentitur Pavo. Iam τοὺς ξένους εἰπεῖν intelligit ſic, εἰπεῖν, ὡς οἱ ξένοι — Tum εἰσιόντα abſolutum ablativum eſſe cenſet. Προσαγαγόμενος, *cum verbis allexit*, praefertur alteri προσαγόμενος. Verbo θλιβόμενος, cum Caſaubono aliisque, finiri putat hoc caput. Ἐπιστάλματα, quod omnino omnes libri ſervant, ut interpretes omnes ſuſpectum iudicant, quorum ſententiae collectae ſunt, teneri poteſt, donec aliquid in utramvis partem definire liceat: fotaſſe *muntra* ſigni.

ſignificat, ut ἀποϛολαὶ, de quo ad h. l. Caſaubonus. In indice Cl. Fiſcherus, comparando etiam hebraico *Schillüchim*, hoc ſaltem efficit, poſſe munera ἐπιϛάλματα dici. Poſtea ſcriptum eſt Θυριακὰς, nam hoc et Θηρ. et Θυρ. et τυρ. in libris variantur, negaturque iam expeditum eſſe, utrum Θούριον, Italiae oppidum, an Θύριον Acarnaniae, intelligatur, Pauuique coniectura, Θηραϊκὰς vel Θηρικλείας, ingenioſa dicitur. Mox χρῆν neceſſarium arbitratur, ut ſit, unde ἐπιδείκνυσθαι pendeat. Sed nobis quidem, cum Sylburgio et Galeo, alterutrum redundare videtur. Illud eleganter ſtatuit, in ἀεὶ eſſe ipſam notam ἀπειροκαλίας, ideoque a Benceliо male reiici. Putarat olim, lectionem, αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν ὕστερον εἰπεῖν, in quam, paucis mutatis, libri omnes conſentiunt, hoc ſenſu integram videri: *ipſe, dum fiunt exercitationes, tandem venit et dicit, audientibus ſpectatoribus, ad alium: Hic* (ego) *eſt dominus:* Sed cod. Gall. et Baroc. in quibus ἔπειτα eſt pro εἰπεῖν, ſuaſerunt locum ita conſtituere coniectura: καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν ὕστερον ἐπιέναι, ἐπὶ τῶν θεωμένων, εἰπεῖν πρὸς ἕτερον — — Ceterum reliquorum omnium coniecturae huc congeſtae ſunt.

Cap. 16. Coniungit περιῤῥανάμενος ἀπὸ ἱεροῦ, *adſpergens ſe aqua luſtrali, cum e templo exit*, ut haec ſit breviloquentia. Plura dixit in Ind. Recepit παραδρομῇ pro περιδρ. quod et alii probarant. Malit poſtea, ἕως ἂν διεξέλθῃ, cum, ut eſt in indice, et alii ἕως ἂν poſt πρότερον poſuerint. Secutus eſt porro eos, qui διαλάβῃ in διαβάλῃ mutarunt: eſſe autem διὰ in διαβάλλειν dictum ut in διαβαίνειν. Solenni caſuum immutatione ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ defenditur. Similiter ἐφιν quod eſt a coniectura Lycii, pro σοφὴν recepit. Καὶ τῶν λιπαρῶν praefertur coniecturis omnibus, editurque ibidem ἐν ταῖς τριόδοις, item ἀποῤῥάψαι, indicatis ubique variis lectionibus; quo effectum eſt, ut et origo emendationum, et cuiusque ſuſpiciones appareгent. Rurſus improbatis aliorum opinionibus, defenditur ἐκδύσασθαι, *abiicere*, quocum Coloſſ. 3, 9. comparatur, ubi ἐκδύσασθαι eſt ἀποθέσθαι, quod an omnino ſimile ſit, dubitari poteſt. Indoles quidem, quam quis induit, ut

veſtis abiicitur: ſed non item ſaccus ſic abiicitur, ut videatur exui. Futurum καθαρεῖν contra Pavum et Reiskium, qui καθαίρειν maluerant, probatur, cum indicetur continuatio. Ἐπὶ λέχει, dativo caſu, tuetur Cl. Editor frequentia caſuum mutatorum; ipſum verbum puerperae lectum indicat, de quo in Ind. Apoll. Rh. 2, 1014. et Spanhem. ad Callim. H. in Iov. v. 14. laudantur. Nihil mutatur in his, ἐπὶ ταῖς τριόδοις, ἀπελθών, — λούσασθαι; iungit enim ἐπὶ τ. τρ. λούσ. Σκίλλῃ, pro quo et σκήλλῃ et σκύλλῃ editur, retinuit; Auberius ſuſpicatus erat σκιλλίτῃ, *vino ſcillitico et aceto.*

Cap. 23. Quamquam in verbo προσδοκίας non variant libri, tentatum tamen eſt a pluribus, quorum ratio vanitatis arguitur. Ipſe Cl. Fiſcherus, cum Caſaubono, *excitationem exſpectationis* intelligit: ſed an poteſt προσδ. eſſe excitatio exſpectationis vel opinionis *in aliis?* Neceſſario deſideratur verbum, quod oſtentationem indicat. Mox αὐτῷ pro αὐτῷ probatur, et αὐτοῖς in cod. Guelf. iudicatur e ξένοις ortum. Inde a Caſaubono τῆς ἐργασίας δανειστικῆς editum eſt: revocavit ergo Cl. Fiſcherus e prioribus editt. cod. Guelf. et Trin. τῆς ἐργ. τῆς δαν. Μετ' Ἀλεξάνδρου recepit multorum exemplo, cum et μετ' Εὐάνδρου editum ſit: firmari enim verbis ſequentibus, et ipſa re. Eſt quidem τρίτον παραγενέσθαι, *ſe cum duobus veniſſe*, integrum; ſed vehementer ei placuit Lycii Auberiique coniectura, τριταῖον. Non accedit Lycio, ξύλων in σύκων mutanti, ſedem enim ἀλαζονείας eſſe in verbo ἀτελής, quod eleganter admonitum eſt. Caſaubono contigerat, ἐν τῇ σιτοδείᾳ divinare, quod olim ἐν τῇ σποδίᾳ ubique ſcribi ſolebat. Quicumque vel aliter formarunt, ut πορείᾳ, ἀποδημίᾳ, συσσιτίᾳ, ἐν ταῖς σπονδαῖς, vel defenderunt, in quibus Furlanus fuit, qui ad συκοφαντηθῇ retulerat, *ne vel in cinere eſſet calumniandi locus*, et poſtea καὶ εἰς πλείω ſcribi voluerat, ii omnes Cl. Fiſchero non probantur, ne Pavus quidem, qui εἰς τὴν σποδίαν, *ad carbones viliſſimos, quibus cinis admiſtus eſſet*, tentarat, cum nec σποδία ſic videatur in communi vita dicta, nec tum viguiſſe illud liberalitatis genus. Quam veriſimilis ſit Caſauboniana emendatio, etiam ſimilitudine

dine literarum, accurate oſtenditur, et eſt tota haec animadverſio diligentiſſime ſcripta. Θεῖναι τὰς ψήφους — κατὰ μίαν. Haec ita explicat: *Oſtentator iubet alios ponere calculos ſexcentos, et laudat totidem homines, quorum aliam cuique ſtipem dederit, ut ſingulis calculis reſpondeant ſingulae, ſed diverſae ſummae, quae efficiant talenta decem.* Sed ſi quis cum Salmaſio malit κατὰ μνᾶν, ut ſingulis ſingulae minae datae videantur, non repugnaverit. Mox cum aliis recte φῆσαι pro φήσας edidit. Cum Sylburgio et Upſ. 1. καὶ προσελθὼν δὲ τοῖς τοὺς ἵππους — ſcripſit, quoniam intelligi nequit, quod eſt in veteribus libris, καὶ προσ. δ' εἰς τοὺς — Servari autem δὲ, magis Theophraſteum cenſet, quam cum Auberio omitti. Reliquorum coniecturas, diligenter enumeratas, accurate examinat. Ἐπὶ τὰς σκηνὰς, reiecto κλίνας, editur. Meurſius defendit κλίνας, quae ſint ipſae illae σκηναί. Sed nec Heſychii locus in κλισία Fiſchero videtur hoc conficere, et σκηνὰς ab Atticis paſſim (in hoc genere) dicit commemorari, non item κλίνας, Mox dedit, ὅτι οὐκ ἔχων χρυσὸν αὐτῷ ἀκολουθεῖ, quod a Nedhamo ſumſit, cum in Guelf. et Trin. legatur, οὐκ ἔχων χρυσὸν αὐτῷ ἀκολουθεῖν, cum ὅτι potuerit excidere, cum denique νῦν τῷ e Stephaniana venerit in ceteras. Agitur etiam de aliorum coniecturis, praeſertim Cl. Reiskii. Libri ſat multi, ſcripti et editi, ἐν μισθῷ τὴν οἰκίαν habent, quod Fiſcherus imitatus eſt: alii ἐν μισθωτῇ οἰκίᾳ, quod facile ex illo oriri potuit. De loco Xenophontis Sympoſ. 4, 4. idem nobis olim venerat in mentem, ἐν μισθῷ αὐτὰς eſſe legendum, quod Cl. Fiſcherus hic indicavit. Mox καὶ ὅτι a Caſaubono accepit, recte repudiato vulgari διότι.

Reſtat, ut de Indice vocabulorum formularumque dicamus, quem quod ſua opera conficiendum putavit, agnoſcent grata mente, quorumcunque Theophraſtum intelligere intereſt, praeſertim cum diligentia eadem, quae in criticis animadverſionibus, fuerit adhibita. Facile carebunt verſione, qui cum illis notis indicem coniungent, in quo viſi nobis ſumus reperiſſe conſilium tam copioſi indicis. Nimirum, collecta ſunt loca omnia Theophraſti, nec tantum

Digitized by Google

uno verbo, aut mero numero indicata, ſed integra, et cum verſione latina, quae modum graeca latine dicendi elegantiſſime demonſtrat, id quod in illa brevitate Theophraſti, e qua ſaepe magnus interpretum diſſenſus ortus eſt, multo maiores gratias et laudes meretur. Praeterea diſputatiunculae quaedam, vel de locis Theophraſti, vel omnino de verborum ſignificatu, adſperſae ſunt; ſententiae veterum Grammaticorum et recentiorum interpretum laudatae aut repetitae; antiquitatum quaedam partes illuſtratae; uſus linguae graecae exemplis ſcriptorum veterum explicatus. Itaque non dubitamus profiteri, eos, qui hunc indicem aſſidue verſaverint, et Theophraſtum intellecturos, et in univerſum rationem, inprimisque neceſſaria et utiliſſima interpretandi praeſidia cognituros eſſe.

DE COMPRESSIONE AC RESTITUTIONE ELAſtrorum, una cum adcuratiori virium vivarum disquiſitione. Auctore I. F. HENNERT, Societ. Scient. Batavo-Harlem. Socio.

Perlegi, haud ſine voluptate, in Actis Erud. anni 1762. pag. 89. Problema de corporum imperfecte elaſticorum colliſione, ex virium vivarum conſervatione deductum, cuius ſolutionem a ſummi Leibnizii aſſeclis inſtitui, in Schediasmate, menſi Decembri anni 1761. huius diarii pag. 565. inſerto, negaveram. Per conſervationis autem principium intelligo actionum ante et poſt conflictum aequalitatem, ad vires in presſione partium ac reſtitutione deſtructas animum non advertens. Etenim corporum contractione ac relaxatione, tamquam mediis, in colliſione communicationem virium efficiendi, natura uti videtur. Mutationes, quas poſt ictum ſubiere corpora, ex viribus, quibuscum finita percuſſione agere valent, innoteſcunt: verum agere nequit vis, quae imperfecta elateris periit reſtitutione. Quis igitur in dubium vocabit, vires vivas ſuperſtites evaſiſſe debiliores, quip-

quippe quibus vim imperfecti elateris relaxatione conſumtam addunt, ut vires vivae ante impetum prodeant? Similem, quem Leibniziano adſcripſi principio, habet ſignificatum quantitatum motus ante et poſt colliſionem aequalitas, quae optimo iure conſervationis privilegia prae ſe fert. Quippe quod principium a ſola actione et reactione pendet, in omni colliſionis genere locum habeat eſt neceſſe: virium enim deſtructarum tunc ratio non habetur. Propter haſce rationes vis vivae conſervationem ſeqeenti aequatione expreſſi, $Aa^2+Bb^2 = A\alpha^2 + B.\left(\frac{a-b+\alpha}{p}\right)^2$, atque ſimiliter ex actionis et reactionis aequalitate ſequentem aequationem $Aa+Bb = A\alpha + B.\frac{a-b+\alpha}{p}$ ſum nactus. Quibus nixus rationibus, Leibnitianos provocavi, ac nunc provocare audeo. Quoniam autem Celeb. *Bermannus* ſub conſervatione virium vivarum vim in elaſtri relaxatione abſumtam comprehendit, mirum non eſt, quod ſolutionem a noſtra plane diverſam, ex viribus vivis, ac quidem ad exemplum aliorum Eruditor. praecipue Clar. ſ'Graveſandii, derivaverit.

§. 2. Ad vim in compreſſione impenſam eo facilius inveniendam, ſe finxiſſe dicit Cel. Bermannus inter duo corpora perfecte dura poſitum elaſtrum, praeeunti adnexum. Fictionibus heuriſticis maior artis inveniendi abſolvitur pars. Geometra, ad altiora natus, fingendi dexteritate callere debet. Fictionem autem quaſi Allegoriam continuo perſequi, nec ab illa diſcedere licet; id quod Autor non ſat eleganter praeſtitiſſe mihi videtur. Idcirco de vi elateris compreſſiva ac reſtitutiva agere mecum conſtitui. Ante omnia me oportet conditiones, quibus poſitis, elaſtri actionis cum colliſione inſtituere licebit comparationem, breviter exponere. Quando corpus inſequens *A* in alterum *B* incidit, elaſtrum percutiet, atque hoc ictu motum, cui eſt adfixum, communicabit. Quatuor occurrunt caſus. Accidere poteſt, elateris longitudinem a corpore feriente non mutari, ita ut

Digitized by Google

ambo corpora poſt ictum unita pari progrediantur paſſu. Simile quid contingit corporibus duris. Ponamus, elaſtri longitudinem ab impetu diminui, vel usque ad certum contrahi terminum, nec deinde relaxari; ſic corpora una mole inſtar mollium incedent. Elaſtrum contractum licet denique concipere usque ad longitudinem, quam habuit ante ictum, reſtitui, vel ad breviorem. Priori caſu, quo reſtitutio eadem eſt cum compreſſione, corpora erunt perfecte, poſteriori vero imperfecte elaſtica.

§. 3. Verum hiſce dictis non ſat accurate corporum phyſicorum repraeſentavimus conflictum. Corpora mollia, aeque ac elaſtica, ſeſe invicem intropremunt, utriusque mutando figuram. Quamobrem ponere iuvabit, elaſtrum non ſolum a regione maſſae incidentis, ſed etiam ab illa praecedentis comprimi *). Si obex in obſtaculum firmum flectatur, in directione potentiae agentis tantum ſe contrahet. Iam obſtaculum, cui eſt adnexus obex, in motu ſtatuatur, patet, potentiam obicem tantum premere exceſſu ſuae actionis ſupra obſtaculi motum; nam corpus B cum ſua motus quantitate Bb quaſi detrahet obicem motus quantitati Aa maſſae inſequentis A. Ergo poſitis a et b velocitatibus maſſarum, prodibit vis motrix ad flexionem elaſtri impenſa $= Aa - Bb$. Verum in colliſione directa vis motrix eſt $Aa + Bb$, quae ſcilicet oritur ex adplicatione utriusque corporis ad elaſtrum comprimendum, uti ex mutatis amborum corporum conſequitur figuris.

PROBLEMA I.

§. 4. Definire corporum durorum colliſionem directam.

Solutio.

Propter elaterem non flexum (§. 2.), ſimplicem tantum preſſionem exercent dura. Prement ſe igitur ſumma virium $Aa + Bb$, quae poſt ictum uti vis motrix ſpectari debet. Divi-

*) Idem de vi reſtitutiva erit ſtatuendum.

Digitized by Google

Dividendo vim motricem per maſſas, nanciſcemur vim acceleratricem $\frac{Aa+Bb}{A+B}$, ipſi velocitati poſt conflictum proportionalem.

PROBLEMA II.

§. 5. Vim compreſſivam elaſtri in colliſione directa corporum mollium et elaſticorum determinare.

Solutio.



Ponamus ipſo momento ictus corpora A et B in locis, A, B, longitudine elateris $AB = e$; diſtantia. Durante compreſſione pervenerint tempore t ad a, b, ſeparata intervallo $ba = z < e$, quod contracti elaſtri longitudinem aequat. Sint velocitates v et u in punctis a et b quae ante conflictum fuerunt a et b. Finita colliſione exiſtent corpora in α, β, intervallo $\alpha b = c$, aequali ultimae elaſtri contractioni. Denique ponamus $Aa = y$, $Ab = x$, et $x - y = z$. Vis compresſiva ſit $= P$. Propter nota motus variati principia ſequentes habebimus aequationes; $B u d u = P d x$, et $A v d v = P d y$, nam velocitas maſſae A decreſcit ob reactionem maſſae B in elaſtrum (§. 3). Subtrahendo aequat. praeced. obtinemus $Budu + Avdv = Pdx + Pdy = Pdz$, et integrando prodibit $Av^2 + Bu^2 = 2\int Pdz + C$. Ad inveniendam conſtantem, obſervamus vim P evaneſcere, vel z fieri e, corporibus in A et B exiſtentibus, tumque velocitates v et u abibunt in a et b, quo pacto completum lucrabimur integrale, ſcil. $Av^2 + Bu^2 - Aa^2 - Bb^2 = 2\int Pdz$. Ut autem prodeat momentum vis compresſivae durante tota compresſione editae, adnotandum eſt, eam non prius finiri, quam velocitates v et u ad aequalitatem acceſſerint, tum denique corpora, ſi forent mollia, inſtar unius molis moveri pergent. Poſita ergo $v = u$, et $z = \alpha\beta = c$, prodibit momentum vis compresſione abſumtae, ſcil. $2\int Pdz = \overline{A+B}.\ v^2 - Aa^2 - Bb^2$. Inquirere ergo debemus in velocitatem v poſt ictum, ad quam eruendam animadverti debet, ambo corpora, eodem tempore t, ferri per

ſpatia

Digitized by Google

ſpatia x et y. Hinc vi motuum variatorum legis comparabimus nobis aequationes, $-Adv=Pdt$ et $Bdu=Pdt$, quas rite integrando, habebimus $Aa-Au=\int Pdt$, et $Bu-Bb=\int Pdt$, hinc $Aa-Av=Bu-Bb$, quae aequatio in quovis corporum ſitû locum habet. Sed finita compreſſione eſt $u=v$, ergo $v=\frac{Aa+Bb}{A+B}$, quo in praeced. aequatione introducto, tandem nanciſcemur momentum vis compresſione deſtructae, videl. $2\int Pdz=\frac{\overline{Aa+Bb}^2}{A+B}-Aa^2-Bb^2=-\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}$ Inde evidens eſt, vim compreſſivam eſſe retardatricem, uti fieri debet.

§. 6. Reſtituto valore ipſius v in aequatione inventa, habemus $\overline{A+B}.v^2+\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}=Aa^2+Bb^2$. Inde ſequitur $\overline{A+B}.v=Aa+Bb$, quam aequationem, corporum mollium colliſionem referre, jam alias conſtat. Palam fit, conflictum corporum mollium, niſi ratione habita vis compresſione deletae, viribus vivis repugnare. Vocent, ſi placeat, $\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}$ vim vivam compresſione conſumtam.

§. 7. Ut diſtinctius vis compresſivae indolem intelligamus, ſumamus eam in ratione multiplicata n longitudinem z elaſtri agere. Scribamus $P=\frac{gz^n}{\int a^n}$. Experimentis evincitur, intervallo h elaſtrum vim g exerere. Ergo $-2\int Pdz=C-\frac{2gz^{n+1}}{\overline{n+1}.h^n}$. Evaneſcet P, quando $z=e$, hinc integrale completum erit $2-\int Pdz=\frac{g}{\overline{n+1}.h^n}\overline{+e^{n+1}-z^{n+1}}$.


Vis

Vis ergo, durante conflictu compreſſa, habetur (poſito $z = e$) videl. $-\int P dz = \frac{c\,g}{n+1.\,h^n}\left(e^{n+1} - c^{n+1}\right)$. Statuamus vim P agere in ratione inverſa ſpatiorum, uti vulgo ſupponitur, hinc $n = -1$. Quem caſum ex aequatione generali non deducere licet. Ad aequationem differentialem oportet recurrere, quae nobis ſuppeditabit $-2\int P dz = -2gh\int \frac{dz}{z}$, cuius intregrale rite ſumtum erit $-\int P dz = gh \log: \frac{e}{c}$.

PROBLEMA III.

§. 8. Vim reſtitutivam elaſtri corporum perfecte et imperfecte elaſticorum invenire.

Solutio.



Aſſumamus, ultima contractione elaſtrum ad longitudinem $\alpha\beta = c$, fuiſſe redactum. Deinde a vi reſtitutiva R dilatari, et quidem tempore t per ſpatium $ba > t$, corporibus A et B promotis ad loca a et b cum velocitatibus α, β. Sit $\alpha a = x$, $\alpha b = y$, ſit $z = y - x$, ex principiis mechanicis conſtat fore $-A\alpha d\alpha = R dx$, et $B\beta d\beta = R dy$, quas aequationes ſubtrahendo, et valorem ipſius z introducendo, habebimus $A\alpha d\alpha + B\beta d\beta = R dz$, cuius integrale invenitur eſſe $A\alpha^2 + B\beta^2 = 2g R dz + C$. Ad determinandam conſtantem, obſervare eſt, vim R evaneſcere, vel fieri $z = c$, corporibus exiſtentibus in α et β, atque celeritates α et β aequari ipſi velocitati u finita compreſſione acquiſitae, quo pacto naniſcemur completum integrale $A\alpha^2 + B\beta^2 - \overline{A+B}.\,v^2 = 2\int R\,dz$. Attendentes ad reſtitutionem elateris, facile intelligemus, illam in utroque corpore eodem tempore fieri, ergo propter vim acceleratricem elateris reſtituentis in ſequentes incidimus aequationes, $-A d\alpha = R dt$,

Rdt, et $Bd\beta = Rdt$, quas rite integrando, habemus $-A\alpha + Av = \int R\,dt$ et $B\beta - Bv = \int R\,dt$, ergo $v = \frac{A\alpha + B\beta}{A+B}$, quo valore ſubſtituto in ultima aequatione, prodibit momentum vis reſtitutivae $2\int R\,dz = A\alpha^2 + B\beta^2 - \frac{\overline{A\alpha + B\beta}^2}{A+B} = \frac{AB.\overline{\beta - \alpha}^2}{A+B}$. Poſitis corporibus in locis A et B finita reſtitutione, fiatque $z = AB = f$, obtinebimus vim reſtitutione impenſam. Sequitur etiam vim reſtitutivam accelerare motum.

PROBLEMA IV.

§. 9. Colliſionem directam corporum perfecte et imperfecte elaſticorum ex elaſtri compreſſione et reſtitutione deducere.

Solutio.

Invenimus vim compreſſivam eſſe $= -\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}$ et vim reſtitutivam $= \frac{AB.\overline{b-\alpha}^2}{A+B}$ (§. 5. 8). Ad comparandas haſce vires requitur, velocitates ante et poſt ictum noſſe, id quod ex ipſa compreſſione et reſtitutione cognoſcetur. Ex figura §. 5. patet, longitudinem elaſtri ante ictum fuiſſe $AB = e = \alpha\beta + A\alpha - B\beta = c + \int v\,dt - \int u\,dt$. Atque ex fig. §. praeced. palam fit, longitudinem elaſtri poſt reſtitutionem evaſiſſe $AB = f = \alpha\beta + B\beta - A\alpha = c + \int\beta\,dt - \int\alpha\,dt$. Si $f = e$, id quod contingit corporibus perfecte elaſticis, erit $\int v\,dt - \int u\,dt = \int\beta\,dt - \int\alpha\,dt$, vel differentiando, obtinebimus $v - u = \beta - \alpha$. Quoniam haec aequatio pro quibusvis locis vera eſt; ergo et $a - b = \beta - \alpha$. Hinc vis reſtitutiva erit $\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}$.

Evidens eſt, in colliſione corporum perfecte elaſticorum, ſum-

ſummam vis compreſſivae ac reſtitutivae nihilo aequari, i. e. $\int P dz + \int R dz = 0$, vel $Aa^2 + Bb^2 - \frac{\overline{Aa+Bb}^2}{A+B} = A\alpha^2 + B\beta^2 - \frac{\overline{A\alpha+B\beta}^2}{A+B}$. Sed ex valoribus ipſius v, in §§. 5 et 8 inventis, conſequitur fore $Aa+Bb = A\alpha+B\beta$, ergo $Aa^2+Bb^2 = A\alpha^2+B\beta^2$. 2) Si corpora non ſint perfecte elaſtica, erit $e > f$, ponatur ergo $e = f + \int q\, dt$, ergo $\int v\, dt - \int u\, dt = \int \beta\, dt - \int \alpha\, dt + \int q\, dt$; vel differentiando prodibit $v - u = \beta - \alpha + q$, i. e. $v - u > \beta - \alpha$, ponamus $v - u = p(\beta - \alpha)$, ergo et $a - b = p(\beta - \alpha)$. Hinc inveniemus vim reſtitutivam fore $\int R\, dz = \frac{AB.\overline{a-b}^2}{p^2.\overline{A+B}} = A\alpha^2 + B\beta^2 - \overline{A+B}.v^2$ (§. 8). Quoniam hoc caſu $\int P\, dz > \int R\, dz$, ſequitur revera $\int P\, dz + \int R\, dz = -\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B} + \frac{AB.\overline{a-b}^2}{p^2\overline{A+B}} = -\frac{\overline{p^2-1}.AB.\overline{a-b}^2}{p^2.(A+B)}$ aequari ſummam virium compreſſione ac reſtitutione elateris imperfecti conſumtarum. Addendo denique aequationes $\overline{A+B}.v^2 - Aa^2 - Bb^2 = -\frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}$ (§. 5.) et $A\alpha^2 + B\beta^2 - \overline{A+B}.v^2 = \frac{AB.\overline{a-b}^2}{p^2.\overline{A+B}}$, obtinebimus $A\alpha^2 + B\beta^2 + \frac{\overline{p^2-1}.AB\,\overline{a-b}^2}{A+B} = Aa^2 + Bb^2$, quam aequationem Celeb. Bermannus ex viribus vivis deduxit.

§. 10. Aſſumamus, ut in §. 7, vim reſtitutivam in ratione multiplicata n longitudinum z agere, ita ut ſit $R = \frac{gz^n}{h^n}$ erit $2\int R\, dz = \frac{g}{h^n}\left(z^{n+1} - t^{n+1}\right)$. Si elater non

 usque

uſque ad longitudinem f poſt ictum fuerit $n+1$ extenſus, erit vis univerſa reſtitutiva $\frac{g}{n+1.h}(f^{n+1} - \varepsilon^{n+1})$, cui addendo vim compreſſivam $\int P dz = -\frac{g}{n+1.h}(e^{n+1} - \varepsilon^{n+1})$, nanciſcemur ſummam virium reſtitutione ac compreſſione abſumtarum, quae ideo erit $= \frac{g}{n+1.h}(f^{n+1} - e^{n+1})$, atque evaneſcet quando $f = e$, ſcilicet in conflictu perfecte elaſticorum. Si elaſtrum agat in ratione inverſa ſpatiorum, inveniemus ut antea (§ 7) vim reſtitutivam $= gh \log \frac{f}{\varepsilon}$. Hinc in colliſione imperfecte elaſticorum, quoniam $\int P dz = -gh \log \frac{e}{\varepsilon}$, erit vis univerſa in contractione et relaxatione elaſtri impenſa $= gh \log \frac{f}{e}$, quae evadet $= gh \log 1 = 0$, quando $f = e$.

§. 11. Patefit ex noſtra ſolutione, vires vivas ex elaſtri proprietatibus, vel in genere a viribus acceleratricibus trahere originem. Etenim profecti ſumus a motus variati legibus, aequatione $Av^2 = 2\int P dz$ expreſſis, quae ſimul vim vivam refert. Imo altera aequationis pars Pdz preſſionem quovis temporis momento generatum indicare videtur; idcirco $\int P dz$ numerum preſſionum infinitum, vi vivae Av^2 aequipollentem. Sequitur vires vivas ac mortuas vel preſſiones inter ſe eſſe heterogeneas. Quae omnia cum Leibnitianorum ſententia bene congruunt. Rem adcuratius perpendens perſpexi, quae prima fronte Leibnitianis favere videbantur, potius eorum hypotheſin funditus evertere. Alterum principium motus definitur per $Adv = Pdt$, vel $Av = \int P dt$, vel $Av^2 = \frac{(\int P dt)^2}{A}$. Quis


non

non intelligit vim vivam Au^2 a tempore t pendere; Vis viva enim debet eſſe quantitas finita; ſed talis eſſe nequit, niſi vis premens P ſit functio temporis t. Dicunt autem actionem non quantitate temporis ſed virium vivarum augeri. Iam *ſummus L. Eulerus*, Vir ad rogum usque mihi colendus, monſtravit in primo Tomo Monument. Acad. Berol. percusſionem cum presſione comparari poſſe, determinando tempus, quo utraque effectum edere valeat. Tantum igitur abeſt ut generale principium omnis motus variatis viribus vivis patrocinetur, ut potius iis repugnet. Ex motu accelerato, non autem a ficta vi quadam viva, quicunque motus ortum trahit. Revera etiam motus acceleratus, et actio inde nata, eo fit celerior atque intenſior, quo longiori tempore perduravit vis motrix. Praeterea principia memorata facili negotio ab acceleratione petuntur. Quicunque enim motus variatus, quovis inſtanti, uti uniformiter acceleratus ſpectari poteſt. Conſtat autem, ſpatia percurſa eſſe in ratione vis acceleratricis uniformis et quadratorum temporis, ergo caſu, quo vis acceleratrix quolibet inſtanti variari ſupponitur, prodibit $ddz = \frac{Pdt^2}{A}$. Sed $dz = vdt$, ac quoniam inſtantia aequalia eſſe cenſentur, erit $ddz = dvdt$, propterea $Adv = Pdt$, quod erat unum, et eliminando tempus lucrabimur alterum principium motus, ſcil. $Avdv = Pdz$ ſive $Av^2 = 2\int Pdz$.

§. 12. Non difficile erit monſtrare, vim vivam in inſtanti non generari. Inſtanti enim naſcitur $2\,Avdv$, quod eſt incrementum vis vivae, atque presſioni Pdz aequatur, ergo etiam vi mortuae. Concludimus, vires vivas adplicari non poſſe ad mutationes ſubitaneas; quando nempe celeritas finita ſubito producitur, ſicuti plures eiusmodi caſus in fluxu aquarum deprehenduntur. Iam Illuſtris *d'Alembert*, aliis plane rationibus nixus, idem obſervavit. Idcirco in tractatu de fluidis, gallice conſcripto, ſaepius ſolutiones Exi-

 mii

mii D. *Bernouilli* reprehendit. Conſtat enim, praeclarum Geometram viribus vivis egregium ſuum opus Hydrodynamicum ſuperſtruxiſſe. Quibus ſic conſtitutis intelligere eſt, cur conflictus corporum durorum a viribus vivis omnimode abhorreat. Nulla enim conſequitur partium intropreſſii, hinc in inſtanti actio generetur eſt neceſſe. Si autem corpora inſtar elaſtrorum in ſe agentia ſtatuamus, non ſolum vires vivae paſſim tolerari poſſunt, ſed et ipſe durorum conflictus iis non omni modo repugnat, quoniam, uti ſupra monuimus (§ 4.), dura premere, non comprimere elaſtrum ſolent. Quis mortalium demonſtrare audeat, corpora inſtar elaterum agere?



§. 13. Principio, quod vulgo Carteſio adſcribitur, ſum addictus, quoniam fictitium non eſt, ſed potius arctisſime convenit cum actionis et reactionis aequalitate, Mechanices phyſicae capite. Sit centrum gravitatis maſſarum *A* et *B* in *C*, quae ferantur uniformiter in lineis *AD*, *BE*, conſtat ex mechanicis, centrum *C* aequaliter per *CF* moveri, deinde fore $A.\ AD + B.\ BE = \overline{A+B}.\ CF$. ſive propter ſpatia eodem tempore percurſa, erit $Aa + Bb = \overline{A+B}.\ v$, ponendo pro *a*, *b*, *v*, celeritates maſſarum et centri gravitatis. Si corpora *A* et *B* eadem via et directione incedant, ſeſe percutient. Poſt percuſſionem autem corpora in unam molem uniuntur, vel ſeparantur; tertium non datur. Corporum coniunctim poſt conflictum motorum, figurae mutantur vel ſecus: priori caſu dicuntur mollia, poſteriori dura. Etſi corpora dura a mollibus phyſice differant, attamen quoad motum centri gravitatis ſimiles effectus poſt conflictum exercebunt. Nemo enim ignorat, motum ſyſtematis corporum ex motu centri gravitatis definiri. Non temere ſuſpicamur, compresſionem aeque ac reſtitutionem partium, tamquam media actionem ex uno ad aliud

trans-

tranſferendi corpus, naturam adhibere, conformiter cuiusvis corporis indoli. Ideo dura ſibi actiones, non intro-premendo partes impertiunt, quoniam iſtae ita ſunt comparatae, ut ictui non cedant.

§. 14. Velocitas durorum aeque ac mollium poſt conflictum erit $v = \frac{Aa+Bb}{A+B}$ Et quantitas motus maſſae A poſt conflictum invenietur $= A.\frac{Aa+Bb}{A+B}$, ergo quantitas motus amiſſa $= Ab - A.\frac{Aa+Bb}{A+B} = AB.\frac{a-b}{A+B}$. Eodem modo evincitur, quantitatem motus maſſae B acquiſitam fore $= B.\frac{Aa+Bb}{A+B} - Bb = AB.\frac{a-b}{A+B}$. Evidens eſt, actionem in colliſione durorum ac mollium aequari reactioni, unum corpus tantum eſt lucratum, quantum alterum amiſit. Dubius haereo, utrum ex ipſis virium vivarum principiis lucri ac iacturae virium aequalitas poſſit monſtrari. Colliſio corporum mollium ſequentem nobis ſuppeditavit aequationem (§ 6) $Aa^2+Bb^2 = \overline{A+B}.v^2 + \frac{AB.\overline{a-b}^2}{A+B}$. hinc $v^2 = \frac{\overline{Aa+Bb}^2}{(A+B)^2}$. Ergo poſt conflictum vis viva maſſae $A = A.\frac{\overline{Aa+Bb}^2}{(A+B)^2}$, et eius vis viva amiſſa $= Aa^2 - A.\left(\frac{Aa+Bb}{A+B}\right)^2 =$ $\frac{AB.\overline{a-b}.(2Aa+B.\overline{a+b})}{\overline{A+B}^2}$. Eodem modo invenietur vis viva maſſae B amiſſa $= B.\left(\frac{Aa+Bb}{A+B}\right)^2 - Bb^2 =$ $\frac{AB.\overline{a-b}.(A.\overline{a+b}+2Bb)}{\overline{A+B}^2}$. Patet inde, vires vivas amiſſas

Digitized by Google

amiſſas et acquiſitas eſſe inaequales. Non fluunt vires vivae ex omnis motus ac actionum fonte, nempe ex actionis ac reactionis aequalitate.

§. 15. Corpora quae poſt ictum ſeparantur, ſunt elaſtica. Durante compreſſione inſtar mollium agunt. Reſtitutione perfecta, corpora iisdem viribus, quibus fuere compreſſa, a ſe invicem repelluntur, ergo corpus inſequens A iterum eandem vis iacturam $\frac{AB.\overline{a-b}}{A+B}$ faciet, aeque ac B lucrabitur vim $\frac{AB.\overline{a-b}}{A+B}$, ita ut utriusque vis lucrum ac iactura aequentur $2\frac{AB.\overline{a-b}}{A+B}$. Hinc vis maſſae A poſt conflictum prodibit $A\alpha = Aa - 2\frac{AB.\overline{a-b}}{A+B}$. Unde $\alpha = \frac{Aa+2Bb-Ba}{A+B}$, et tota vis ipſius B erit $= Bb + 2\frac{AB.\overline{a-b}}{A+B} = B\beta$, ergo $\beta = \frac{Bb+2Aa-Ab}{A+B}$. Nec hoc caſu vires vivae amiſſae et acquiſitae aequales inveniuntur, uti calculum ineunti patebit. Vis amiſſa corporis imperfecte elaſtici, aeque ac eius vis acquiſita, evincitur eſſe $\frac{p+1}{p}.\frac{AB.\overline{a-b}}{A+B}$. Hinc eodem modo ut antea habebimus $\alpha = \frac{Aa+Bb}{A+B} - \frac{B\overline{a-b}}{p}$. Quis non inde intelligit, Carteſii principium omnibus partibus Leibnitiano antecellere?

§. 16. Definita colliſione directa, alios caſus evolvere opus non erit.

§. 17.

§. 17. Circa Problema Dynamicum, pace Celeb. Bermanni, nonnullas animadverſiones in medium proferemus, quae, ſi mavis, Leibnitianorum Solutiones generatim reſpiciunt. Virium vivarum Patroni, inter quos eminet Cel. ſ' Graveſande, praecipue ad partium intropreſſionem attenderunt. Ex quantitate motus elementari deduxerunt vires finitas, ſed valde confuſe, imo promiſcue una alterave uſurpant. Dicunt, unum corpus quovis conflictus momento tantam motus quantitatem elementarem lucrari, quantam alterum amittat; hinc $Av = B\phi$. (ponendo v et ϕ velocitates durante conflictu variantes). Sed an ultimo conflictus momento etiam $Av = B\phi^2$? Ergo forent v et ϕ ipſae velocitates poſt conflictum, quoniam corpora finita reſtitutione uniformiter moventur, tunc autem $v + \phi$ aequari $b - a$ foret abſurdum. Videtur ſaltem Auctor v et ϕ pro celeritatibus ultimis uſurpaſſe, nam aliter non poſuiſſet $Av^2 + B\phi^2 = \frac{AB\,(a - b)^2}{p^2.\ A+B}$, quae aequatio vim univerſa elaſtri reſtitutione redditam indicat. Quovis reſtitutionis momento vis reſtitutiva foret $Av^2 + B\phi^2 = \frac{AB.\ (\phi - v)^2}{p^2.\ A+B}$, uti ex noſtra patet ſolutione. Ut vim finitam ex vi elementari conſequamur, ſummam omnium virium elementarium colligamus eſt neceſſe. Leibnitiani vim elementarem a vi finita inde generata non diſcernunt. Quoniam autem vis elementaris Pdz aequatur $Avdv$, vel fluxioni vis vivae, uti iam monuimus, mirum non eſt, quin ſolutiones veritati conſentaneae deprehendantur. Nam ultimo reſtitutionis momento generantur et vires elementares cum velocitatibus v et ϕ, et vires vivae $\int Avdv + \int B\phi d\phi$. Ad ultimum hocce momentum non attendunt Leibnitiani; nam ſi ſemper foret $Av = B\phi$, tum etiam finiente conflictu, ſed v et ϕ tunc erunt ipſae velocitates poſt ictum. Abſonum autem eſt, poſt conflictum eſſe $Av = B\phi$. Denique ex ſolutione Probl. Dynam. non manifeſte patet, quid ſit p. In Scholio

Digitized by Google

comparat Celeb. Auctor quantitates motus perfecti et imperfecti elateris ad definiendum illud *p*. Cur in hunc finem non vires vivas adhibuit? Verum hoc modo $Av^2 : B\varphi = p^2 : 1$. Quid tunc ſignificet *p*, primo intuitu intelligere difficilioris indaginis eſſe videtur.

§. 18. Varia de corporum indole ex noſtris ſolutionibus profluunt corollaria, quae Lectoris acumini eruenda relinquimus.

DUODENORUM NUMISMATUM ANTEHAC INeditorum brevis expoſitio. PHILIPPUS DE VENUTIS, Praepoſitus Eccl. Liburnenſ. ſelegit ex Gazophylacio A. V. Antonii le Froy, Angli, et Nobiliſſ. Viro Hugoni Lordio Willoughby de Parham, Societatis Londinenſis Antiquariae Praeſidi, dicavit.

Liburni, in offic. Fantechiana, A. 1763. pagg. 33. quaternis.

Cuius Muſeo numi, quorum deſcriptionem et delineationem hic libellus exhibet, debeantur, iam titulus indicat. Quales vero ii ſint, noſtrum erit commemorare. Intelligetur enim facile e recenſione illorum raritas eximia praeſtantiaque, qua virorum doctorum atque his ſtudiis deditorum attentionem merentur.

Primus numus eſt conſularis, et pertinet ad Manliam gentem et Corneliam. In antica Romae caput galeatum cum epigraphe A. MANLI. A. F. Q. (*Aulus Manlius, Auli Filius Quaeſtor*). In poſtica Sylla equo inſidens ſtanti, habitu militari, capite nudo, dextra elata, inſcripta epigraphe L. SVLLA. FELIX. DIC. (*Lucius Sulla Felix Dictator*). Sine cauſa de antiquitate huius numi dubitatur: cum quia iſte A. Manlius Syllanis temporibus in hiſtoria Romana nunquam apparet, quaſi omnium, qui illa tempeſtate vixerunt, nomina, ad nos pervenerint, aut non multa

in

in numis reperiantur, quae fruſtra in libris veterum ſcriptorum quaerimus; tum quoniam paullo rarior eſt ſcribendi ratio, DIC. pro DICT. Sed meminimus, in numis quoque Iulii Caeſaris non raro legi DIC. PER.

Secundus numus aureus habet caput viri nudum, cum epigraphe: M. ANTONIVS. M. F. M. N. AVGVR. IMP. TIIRT. (*M. Antonius*, *Marci Filius*, *Marci Nepos*, *Augur*, *Imperator Tertium.* In poſtica eſt caput reginae Cleopatrae, crinibus in nodum religatis, continuata anticae epigraphe: COS. DIISIG. ITIIR. IIT. TIIRT. III. VIR. R. P. C. (*Conſul deſignatus iterum et tertio*, *triumvir Reip. conſtituendae*). Quemadmodum numi aurei Triumvirorum omnes in magno pretio habentur, ita praecipue hic praeclarus eſt, quia duplex caput Cleopatrae et Antonii praefert. Huiusmodi numi non Romae, ſed in Aegypto, vel in proxima Graecia, ab artifice barbaro percuſſi ſunt: unde illa litterarum permutatio, qua duo II pro E occurrunt, ex perverſo uſu Graeca et Latina elementa permiſcendi, atque E longum graecum adhibendi pro E, nam ſi de H transverſa lineola demitur, habes II. Quae quidem ſcribendi ratio in antiquis marmoribus occurrit, nunquam antea in numis obſervata fuit. In Muſeo Veronenſi (p. CLVI. n. 1.) legimus IIT. pro ET. VALIIR. pro VALER. PARIINTIIS pro PARENTES. Similiter Reineſius, (prave ſcribit auctor *Rehineſius*, pro negligentia, quam Itali in Germanorum nominibus corrumpendis ſibi permittunt,) lapidem dedit, in quo legitur: BIINII MIIRIINTI, id eſt: BENE MERENTI.

Tertius numus eſt aereus, et prae ſe fert caput Antoniae, ſolita capillamenti textura, in nodum retro collum revincti, cum inſcriptione: ANTONIA AVGVST. In altera parte duplex cernitur Cornu copiae, quorum infra connexorum in area legitur: COR (*Corinthi*), in exergo: M. BELLIO. PROCVLO. IIVIR. Numi Antoniae dicati, poſt mortem demum foeminae cuſi ſunt: nam Auguſtae titulum a Senatu oblatum, ipſa, dum viveret, detrectavit.

Cornu copiae indicat feracitatem Corinthiaci ſoli, felicitatemque ſub Imperatore Caligula. Ideo vero hic numus magni aeſtimandus eſt, quia nullus adhuc obſervatus, qui in Coloniis cum Antoniae Auguſtae nomine cuſus eſſet.

Numus *quartus* eſt argenteus, et ab una parte habet caput ſororis Commodi, crinibus in nodum revinctis, admixtisque eleganter margaritis, cum epigraphe ΛΟΥΚΙΛΛΑ CEBACTH: ab altera ſtat dea velata et tunicata, pateram dextra tenens, et ſiniſtra facem oblongam terrae innixam. Epigraphe eſt: ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΑΝΝΟC. ΦΙΛΟΡωΜαιος. *(Rex* Mannus *Romanorum amicus).* De rege Manno unicum exſtat Dionis teſtimonium. Traianus Ponticam ſuſcipiens expeditionem, huius Arabiae reguli fidem ſuſpectam habuit, igitur eum omni modo in partes ſuas traxit. At Mannus ille, qui in M. Aurelii, Fauſtinae, et Lucillae numis adparet, ſenioris illius Manni vel filius, vel nepos a Spanhemio creditur, qui Philoromaei nomine adſumto, ſibi tutelam ac ſecuritatem a populo Romano eo tempore procuraverit, quo L. Verus, Lucillae maritus, cum finitimis Parthis bellum renovabat.

Elegantiſſimus eſt numus *quintus.* Exhibet caput ſenis barbati, et laurea cincti, cum Epigr. SEVERVS PIVS AVG. In poſtica eſt ara plicatilis in medio poſita, Imperatore velato et togato adſtante, patera ſupra illam libationes operante, et ſiniſtra manu volumen tenente: prope adſtat cincinnatus iuvenis, duplices tibias inflans, et ultimo loco apparet miles, ſago amictus, et brevem pilum ſupra brachium ferens. Inſcriptio eſt: VOTA SVSCEPTA. XX. Raritatis cauſſam arceſſit ab adverſae partis typo, nondum ab antiquariis in hoc Imperatore commemorato.

Sequitur aereus minoris moduli: in illo apparet caput iunioris foeminae cum verbis CAB. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. C. *(Sabina Tranquillina Auguſta):* ab altera parte Minerva tunicata ſtat, ſuccincta et galeata, ſiniſtra oleae ramum tenet, dextra neſcio quid in vas humi poſitum coniicit. Inſcriptio eſt: CΙΔΗΤΩΝ. Horum Sidetarum, in Pamphylia populorum,

lorum, cultus frequens in Auguſtas multis numis probatur. Sed hic nondum antea fuit viſus. Adverſae partis typum melius intelliges, ſi recordatus fueris, Minervae apud eos fuiſſe celebre templum, cuius imaginem olim Haymium proferre meminimus. Difficultatem aliquam reſtare non negamus, nec quomodo tollenda ſit illa, videmus. Auctor haec addidit: „Quid ſibi velit vas anſatum, an ludos ſignificet, an in illud dea fructum oleae coniiciat, an ad calculum Minervae, de quo in Areopago fuit quaeſtio, referatur, in praeſentia non diſputabo.„ Sed utilius profecto erat de his diſputare, quam contra Liebium in praefatione verboſe oſtendere velle, a privatis quoque hominibus numophylacia inſtrui poſſe et debere.

Rariſſimus eſt numus *ſeptimus*, aereus, ſecundi moduli. Caput in illo conſpicitur nudum ad pectus, et Epigraphe: M. AVR. ALEXANDER. CAES. In adverſa Imperator ſtat loricatus, cum paludamento et haſta transverſa inverſa cuſpide in ſiniſtra: gerit dextra ſceptrum, retro ſurgunt duo ſigna militaria, humi fixa, quorum in apice corona, in altero Aquila Legionaria: in area eſt S.C. Epigr. PRINC. IVVENTVTIS. Numi Severi Alexandri, cum ſolo *Caeſaris* titulo, inter rariores recenſendi. Hic etiam explicat bellicum apparatum, et Imperatorem ad expeditionem promtum.

Octavus numus caput habet nudum, cum paludamento ad pectus: epigraphe eſt, M. OP. DIADVMENIANVS CAESAR. in averſa: SEP. TYRVS. MET. COLON. (Septimia Tyrus Metropolis Colonia). Dea ſtans capite turrito, veſte barbarica, dextram imponit tropaeo, ſiniſtra ſceptrum transverſum tenet, pone columella, ſupra quam Victoriae ſignum cum palma et corona: hinc inde arbor palmifera et conchylium. Numi Diadumeniani Caeſaris inter rariores collocantur, ſed hic in Colonia cuſus pretium habet etiam novitatis ex averſa parte. Hic enim typus, licet non infrequens ſit in aliis numis, numquam tamen in hoc Caeſare apparuit. Quod ad deam attinet,

Digitized by Google

Aſtarte eſt, frequens in numis Sidoniorum et Tyriorum idolum: palma vero reſpicit ad Phoenicum regionem, quae palmarum feraciſſima perhibetur: conchylium notat pretioſam mercem Tyriorum, nempe purpuram muricis piſcis ſanguine infectam.

Nonus numus eſt ex aere rubro, tertii moduli, Aegyptio artificio cuſus, praefert caput laureatum cum lorica et epigraphe: A. K. M. AIMIA. AIMIAIANOC. ETC. ETT. CEB. (*Imper. Caeſar Marcus Aemilius Aemilianus Pius, Felix, Auguſtus.*) In poſtica Victoria gradiens tunicata, et ſuccincta, dextra coronam, ſiniſtra palmam habet ſub humero: in area: L. B. (*anno ſecundo.*) Hoc numo efficitur, ne amplius ſuſpectus ſit nobis numus a Bandurio datus, in Nummor. Imper. T. I. p. 98.

Aureus eſt numus *decimus*, et pertinet ad Probi, cuius omnes aurei rari ſunt, rarior reliquis hic, quem nec Banduriana collectio indicat. In altera parte eſt caput Imp. laureatum, ad pectus trabea conſularis, dextra tenet ſcipionem, in cuius apice aquila. Epigraphe eſt: IMP. C. M. AVR. PROBVS. P. F. AVG. Ex altera parte Hercules ſtat nudus, humeris Aprum geſtans, ſupra brachium leonis exuvias habens: inſcriptio eſt: HERCVLI ERYMANTHIO.

Qui proxime ſequitur numus ex tenui auro conflatus eſt. In altera parte conſpicitur Auguſtae protome, capite diademate et margaritis ornato, cum torque ad collum gemmifero, et veſte auro contexta, lunae falcatae inſidens, cum epigraphe MAGNIA VRBICA AVG. in altera dea velata ſtat, tunicata, et ſtolata, dextra pateram, ſiniſtra haſtam puram tenens. Epigraphe: IVNO REGINA. Aureus huius Auguſtae numus cum hoc typo nondum fuit viſus, ſed argenteus tantum a Bandurio datus, isque rariſſimus exiſtimatus.

Ultimus numus argenteus eſt, et eximiae caelaturae. Circa caput Minervam referens ſcriptum eſt: ΗΡΑΚΛΗΙΩΝ. In deae eleganti galea monetarii nota K. in altera parte repeti-

petitum eſt HPAKAHIΩN nomen, addita ſigla AΘA. Typus: Hercules ſtans nudus, dextra nodoſam clavam gerit; ſiniſtra arcum et iaculum, ſupra brachium pendent Nemaei leonis exuviae: in area ſupra clavam eſt lebes, ſeu poculum. Difficilis profecto huius numi interpretatio eſt, id quod Auctor ipſe intellexiſſe videtur. Si liceret, inquit, hariolari, Cariam regionem, ubi Heracliorum urbs quaedam eſt, ſuſpicarer in littera ſingulari K. In litteris illis AΘA quidquam ad Athenienſem urbem aut populos pertinens, mihi fingerem; AΘA pro AΘH, Dorico modo; ſed malo haec acutioribus in medium relinquere, quam quidquam temere effutire.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΤΆ ΣΩΖΌΜΕΝΑ.

XENOPHONTIS OPERA GRAECE ET LATINE, ex recenſione Eduardi Wells. Accedunt diſſertationes et notae virorum doctorum: cura CAROLI AUGUSTI THIEME, cum praefatione IO. AUG. ERNESTI.

Lipſiae ex officina libraria Gleditſchiana: 1763. 8. Volum. I. Alph. 1. pl. 20. Volum. II. Alph. 1. plag. 20.

Cum in univerſum nec in textu graeco, nec in latina verſione, aliquod a Welſiano exemplo diverſum occurrat, ſufficiet, unum hoc dixiſſe, nihil ſtudii, laboris, aut impenſae praetermiſſum eſſe, ut Welſiana editio, etiam quoad paginas, quam diligentiſſime repeteretur, eiusque aperta vitia tollerentur. Neque enim committendum erat, cum Xenophontis libri inter noſtros deſiderarentur, ut vel impenſis, vel diligenti operae parceretur. Ideo noſtri et *Cl. Thiemio*, Viro graece doctisſimo, et Librario, magnas agent gratias, qui curam ita diviſerunt, ut profecto elegans et accurata editio prodiret, noſtraeque urbis laus hac etiam ex parte augeretur.

Sed

Sed de conſilio toto melius iudicari poterit, cum Erneſtinae praefationis ſummam indicaverimus. Iudicat ergo *Cel. Erneſti*, Welſianam editionem, etſi non omnino perfectam, tamen ſatis commodam eſſe, totamque fluxiſſe e recenſione Leunclaviana, paucis a Stephano mutuatis: neque enim videri Welſio propoſitum fuiſſe, ut lectionem ubique conſtitueret. Multos etiam operarum errores, eosque interdum graves, irrepſiſſe, pluribus exemplis confirmatur. Itaque *Thiemius* conſuluit ubique Leunclavianam, ut Welſianus textus omnino talis eſſet, qualem videtur exhibere voluiſſe Welſius, praeterquam quod tum, cum notulae Welſianae diſerte ſignificant, quid ille probarit aut reiecerit, ratio Welſii et debuit et potuit plane ſervari. Interpretatio latina tota expreſſa eſt ſecundum Welſium, etſi haec quoque Leunclavio debetur. Deſcripta eſt editio in ſex volumina, quorum quatuor Xenophontis opera, cum Hutchinſoni diſſertationibus, et Dodwelli Chronol. Xen. continebunt, reliqua indicem Welſianae editionis et Aemilii Porti, obſervationes Virorum doctorum, et varias lectiones. In primo volumine praeter Cyropaediam diſſertationes Hutchinſ. de Xenophonte, Cyro, Cyrop. et inſtitutis Perſarum occurrunt: ſecundum continet librum de exped. Cyri, Ageſilaum, de rep Athen. et Laced. et de reditibus, cum diſſ. Hutchinſ. de auctore ἀναβάσεως. Nos vero optamus, ut res feliciter ad finem perducatur; quamquam de utilitate et approbatione, digno Thiemiana opera praemio, nullo modo dubitare licet.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Octobris Anno MDCCLXIII.

ABHANDLUNGEN UEBER WICHTIGE BEGEBENHEITEN *etc.*

h. e.

COMMENTATIONES DE REBUS MEMOrabilibus hiſtoriae antiquae et recentioris.

Tiguri, 1763. Alph. 1. plagg. 3. in 8.

Inter reliquas utilitates, ex hiſtoriarum monumentis in mores ac reliquam vitam hominum redundantes, haec praecipua etiam eſſe videtur, quam Livius in praefatione immortalis operis tantopere praedicaverat: *inde tibi tuaeque reipublicae capias, quod frugiferum ac ſalutare ſit, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* At enim vero, haec ipſa diligens factorum conſideratio, et accurata exemplorum imitatio, quandam iudicandi vim, et acumen ingenii requirit, adeo, ut minima pars lectorum verum et dulcem ex hiſtoriarum monumentis capere fructum videatur. Quam ob rem nonnulli Hiſtorici, ut, exempli cauſſa, *Machiavellus*, in hiſtoria Florentina, *Guicciardinus* in hiſtoria Italiae, et alii non multi, ſed boni ſcriptores, rebus geſtis, quas propoſuerant, ſtatim obſervationes quasdam, ex prudentia civili petitas, addiderunt, ut exinde lectores eo maiorem ex

enarratis rebus utilitatem caperent. Sed haec ipſa diligens cum hiſtoria coniunctio politices, rerum geſtarum ordinem paululum turbare videtur, indeque pauci hiſtoricorum illa exempla ſunt ſecuti, ſed potius lectoribus liberum de rebus geſtis iudicandi reliquerunt arbitrium. Nonne vero ex immenſa fere multitudine factorum, quaedam hac ipſa conſideratione, examinatione, et accommodatione ad rempublicam ipſam, digna eſſe videntur? Nonne ſi diligenter inquiramus in naturam et arcanas rerum geſtarum cauſas, hoc ipſo ſtudio hiſtoria optime illuſtratur? Quam ob rem praeſtantisſimis viris, St. Evremont et Abbati St. Real, multum debemus, quod hiſtoriam pulcherrimis obſervationibus magis frugiferam reddiderunt. In hunc vero numerum iure ac merito etiam referendus eſt doctisſimus auctor libri, cuius primam partem lectoribus accuratisſime indicabimus. Tantam ille prudentiam civilem, variamque rerum geſtarum cognitionem prodidit, ut eum omnibus illis, quibus curae cordique ſunt ſtudia hiſtoriarum, ſedulo ac diligenter commendemus. Continet vero haec prima pars quinque commentationes. Prima et ſecunda explicat hiſtoriam reipublicae Carthaginienſis: tertia exponit cauſas foederis anno MDVIII. contra Venetos initi: quarta conſiderat hiſtoriam rerum in Europa ab anno MDXV. usque ad annum MDXXX. geſtarum: quinta denique fata Poloniae anno MDCCXXXIII. et ſequentibus proponit. Videamus de ſingulis. Poſteaquam (p. 3.) de origine urbis Carthaginis conditae a Phoenicibus ſive Tyriis nonnulla dixit, formam reipublicae (pag. 4.) explicat. Haec ipſa forma primis temporibus monarchica fuit, paulo poſt vero in formam mixtam reipublicae, h. e. monarchico ariſtocratico democraticam transmutata eſt. Laudat imprimis Auctor, et ſapienter ac recte laudat, quod Carthagine nulla exorta ſeditio populi, neque libertas (pag. 5.) reipublicae ab ullo tyranno fuerit oppreſſa. His egregiis commodis, ex praeſtanti forma reipublicae profectis, Roma nullo modo gloriari potuit. Haec ipſa ſapientia civitatis Carthaginienſis ex magi-

magiſtratibus eius omnium optime illuſtrabitur. Primi magiſtratus (pag. 6) erant *Suffetes*, qui partem reipublicae monarchicam adminiſtrandam ſuſceperant, indeque ſaepe a ſcriptoribus latinis reges nominantur. Et profecto omnium optime (pag. 7.) ſive cum Conſulibus Romanis, ſive cum regibus Lacedaemoniis, comparari poterunt. Senatus vero Carthaginienſis negotia belli, pacis (pag. 9.) foederum, navigationis, et commerciorum moderabatur. Penes populum porro (pag. 10.) ius ſuffragii in eligendis magiſtratibus, atque in ferendis legibus fuit. Loquitur deinceps Auctor (p. 11.) de *centumviratu* et *quinqueviratu* Carthaginienſi. His expoſitis morbos huius reipublicae explicat, et quidem primum illos (p. 12-16.), qui ex ipſa reipublicae forma orti eſſe videntur. Progreditur deinceps (p. 17. et 18.) ad reliquos naevos politicos. Taxat neglectam rem navalem, et conductum ex aliis populis militem. Pulcherrime porro expoſuit inſtituta quaedam Carthaginienſium (p. 19.) Palam convivabantur; qui mos ſine ulla dubitatione a Spartanis ad Carthaginienſes transierat. Religionem Carthaginienſium (p. 21-31.) illuſtrat. Origo illius religionis debetur Phoenicibus, nonnulla tamen ex ritibus Graecorum mutuati ſunt. In univerſum vel maxime ſuperſtitioni dedita fuit illa gens, indeque multi ritus occurrunt, qui humanitati et honeſtati omnino repugnant. Ita verbi gratia dii, Saturnus et Moloch, nonniſi victimis humanis placabantur. Exteri eam ob cauſam populi, atque reges, ſummo Carthaginienſes proſequebantur odio. Solide auctor, exemplo Carthaginienſium, Morinum refutavit, qui in commentatione quae exſtat in commentariis Academiae Pariſienſis, uſum victimarum humanarum apud populos plane negavit. Pag. 32. ſtudia Carthaginienſium exponit A. bonas litteras, inprimis Philoſophiam, parum excoluerunt Carthaginienſes, contra vero in aliis ſtudiis pertractandis operam poſuerunt. Etenim memoria nonnullorum librorum, verbi gratia *hiſtoria de Aſiatico Proconſulatu Manlii*, libri *Magonis de agricultura*, expugnata Carthagine iuſſu Senatus Romani in linguam latinam translati,

lati, Annales denique *Himilconis*, ſatis ſuperque illud teſtantur. Maiorem tamen gloriam architectura, aliisque artibus ad rem navalem et bellicam pertinentibus, ſibi comparaverunt Carthaginienſes. Ingens vero nomen, gloriamque plane excellentem, mercatura et navigatione conſecuti ſunt. Haec omnia uberius ab auctore (pag. 33-36.) expoſita fuerunt. In mari mediterraneo, in oriente atque occidente, latiſſime commercia exercuerunt. Abundabant vero hi populi, et aliis terris ſuccurrebant his mercibus: frumento, frugibus, vino, cera, oleo, imprimisque colore, qui ob pulchritudinem naturalem proprie nominatus fuit color Punicus. Contraria vero etiam ex parte aliorum populorum merces in rem utilitatemque ſuam pulchre converterunt. Ita ab Aegyptiis papyrum, a Tyriis et Phoenicibus purpuram, a Britannis ferrum, ab Aethiopibus Garamantis et Perſis gemmas acceperunt. Indolem animi Carthaginienſium, moresque huic populo veluti innatos, (p. 37-39.) belle auctor deſcripſit. Nulla fides ſcriptoribus Romanis de moribus atque ingenio Carthaginienſium ſcribentibus habenda eſt, propterea quod illi partium ſtudio obcoecati, ea tantum memoriae prodiderunt, quae ad iniuſtitiam populi Romani minuendam debilitandamque pertinerent. In univerſum, ſicuti in reliquis rebus publicis, primis temporibus maiori opera virtuti ſtuduerunt, corruptis vero deinceps moribus, vitiorum multitudine antiquam innocentiae gloriam obſcuraverunt. His traditis bella Carthaginienſium (pag. 39-64.) fuſius explicantur. Prima bella iſti cum Africanis vicinis geſſerunt. Infelici quidem primum utebantur fortuna (pag. 40.); deinde vero Mauros vicerunt non ſolum, ſed etiam partem terrarum iis ereptam reipublicae ſuae addiderunt. Poſt devictos Mauros (pag. 41-43). Sardiniam, reliquasque inſulas Baleares expugnaverunt. His expugnatis potentiſſimam fertiliſſimamque inſulam Siciliam (pag. 43-52.) ſubigere tentaverunt. Quae ipſa Siciliae expugnatio (pag. 44.) multis expoſita fuit diffi-

difficultatibus, quae ab auctore (pag. 45-53.) accurate indicantur. At enim vero, Sicilia vix in poteſtatem Carthaginienſium redacta, bella cum Romanis exoriebantur, auctaeque potentiae Carthaginienſis magnitudo malorum deinceps ſecutorum initium fuit atque principium. Uberiori oratione cauſas primi belli Punici, et ipſam rerum geſtarum ſeriem, auctor a pagina 53. usque ad finem primae commentationis, memoriae prodidit. Ea vero repetere nimis longum, et plane ſupervacaneum foret, cum ea tantummodo relata legamus, quae peritis hiſtoriarum aeſtimatoribus, ex ipſis rerum geſtarum monumentis, ſatis ſuperque conſtant.

Diuturnum bellum Punicum ſecundum, cuius origo in annum urbis conditae ſexcenteſimum ſeptuageſimum ſecundum incidit, commentatione altera explicatum legimus. Pax Carthaginienſibus a Romanis extorta (p. 65.), non ſolum illis Sardiniam et Corſicam eripuerat, ſed etiam per aliquod tempus magnitudinem et potentiam eorum (p. 66.), ingenti pecuniae ſumma imperata, debilitaverat. Haec Romanorum iniuſtitia iram omnium Carthaginienſium concitaverat, quam ſanandis vulneribus, quae illis inflicta erant, omnium optime minuere poſſe ſibi perſuadebant. Brevi igitur tempore rem reſtituerunt ſuam; quod ipſum tamen iniquo plane animo Romani ferebant. Illi itaque (p. 67.) de pacis conditionibus violandis ſolliciti, omni modo occaſionem quaerebant, qua oblata iterum collo Carthaginienſium iuga veluti imponere poſſent. Urbs Saguntus hanc opportunam cauſam dedit Romanis, novamque formulam pacis imperatori Carthaginienſium Hasdrubali extorſit. Hac pace civitati Sagunto, caeteriſque Graeciae coloniis, antiqua libertas reddita fuit. Haec igitur iniqua novae pacis conditio paulo poſt bellum Punicum ſecundum excitavit. Mortuo enim Hasdrubale (p. 68.), fortiſſimus vir, Hannibal, ſuperbiam urbis Sagunti, ex foedere Romanorum ortam, punivit, atque ipſam urbem obſidione cinxit. Romani primum

Legatos tantum modo ad Hannibalem miſerunt, qui eum hortarentur, ut urbem obſidione liberaret, Hannibal vero nihilo ſecius, his minis ſpretis, urbem ſumma vi aggreſſus eſt, eamque ad extremum expugnavit. Hac urbe expugnata, bellum Punicum ſecundum inter Romanos atque Carthaginienſes initium cepit. Varios huius belli eventus, incertaeque fortunae viciſſitudines, ab auctore deſcriptas, a pag. 71. usque ad pag. 109. explicatas legimus: deinceps vero pag. 109. usque ad pag. 121. de vita Hannibalis commentatus eſt. Deſcripſit inprimis ſtudia pacis, quibus Hannibal, ſicuti bellicis artibus, adeo inter reliquos eminuit, ut omnium excitaret invidiam ac aemulationem: porro fugam Hannibalis ad Antiochum magnum, regem Syriae, cum Romani eius vitae libertatique inſidiarentur: inde fugam ad Pruſiam, regem Bythiniae: denique mortem tanti imperatoris, cum ipſe ob inſidias Romanorum veneno ſibi vitam eriperet. His traditis, bellum Punicum tertium a pag. 121 usque pag. 142. exponitur. Quae vero repetere, cum ſatis nota ſint, ſupervacaneum eſſe putamus. Ceterum multa his commentationibus addi poterant; inprimis ea, quae de Senatu Carthaginienſi, formaque reipublicae, A. tradidit, copioſius explicari potuiſſent, ſi illi innotuiſſet liber *Chriſtophori Hendreichii*, doctiſſime ſcriptus, *de republica Carthaginienſi*, qui ſuperiore ſeculo prodiit. Progredimur ad tertiam commentationem, quae cauſas foederis Cameracenſis contra Venetos anno MDVIII. initi illuſtrat. Primum (pag. 147.) auctor nonnulla dixit de potentia huius reipublicae, quae a magnitudine commerciorum originem ſuam traxit. Haec ipſa commercia A. (pag. 148.) deſcripſit; deinde (pag. 149.) de terris reipublicae ſubiectis verba facit; porro oſtendere elaborat, quomodo facili negotio haec reſpublica principatum in Italia obtinere potuerit. Ex conditione fatisque territoriorum, his temporibus, hunc ipſum principatum collegit. Ita verbi gratia a pag. 150. usque ad pag. 164. de regno Siciliae ſub Ferdinando Catholico, de terris

ponti-

Digitized by Google

pontificiis, de republica Florentina, de ducatu Mediolanenſi, de Ducibus Sabaudiae, Ferrariae, et Mantuae, nonnulla dixit. Explicat deinde (a pag. 165-173.) ipſum foedus inter Pontificem maximum Iulium ſecundum, Ludovicum XII. regem Galliarum, Ferdinandum catholicum, et Maximilianum I. Imperatorem, contra rempublicam ſancitum. Hoc tradito foedere bellum ipſum (pag. 171-182.) enarratur. De legatione porro, nomine reipublicae ad Maximilianum I. miſſa recte narrat, etiam oratione legati, Antonii Iuſtiniani, (183-186.) addita. Quamvis vero reſpublica optimas pacis conditiones Imperatori offerret, eas tamen hic plane repudiabat, ita ut reſpublica deinceps cogeretur cum Ferdinando catholico rege Hiſpaniarum pacem inire, cuius exemplum etiam paulo poſt Iulius II. ſummus pontifex (p. 186-196.) ſecutus eſt. Ita vero his reconciliatis laetiori fortuna Veneti iterum utebantur; et cum deinceps novum foedus contra Ludovicum XII, quod in hiſtoria ſacrum dicitur, ob Ducatum Mediolanenſem exoriretur, Veneti pacem quietemque publicam (a pag. 197 205.) reſtituerunt. Ad extremum (p. 205-216.) nonnulla obſervationes politicas A. addidit, inter alia ubi legimus, quod pontifex maximus Iulius II. et rex chriſtianisſimus Ludovicus XII. Turcas contra rempublicam incitare voluerint. Progredimur ad commentationem quartam, qua res memorabiles ab anno 1515. usque ad annum 1530. illuſtrantur. Poſteaquam nonnulla in univerſum (p. 219-223.) de natura et conditione regnorum, his temporibus, et de ſtatu litterarum et artium A. dixit, mores indolemque Franciſci I. regis Galliarum (pag. 223-225.) pulcherrime deſcribit. Vidimus et ex hac ipſa deſcriptione, Franciſcum I. principem vitiis et virtutibus magnum fuiſſe. Quomodo porro ille potentisſimus princeps ducatum Mediolanenſem ſuis adiecerit ditionibus, (225-228.) explicatur: inde natura ingenii, mores, reliquaque vita Caroli V. breviter quidem, ſed eleganter (pag. 228-230.) delineantur. Paulo poſt, imperatoriam dignitatem (p. 230-

234.)

Digitized by Google

234.) inprimis ex conſilio *Friderici* ſapientis, Electoris Saxoniae, *Carolo V.* traditam fuiſſe narrat, cui tamen parum gratiae retulit, ſicuti ex hiſtoriarum monumentis ſatis ſuperque conſtat. His traditis, potentiam domus Auſtriacae, (p. 235-236.) quae ſub *Carolo V.* et *Ferdinando I.* latiſſime patuit, explicavit. Poſtea (pag. 236-247.) de cauſis bellorum inter *Carolum V.* et *Franciſcum I.* exortorum verba fecit. Deinceps (p. 249-268.) de ipſo bello, et inprimis de praelio illo decretorio prope Papiam, et de captivitate Franciſci I. paceque ſecuta, ſermo inſtituitur. Expugnationem urbis Romae, captivitatemque pontificis maximi (pag. 268-276.) A. retulit. Denique novum bellum ex hac ipſa rerum conditione exortum (p. 277-289.) explicavit. Poſtea rerum in Septentrione geſtarum memoriam examinat. Regnavit tum temporis celebris ille Chriſtianus II. qui ob crudelitatem iure meritoque (pag. 289.) ſeptentrionalis Nero nominatus eſt. Hanc crudelitatem inprimis (pag. 290) excitavit, aluit, auxit, Guſtavus Troll, Archiepiſcopus Upſaliae, penes quem ſumma rerum erat. Sanguinolentum animum, abiectos mores, et regis, et huius Archiepiſcopi, A. (pag. 291.) bene deſcripſit. Inde narrat ſeditionem in Suecia exortam, ſedatam vero paulo poſt, et anno MDXX. (pag. 293-296.) crudeliſſima multorum morte vindicatam. At enim vero, poſt breve tempus (pag. 299-306.) iterum ſeditione exorta, ſumma rerum Guſtavo Waſa tradita fuit, qui tam laeta utebatur fortuna, ut principatum feliciter obtineret, *Chriſtianus* vero ſecundus ille Tyrannus e regnis eiectus ſuis, extorris reliquam vitam ageret. Denique auctor in hac commentatione (p. 307-331.) expugnata ab Hiſpanis, ab anno MDXV. usque ad annum MDXXX, regna *Mexico et Peru*, enarravit, variasque obſervationes exinde pulchre deduxit. Ita verbi gratia egregia ſunt ea, quae (pag. 308 et 309.) de incrementis commerciorum dixit; et cum crudelitatem Hiſpanorum, ſine omni partium ſtudio, recte et graviter (p. 309-321.) deſcripſit.

In

In extrema vero parte huius commentationis nonnulla digniſſima lectu de ſtatu eccleſiaſtico eius temporis (pag. 321-331) occurrunt. Quinta Commentatio continet bellum illud in Polonia exortum anno 1733. ob electionem Friderici Auguſti III. Primum (pag. 338. et 339.) de factionibus Polonorum, cum alii partes Auguſti ſequerentur, alii Stanislai Leſchinsky, ſermo inſtituitur. Stanislao inprimis favebat Primas regni Poloniae, et rex Galliarum Ludovicus XV. (pag. 239-240). Contraria vero ex parte Friderico Auguſto Carolus VI. Imperator et Anna Ruſſorum Imperatrix; Loquitur deinceps (pag. 341 343.) de conſtitutione in Comitiis Varſavienſibus facta, ne regia Poloniae dignitas extero traderetur; porro (p. 344.) de exercitu Caroli VI. qui circa fines Poloniae convocabatur; porro de exercitu Ruſſorum in Livonia; denique de bello (pag. 344-354.) eam ob cauſam a rege Galliarum illiusque ſociis Carolo VI. illato, verba facit. Inde duplicem electionem (pag. 355-360.) deſcribit. Cauſas deinceps, quibus commoti reges Galliarum, Hiſpaniarum, et Sardiniae, Carolum VI. bello aggresſi ſunt (p. 361-374.) propoſuit. Inde eventus bellicos in Italia, in Germania, et in Polonia, (p. 275-392.) delineavit, quos repetere a propoſito alienum eſſe videtur. Denique pacem Viennenſem (pag. 393-414). nonnullis obſervationibus illuſtravit. Digna inprimis ea lectu ſunt, quae de dignitate regia Poloniae, ad domum Saxonicam iterum translata (p 402 403.), memoriae prodidit; inepte autem dixiſſe videtur: *Terris Saxonicis hanc ſpecioſam dignitatem regiam pernicioſam magis, quam ſalutarem fuiſſe.* Nonnulla etiam legimus de illuſtrisſimo Comite de Brühl, de quibus iudicandi arbitrium lectoribus relinquimus. Stanislaum, ſapientiſſimum principem, ut digniſſimum corona regia, A. magnopere laudavit (pag. 405-408.) In univerſum vero exiſtimat, (pag. 414.) memoriam nummi illius celeberrimi, a Traiano Imperatore cuſi: REGNA ASSIGNATA, ad pacem Viennenſem omnium optime transferri poſſe. Haec ſunt argu-

Sss menta

menta doctisſimi libri, cuius partem ſecundam lectoribus proxime indicabimus. Adeo vero graviter, libere, imo et prudenter conſcriptus eſt, adeo varietate rerum multarum, frugifera hiſtoriarum cognitione, ſapientisſimis denique prudentiae civilis praeceptis abundat, ut plane nulla indigere commendatione videatur.

METHODUS INVENIENDI CURVAS, MAXImum vel Minimum efficientes, univerſaliter, et ex analyticis principiis demonſtrata, a IOHANNE NICOLAO TETENS, Phyſic. Prof. in Acad. Fridericiana Büzzovienſi.

Quemadmodum methodus inveniendi *Maxima* et *Minima* in genere, ita praecipue pars illa, quae lineas, quibus ineſt proprietas quaedam Maximi Minimive, definiendas docet, eſt ex praeſtantiſſimis Analyſeos noſtrae inventis. Nec Matheſeos finibus vellem uſum eius concludi, quem inſignem certe haberet quoque in Philoſophia, et in perplexis, quae de mundo optimo, qui ſane Maximum quid eſt, agitantur, quaeſtionibus. Ad minimum enim, maior ineſſe poſſet exactitudo et evidentia Philoſophorum ratiociniis, ſi perſpecto genio methodi univerſalis de Maximis et Minimis, generaliora ſeparare, et ad Philoſophiam transferre vellent. Ne dicam de invenienda theoria Maximorum et Minimorum univerſaliſſima, ad *intenſa* quoque applicata, cui noſtra analytica methodus anſam dat et materiam. Sed haec alio loco dicenda ſunt.

Methodum inveniendi curvas, *Maximum* vel *Minimum* efficientes, ſaeculo ſuperiori a fratribus BERNOULLIIS primo excultam, EULERUS V. Celeb. uti alias Matheſeos partes, ad ſummum fere perduxit perfectionis faſtigium, in libro,

bro, cui titulus; *Methodus inveniendi lineas curvas Maximi Minimive proprietate praeditas,* ſive *ſolutio problematis iſoperimetrici, in ſenſu latiſſimo ſumti;* qui confundendus non eſt cum *ſolutione problematis iſoper. in ſenſu latiſſimo ſumti,* quam ante iam *Tom. V. Comm. Petrop.* Vir ſummus inſeruerat. Duo tamen adhuc deſiderari queunt. Formulae enim, quas calculo longiori et difficiliori invenit EULERUS, aequationem continentes, ex qua deinceps curva eruenda eſt, exemplis tantum et inductione confirmavit, generali autem demonſtratione, qualem in Analyſi, perfectisſima quam habemus ſcientia, hodie merito quaerunt, illae nondum munitae ſunt. Deinde quoque hic Vir clarisſimus ex geometria lineari argumenta ſua ita duxit, ut methodus de Maximis et Minimis ad curvas has applicata longe diſtare videatur a vulgari, cuius tamen eſt aut ſpecies magis determinata, aut iisdem cum hac principiis univerſalibus innititur.

Quum enim principia univerſalisſima, quibus ſuperſtructae ſunt regulae Analyſeos, quibus Maxima et Minima in genere definiuntur, inquirerem, incidi in alias Methodos, ut et in demonſtrationem formularum Eulerianarum. De illis quidem, num magis commodae et breviores ſint Euleriana, inveſtigare alio tempore decrevi; hanc vero cum harum rerum amatoribus nunc communicare, eorumque iudicio ſubmittere, non incongruum eſſe duxi.

PROP. I. *Sit functio quaedam propoſita, quae Maxima eſſe debeat, aut Minima, W, et ſumto differentiali eius, hoc oportet poni* $= o$, *quo W ſit Maximum aut Minimum.*

Conſtat hoc ex methodo vulgari. Obſervandum autem, 1) ope illius non inveniri niſi Maxima et Minima *relativa*, id eſt quae ſint Maxima vel Minima reſpectu aliarum quantitatum, in quas abiret functio, ſi variabiles augeantur aut diminuantur quantitate *infinite parva.* Regula autem, quae differentiale poni iubet $= o$, univerſalisſima eſt, locum quoque habitura, ſi loco differentiarum infiniteſimarum ſumerentur finitae quaecunque. His autem ſumtis, detegeretur

Digitized by Google

quidem Maximum vel Minimum *abſolutum*; attamen ſimul differentiatio ordinaria et conſueta ratione non poſſet inſtitui.

OBSERV. 2) Si W eſt Maximum aut Minimum, differentiale ut ſit $= o$ neceſſe eſt. Quanquam haec propoſitio inverti, atque ex eo, quod differentiale ſit $= o$, ſatis tuto colligi nequit, ipſam quantitatem eſſe Maximum quid vel Minimum: addendae ſunt aliae inveſtigationes, iuxta regulas ab Analyſtis expoſitas.

DEFINITIO I. *Si propoſita eſt functio W, quae eſſe debeat Maxima et Minima quae eſſe poſſet, ſi ſola haec functio conſideretur. Differentiale eius ordinarium eſt ſimul differentiale, quod ponendum $= o$. At ſi W Maxima aut Minima eſſe debeat non abſolute ſpectata, quod fieri interdum nequit, ſed reſpectu aliarum functionum Q R S etc. tum videndum, quanam ratione variabiles quae inſunt in W mutentur, ſi W abeat in R aut S, ſive, in genere, in unam ex reliquis. Atque poſterius hoc differentiale ponendum $= o$, quod hoc loco dicemus differentiale Maximi et Minimi.*

OBSERV. *Differentiale Maximi et Minimi* in genere eodem modo ex quantitatibus variabilibus invenitur, ſingulis ſeorſim conſideratis, ac differentiale ordinarium. At poteſt fieri, ut ſigna huius differentialis diverſa ſint a ſignis differentialis ordinarii; vel ut pars quaedam in alterutro omnino excedat, ubi quantitas quaedam alias variabilis hoc reſpectu invariabilis eſt et conſtans. Differentiale ordinarium indicemus ſigno $d\,W$, at differentiale Maximi vel Minimi ſigno $\Delta\,W$.

DEFINITIO 2. Si *W* eſt Maximum aut Minimum, inter *W*, *P*, *Q*, *R*; et dividantur quantitates illae in aequalem numerum partium, in diverſis illis functionibus certa quadam ratione ſibi reſpondentibus: functio *W* eſt Maximum vel Minimum *ſimilare*, ſi quaelibet eius pars reſpondens partibus reliquarum functionum hiſce ſemper aut maior aut minor eſt; *diſſimilare* contra, ſi non ſingulae in

in W partes, partibus ſingulis in P, Q, R, ſint continuo maiores aut minores, quamquam integrum W Maximum ſit aut Minimum.

PROPOSITIO 2. *Si W Maximum aut Minimum inter W, P, Q, R, dividatur in partes aequales quotcunque* n, *aut quae in eadem ſint ratione ad ſe invicem in ſingulis his quantitatibus,* n W *erit etiam Maximum aut Minimum inter* n W, n P, n Q, n R *etc. Hoc ſua ſponte elucet.*

PROPOSITIO III *Si partes quantitatum W, P, Q, R etc. ſumantur quidem ſimili ratione poſitae, et numero aequales; non omnes vero aequalis magnitudinis, aut in eadem ratione mutua conſtante: W Maximum et Minimum eſſe poteſt DISSIMILARE.*

Sint enim partes ipſius W; a, b, c, d, et quantitatis P partes ſint α, β, γ, δ, ſimili modo poſitae, at inter ſe non aequales, neque in eadem mutua ratione, pars a poteſt minor eſſe parte α, et b minor parte β; at $(a+b+c+d)$ maior tamen $(\alpha+\beta+\gamma+\delta)$ ſimul ſumtis; poteſt enim magis ſuperare $(c+d,)$ partes $(\gamma+\delta,)$ quam $(\alpha+\beta)$ ſuperat $(a+b.)$ et ſic porro.

PROPOSITIO IV. *Si W eſt Maximum vel Minimum ſimilare reſpectu quantitatum P, Q, R; erit etiam* d W, *ſive differentiale eius ordinarium Maximum aut Minimum.* Conf. Prop. II.

COROLL. Hinc ſi affectio quaedam Maximi et Minimi eſt in quacunque parte lineae curvae, differentiale functionis, qua Maximum et Minimum exprimitur, erit ibidem Maximum aut Minimum; et inverſe. At in genere dici nequit, affectionem Maximi vel Minimi, quae eſt in tota quadam linea, ineſſe etiam in ſingulis eius elementis.

PROPOSITIO V. *Si inter W, P, Q, R, S, etc. W eſt Maximum aut Minimum diſſimilare, et in eo quidem tantum caſu, ubi ſumitur variabilis quaedam, quae illi ineſt, determinatam habere magnitudinem: ſive ubi determinatus tantum ſumitur numerus partium ſimili quadam ratione poſitarum, non vero*

 Maxi-

Maximum aut Minimum eſt ſi ſumantur pauciores, oportet quoque d W eſſe Maximum aut Minimum.

Sint partes functionis *W*; *a, b, c, d ... z*, et partes alterius quantitatis *P*; *α, β, γ, δ ... x*: iam quia *W* non eſt Maximum neque Minimum, niſi ſumantur partes praeciſe ad *x*: ponatur ultimam partem *z* in *w* eſſe minorem parte ultima in *P*, *x*; ot haec pars ſane non efficiet ut *W* maior fiat *P*: ergo iam antea fuiſſe *W* maiorem *P* neceſſe eſt; quod cum contra hypotheſin, *x* maior eſſe debet parte *z*.

Idem valet ſi poneretur $x = z$. Ergo partem *z* oportet eſſe maiorem *x*, ſi *W* ſumtis partibus usque ad *z*, et non antea, maior eſſe debeat quam *P*.

Eodem modo evincitur, partem ultimam in *W* oportere eſſe Minimam, ſi *W* in eo demum loco, et non in praecedenti quodam, ſit Minimum. Hinc, quia incrementa quantitatum variabilium, ſive differentialia ordinaria, conſiderari posſint tanquam partes infiniteſimae quantitatum finitarum, intelligitur, ultimum *d W*, poſitis conditionibus, evadere debere Maximum aut Minimum.

COROLL. I. Partes curvae, quae Maximi Minimive proprietate praedita eſt, cum partibus aliarum curvarum, ad eandem abſciſſam ſumtarum, ſimili quadam ratione poſitae ſint. Si igitur ad determinatam tantum abſciſſam, non vero in praecedenti loco, quantitas quaedam in curva eſt Maxima vel Minima, differentiale huius functionis *W*, *d W* in eo loco quoque Maximum vel Minimum eſſe oportet.

COROLL. 2. Functio propoſita *W*, comparata cum aliis, *P*, *Q*, *R*, partibus omnium ſimiliter poſitis, evadere poteſt hoc loco Maxima, alio vero Minima inter reliquas; et quaeri poſſunt curvae, in quibus partes functionis *W*, ad datam abſciſſam ſint Maximae, ad aliam autem Minimae: et quaeſitis punctis abſciſſae, in quibus *d W* eſt Maximum vel Minimum, habebimus loca ubi integra quantitas *W* queat eſſe Maxima vel Minima, licet non ſemper vere ſit.

OBSERV.

Digitized by Google

OBSERV. 1. Applicemus iam haec generalia ad problemata magis ſpecialia, quo pertinent illa, quibus curva proponitur invenienda, ad quam, vel pro quacunque abſciſſa, vel pro determinata quadam, data functio eſt aut Maxima aut Minima, quae eſſe poſſit in lineis aliis ad eandem abſciſſam relatis, aut omnibus, aut iis quae communi quadam proprietate praeditae ſunt. Eſſe hos caſus ſpeciales, et poſſe methodum Maximorum et Minimorum ad alia adhuc extendi, e. gr. ad inveniendam legem progreſſionis ſeriei, cuius pars quaedam intercepta inter duos terminos aequaliter a primo diſtantes, ſummam exhibeat Maximam aut Minimam, reſpectu aliarum ſerierum; communes quasdam cum illa proprietates habentium, inter aequales et aeque diſtantes duos terminos interceptarum: et ad infinita alia.

OBSERV. 2. Propoſitionem quintam cum corollariis theoriae perficiendae gratia tantum adiecimus; infra autem Propoſ. VIII. ubi functiones pro curvis propoſitae Maximae aut Minimae *diſſimilares* ſint, aliam adhibebimus regulam. Sed redeamus ad curvas, quibus ineſt proprietas quaedam Maximi aut Minimi, et praemittamus duo Lemmata ſequentia.

LEMMA 1. Sit $A d^{m}_{y} = B d^{m+1}_{y}$ et evaneſcente d^{m}_{y} evaneſcat quoque B; tunc ſi $d^{n}_{y} = o$ erit $A = dB$.

Si enim $A d^{m}_{y} = B d^{m+1}_{y}$, erit $A d^{m+1}_{y} + dA d^{m}_{y} = B d^{m+2}_{y} + dB\, d^{m+1}_{y}$ et quia evaneſcente d^{m}_{y} evaneſcit B. erit $A d^{m+1}_{y} = dB d^{m+1}_{y}$ et $A = dB$.

LEMMA 2. Sit W functio continens quantitates ad curvam AKD (Fig.) pertinentes x, dx, y, dy, d^2y, d^3y, ubi dx ponitur conſtans; et haec curva abeat in aliam, vel Tab. III.

in

in *Aid*, vel *ALD*, per eadem puncta *A* et *D* tranſeuntem et priori infinite proximam; quaeraturque differentiale functionis *W* pro hac mutatione, et dicantur Δy, $\Delta^2 y$, $\Delta^3 y$ et differentialia quantitatum y, dy, $d^2 y$ etc. dico haec differentialia alternis vicibus ſumi debere poſitiva et negativa, ita ut poſito Δy eſſe incrementum quoddam, fore $\Delta^2 y$ decrementum, et iterum $\Delta^3 y$ incrementum, et ſic in genere, poſito Δ^n_y incremento, ſive ſumto poſitive, fore Δ^{n+1}_y decrementum ſumendum negative.

Fig. I. Etenim primo neque x, *AG*, *AC* nequ dx, *GC* mutantur. At y, ſive *Gk*, abit in *Gi* aut in *GL*. Sit autem antecedens ordinata y et ſequens proxime in curva y^{1} *DC*; et eſt $y^{1} - y = dy$. Increſcente iam y parte quadam *P*, id eſt poſito loco y, $y + \Delta y$ cum y^{1} manet eadem, decreſcet dy, et differentiale huius $\Delta^2 y$ erit decrementum, et ſignum habebit oppoſitum cum Δy. Praeterea autem eſt $d^{1}_y - dy = d^2 y$, hinc decreſcente dy increſcet ddy, et differentiale illius $\Delta . ddy$ habebit iterum ſignum poſitivi. Atque in genere cum $d^{1n}_y - d^n_y = d^{n+1}_y$ neceſſe eſt deminuto d^n_y, quo Δd^n_y accipit ſignum (—), creſcat d^{n+1}_y et Δd^{n+1}_y accipiat ſignum (+). Alternabunt igitur ſigna Δy, Δdy, $\Delta d^2 y$, $\Delta d^3 y$ etc.

PROPOSITIO IV. *Sit functio propoſita S. D W maxima aut minima, continens quantitates x, dx, y, dy, $d^2 y$, $d^3 y$ etc. ſitque Maximum aut Minimum hoc* SIMILARE,

et

et quaeratur curva, ad quam S. d W Maxima aut Minima pertineat; differentiale Maximi et Minimi aequationis propoſitae, quod ponendum $=$ *o. habebit formam* $A \Delta x \pm B \Delta y \mp C \Delta dy \pm D. \Delta d^2_y \mp E \Delta d^3_y$ *etc. ſi differentiale ordinarium functionis eſt* $Adx + Bdy + Cd^2_y + Dd^3_y$ *etc. quod ponendum* $=$ *o.*

Quoniam enim *S. d W* eſt Maximum et Minimum ſimilare, *d W* quoque erit eiusdem indolis. Hinc $\Delta\, d\, W = o$. At quia differentiale eius ordinarium reducitur ad aequationem $Adx + Bdy + Cd^2_y$ etc. et praeterea differentiale Maximi aut Minimi, quod oritur ſi curva permutetur cum alia ad eandem abſciſſam relata, eodem modo ex quantitatibus integralibus formatur ac ordinarium, ea ſolum differentia, quae in praecedenti Lemmate expoſita eſt, apparet differentiale Maximi et Minimi fore $A \Delta x \pm B \Delta y \mp C \Delta d^2_y \pm D \Delta d^3_y$ etc. quo poſito $= o$. habetur aequatio, ex qua curva quaeſita eruenda eſt.

COROLL. 1. Differentietur itaque *dW*, conſueta ratione, et reducto hoc differentiale ad formam $Adx + Bdy + Cd^2_y$ etc. ſumenda eſt aequatio $Adx + Bdy - Cd^2_y + Dd^3_y - E\, d^4_y = o$.

COROLL. 2. Poteſt vero quantitas *x* in univerſo habere pro conſtante, quoniam communis eſt omnibus curvis, quarum illa, in qua functio propoſita eſt Maximum aut Minimum, quaeritur. Et praeterea quantitatum abſolutae magnitudines non deſiderantur, ſed tantum relatio inter *x* et *y* et reliquas. Hinc pro differentiali Maximi et Minimi ſumendum $Bdy - Cd^2_y + Dd^3_y$ etc. $= o$.

PROPOSITIO VII. *In differentiali Maximi et Minimi, ſive in aequatione* $B dy - C d_y^2 + D d_y^3 - E d_y^4 = o$. *quantitates* B, C, D, E, *etc. ſic a ſe invicem pendent, ut* $B - dC + ddD - d^3 E = O$.

Conſtat ex regulis methodi Maximorum et Minimorum vulgaris, in quacunque functione plurium variabilium, ad inveniendam harum variabilium rationem mutuam, in caſu quo functio exhibet Max. aut Min. ſingulas variabiles unam poſt alteram eſſe conſiderandas, reliquis pro conſtantibus ſumtis: oriuntur inde tot aequationes, quot adſunt variabiles, quibusque ſingulis relatio unius ad reliquas in caſu Max. aut Min. determinatur. Hinc aequatio noſtra propoſita conſiderari poterit inſtar functionis plurium variabilium, quae ſunt y, dy, Ddy etc. et primo poni y ſolam eſſe variabilem et reliquas conſtantes; deinde eſſe dy variabilem, et reliquas conſtantes, et ſic porro. Atque eadem ratio, qua una harum quantitatum determinatur per reliquas, poſita illa ſola variabili, hiſce vero omnibus conſtantibus ſumtis, manebit quoque, ſi vel poſteriores ſumamus variabiles. Sit itaque

1) Aequatio $B \Delta y - C \Delta dy = o$ et $B \Delta y = C \Delta dy$. Iam vero poſita ſola y variabili, dy vero conſtante; erit $\Delta dy = o$, et hinc $B = o$: deinde ſumta ſola dy variabili et y conſtante, erit $\Delta y = o$ et $C = o$. Quare poſito $\Delta y = o$ erit etiam $C = o$, et evaneſcente Δdy evaneſcit quoque B. Eſt autem per lemma *primum* $B = dc$; ideoque ob $B \Delta y = C \Delta dy$ $= (B dy = C d_y^2)$; $dCdy = C d_y^2$, et $C = \frac{D\,C.\,dy}{d_y^2}$, et

$$B dy - C d_y^2 = o = B dy - \frac{dC.\,dy.}{d_y^2}\, d_y^2 = (B - dC)$$

$dy = o = B - dC$, quod immediate ex $B = dC$ ſequitur.

2) Si

Digitized by Google

2) Si aequatio eſt $Bdy - Cd^2_y + Dd^3_y = o$, ponatur primo d_2 eſſe conſtans, et $d^3_y = o$: et erit $Bdy - Cd^2_y = o$, et $B = dC$, $Bdy = Cd^2_y$, $C = \frac{dC.dy}{d^2y}$. Tum ſumatur y eſſe conſtans ſive $\Delta y = o$, dy et d^2_y autem variabiles, et erit Δy ſive $dy = o$ et $Cd^2_y = Dd^3_y$, in qua aequatione iterum evaneſcente d^2_y evaneſcit D, et ſi $d^3_y = o$, etiam $C = o$: ideoque $C = dD$, et $D = \frac{Cd^2_y}{d^3y} = \frac{dCdy.\ d^2_y}{d^2y\ \ d^3y} = \frac{dC.dy}{d^3y} = \frac{ddD.dy}{d^3y}$. Hinc $Bdy - Cd^2y + Dd^3_y = o$ $= Bdy - Dc\,dy + \frac{ddD.\ dy.\ d^3_y}{d^3_y} = (B - dC + d^2 D)$ $dy = o$: Eſſe autem hanc legem univerſalem, et eſſe $B - dC + d^2 D - d^3 E + d^n S = o$, ſi fuerit $Bdy - Cd^2y + Dd^3_y - Ed^4_y + Sd^n_y = o$, probatur ſequenti ratione. Si enim valet de ſerie $Bdy - Cd^2_y + Dd^3_y - + Sd^n_y$, obtinet etiam in ſerie $Bdy - Cd^2_y + Dd^3_y - + Sd^n_y - Td^{n+1}_y$.

Oportet enim in hac ſerie poſteriori poni, $Sd^n_y = Td^{n+1}_y$, cum in univerſum ſingulae variabiles et ſingulae duae pro ſolis variabilibus habendae ſint, reliquis ſumtis conſtantibus. Ideoque per lemma primum $S = dT$ et $T = \frac{Sd^n_y}{dn+^1_y}$. Conceditur autem eſſe $Sd^n_y = d^{n-1} Sdy$,

 ideo-

Digitized by Google

ideoque etiam $S = \frac{d^{n-1} S. dy}{d^n y}$. Fit igitur $T = \frac{d^{n-1} S. dy}{d^{n+1} y}$

At ob $S = dT$, eſt $d^{n-1} S = d^n T$, et hinc $T = \frac{d^n T dy}{d^{n+1} y}$

et $T d^{n+1}_y = d^n T dy$. Subſtituto igitur in ſerie propoſita $d^n T dy$ in locum $T d^{n+1}_y$, habebimus $B dy - d C dy + d^2 D dy - d^3 E dy + - + d^{n-1} S. dy - d^n T dy = 0 = B - dC + d^2 D - d^3 E + - + d^{n-1} S - d^n T$.

OBSEVAT. I. Hanc formulam facillime ad Eulerianam poſſe reduci, ponendo loco $dy = p dx$, et $d^2_y = dp dx = q dx^2$, etc. ſtatim apparet.

OBSERVAT. 2. Si functio propoſita pro curva invenienda eſt $S. z dx$ et z functio quaedam quantitatum x, y, et inde pendentium dy', dy^2, d^3_y, algebraica ſive determinata, nullasque praeterea contineat formulas integrales indeterminatas, dicitur ab *Eulero* functio *determinata*. Huiusmodi Maximum aut Minimum *ſimilare* eſt, et ſingula lineae elementa eadem gaudebunt proprietate, qua integra linea. E. g. ſi proponitur $S. dx \left(1 + \frac{dy^2}{dx^2}\right)$, aut $S. dx^n_y \left(1 + \frac{dy^2}{dx^2}\right)$. Pendet enim quantitas haec z a ſolā magnitudine variabilium x, y, quam habent in ſingulis locis curvae, nec intereſt, quamnam ante in praecedentibus locis habuerint. Hinc $S. z dx$ Maximum aut Minimum eſſe debet, ſive ſumatur abſciſſa x, ſive ſumatur $x + dx$, ſive dx, id eſt in ſingulis curvae elementis.

Quod-

Digitized by Google

Quodſi vero in formula Maximi aut Minimi occurrunt integralia indeterminata, quo in caſu functio *indeterminata* EULERO audit. E. gr. ſi $S.\, z\,dx = S\overline{y\,x\,dx.\; S\,y\,dx}$, valor illius nondum definitus exhiberi poteſt, quamquam definiatur $x.\; y.\; dx$, ſed pendet etiam a ſumma $Sy\,dx$, ideoque a valoribus variabilium y et x antecedentibus. Hoc in caſu Maximum et Minimum poteſt eſſe *diſſimilare*, quia partes illius a ſe invicem pendent, ideoque ut ſingulae quoque partes ſint Maximae aut Minimae, ſi integra quantitas has habeat proprietates, neceſſe non eſt. Et quamquam revera hoc locum interdum habeat, tuto tamen numquam id ſumere licet.

PROPOSITIO VIII. *Si proponatur* $S\,z\,d\,x$, *et contineat haec functio Maximum aut Minimum diſſimilare, ſumaturque differentiale Maximi aut Minimi ipſius differentialis* $z\,dx$; *differentiale illud ſumi debet* $= o$.

Sit $Sz\,dx = S.\,L\,dx.\; Sr\,dx$, et erit in alia quadam curva, a quaeſita quam minimum diverſa $S.\,\overline{L\,dx\; Sr\,dx} + S\overline{\Delta L\,dx\; Sr\,dx} + S.\,\overline{L\,dx\; S.\,\Delta r\,dx}$. Nunc vero per generalem methodum $S\overline{\Delta L\,dx\; Sr\,dx} + S\overline{L\,dx\; S\Delta r\,dx} = o$, hinc etiam $\Delta\, L\,dx\, Sr\,dx + L\,dx\, S\Delta r\,dx = o$.

PROPOSITIO IX. *Hinc variis modis aequationes differentiales, quae differentiam Maximi et Minimi contineant, et ex quibus ſumtis* $= o$, *aequatio pro curva eruatur, invenire licet. Brevitatis cauſſa oſtendamus ſolum, quo modo perveniatur ad Eulerianam.*

Ponatur $Sr\,dx = \pi$, et ſit $d\pi = z\,dx$ et dz iterum $= A\,dy + B\,d^2_y. + C\,d^3_y$ etc. et eſſe oportet $\Delta L\,dx^{\pi} = L\,dx. \int \Delta d\pi$. Quantitates enim $L\,dx$ et π ita ſe oportet

 habe-

habere, ut creſcente altera, altera decreſcat, ideoque oppoſita habere ſigna. Niſi enim hoc eſſet, ſufficeret alterutram ſolam adſumere, et curvam, in qua haec eſſet vel maxima vel minima, inveſtigare; hac enim inventa, haberetur ſimul curva, in qua utraque in ſe invicem ducta eſſet eiusdem indolis.

At ſimul ſinguli termini huius aequationis $\Delta. Ldx. \pi = Ldx. \int \Delta d\pi$, $(= Ldx \Delta \pi$. def. I. obſ. 1.) debent eſſe $= o$. Ponatur enim vel Ldx conſtans, vel π conſtans, et in utroque caſu uterque terminus evaneſcit. Quoniam vero

$\Delta L\, dx. \pi = L\, dx. \Delta \pi$, ponantur primo π et $d\pi$ conſtantes, et fiat integratio; erit $\Delta \pi \int Ldx = \pi \int \Delta Ldx = \pi. Ldx$. Deinde iterum ponatur eſſe Ldx et $\int. Ldx$ conſtantes quantitates, et differentietur, atque habebimus

$$\Delta d\pi \int. L\, dx = d\pi. Ldx = o.$$

Iam vero Integrale $\int L dx$, ſumta determinata abſciſſa a, evadat $= H$, et erit in genere $\int Ldx = H - \int Ldx$. Quodſi itaque $d\pi$ eſt $= z\,dx$, et dz iterum $= Adx + Bdy + Cd_y^2$ etc. ſolito modo ſi differentietur, $= d^2\pi$; differentiale $d\Delta\pi$, ſive differentiale ſecundum ita ſumtum, uti debet, ſi eſt differentiale Maximi vel Minimi, erit $\pm B\Delta y \mp C\Delta\, dy \pm D\Delta d_y^2$ etc. et per propoſ. ſextam $\Delta^2 \pi \int. Ldx = B\,(H - \int Ldx)\, dy - C\,(H - \int. Ldx)\, d_y^2 + D\,(H - \int Ldx)\, d_y^3 - +$ etc. $= o$: ex qua aequatione eruitur per prop. VII. $o = (B\,(H - \int. Ldx) - d.(C\,(H - \int. Ldx)) + d^2\,(D\,(H - \int. Ldx))$ etc. cuius formulae univerſalitas ſimili plane ratione demonſtratur, ac factum id fuerat in Prop. VII. Formulas has convenire cum *Eulerianis* apparet, ſi ubique loco $\frac{dy}{dx}$ ponatur p etc. more ſolito.

OBSERV.

Digitized by Google

OBSERV. Alias quoque aequationes poſſe inveniri ex generali illa $\Delta L dx. \pi = L dx. \Delta \pi$, et forſan magis commodas ea, quam expoſuimus, facile intelligitur: cui vero negotio in praeſenti ſuperſedemus. Hoc ſolum addendum, lineam, quam ex aequatione differentiali poſita $= o$ invenimus, tuto nondum ſumi poſſe pro illa, in qua propoſita functio Maximum eſt aut Minimum. Reſtat enim ut inquiratur quoque differentiale Maximi et Minimi ſecundi gradus, quemadmodum in methodo vulgari praeſcribitur.

MISCHNAH, ODER DER TEXT DES TALMUDS, etc.

h. e.

MISCHNA, SEU TEXTUS TALMUDIS, id eſt, Collectio placitorum quae a Senioribus Iudaeorum profecta ſunt, et Traditionum ore propagatarum, quibus hodierna Iudaiſmi conformatio Phariſaica continetur. PARS SEXTA. טהרות, *de Purificationibus, ſecundum diverſa impuritatum genera. Ex Hebraico Germanice vertit, periphraſin adiecit, et obſervationibus illuſtravit, IOHANNES IACOBUS RABE, Diaconus Eccleſiae urbis Onoldinae.*

Onoldi, 1763. apud I. C. Poſchium: 2 Alph. 6. pl. quaternis.

Cum primum publicandi laboris eius, quem in vertenda et illuſtranda Miſchna poſuerat, ſpem iniiceret Ven. *Rabius*, longe plurimi, etiam ii ipſi, qui vehementer, uti par eſt, faverent utiliſſimae pariter ac difficillimae operae, metue-

metuebant tamen, ne propter graviſſimum frigus, quo haec ſtudia urgentur hoc tempore, audacior eſſet conatus illius, quam felicior, neque ſatis ſuſtentaretur ab iis, qui quidem emendo legendoque opera huiusmodi excitare poſſent librarios, ut in libris edendis, non tam quae vulgatiſſimi ſaporis ſint, ſpectarent, quam quae certam et perpetuam utilitatem haberent adiunctam. Iam, cum appareat, felicem fuiſſe viri egregii audaciam: merito hunc exitum non modo ipſi gratulamur, cuius etiam admiramur patientiam et diligentiam, cum rariore coniunctam doctrina; ſed Germaniae quoque et Eccleſiae Evangelicae, quae utraque hunc fructum conſequetur laboris recte collocati, ut intelligant poſteri, ea ipſa aetate, qua negligi viſa ſunt non vanis indiciis literaturae Iudaicae ſtudia, fuiſſe tamen inter nos, non modo qui illa colerent, ſed etiam qui colentes laudando uterdoque adiuvarent.

Sextam, hoc eſt poſtremam Partem (סדר) Miſchnae, quae eſt de Purificationibus, (טהרות) complectitur hoc Volumen: quo ipſo indicato facile colligent Lectores, quinam Codices (מסכתות) eo exhibeantur. Eſt ſane haec Pars, multo quam priores, maioribus difficultatibus impedita: quo factum eſt, ut propter periphraſium et obſervationum multitudinem, quam deſiderare videbatur, ceteris etiam Voluminis magnitudine praeſtet. Quod ſimul ad commendandam doctiſſ. *Rabii* curam, (erat enim profecto in hac Parte quod ageret,) pertinet.

Nihil attinet Codices XII. huius Partis recenſere: de nonnullis tantum quaedam adferemus. Primum locum occupat Codex כלים, longiſſimus omnium, qui de *vaſis* et *ſupellectilibus* tradit, quae *immunditiem* contrahere poſſunt, docetque, quomodo ab ea liberanda ſint. Hunc Codicem vertenti maxime obſtat, quod Iudaeorum veterum tot deſignentur in eo veſtitus et ſupellictilis genera, quorum neque formam

formam habemus cognitam, neque uſum; adeo ut ipſi Iudaeorum interpretes coniecturis ſaepius, quum eo ventum eſt, nitantur, et opinionibus inter ſe pugnent. Accedit, quod omnis haec Pars, ſi a Codice נדה diſcedas, Gemara caret. Itaque ſaepius Viro Clariſſ. hebraica vocabula retinenda fuerunt, et in annotationibus modo indicandum, quae ſit de iis Rabbinorum ſententia. Nec adfuit ipſi, cum eum Codicem verteret, *Theodori Daſſovii*, peritiſſimi literarum Iudaicarum viri, in eundem libellus. Sed ſatisfecit tamen iis, qui ipſo duce cognoſcere ſummam opinionum Iudaicarum, de hac parte legis Moſaicae ritualis exſequendae, cupiant. Tropicis phraſibus, et technicis, ut adpellant, vocibus, rarius uſus eſt; ſed dum utitur, explicationes continuo addit. Ut cum v. c. *patres impuritatum* ponit, docet in ſubiecta annotatione, hoc nomen tribui iis rebus, quae impurum reddant eum, a quo attingantur. Ingens ſane eſt, et ſtupenda Iudaeorum ſollicitudo, ad minima quaeque translata, ſi Codicis huius praecepta de impuritate cavenda ſpectes; ſed eo tamen nomine non indigna quae laudetur, quod ſummam gentis illius erga leges divinas, quamvis antiquatas dudum, comprobat. Derivatur enim omnis hic Codex, quod obſervat Rev. *Rabius*, e locis Levit. XI, 32. ſq. Numer. IX, 14. ſq. et c. XXXI, 20.

Hunc excipit Codex אהלות, quod *Oheloth*, non *Oholoth*, ut vulgo fit, legi volunt interpretes Iudaeorum. Atque hic *immunditiem*, quae in *tentoria* cadit, perſequitur. Unum inde et alterum exemplum proferemus. *Tentorium ſuper mortuo* ſtructum dicitur Iudaeis, cum hominum aliquis, aut ſupellex aliqua, recto filo imminet mortuo, et umbram ſuam in eum proiicit. *Mortuus* autem *tentorium efficere* tum ipſis videtur, cum immunditieſ ex mortuo, homini aut ſupellectili imminet. — Sanciunt etiam Miſchnici in hoc Codice, (Cap. II. p. 109.) vel *tellurem ipſam, quam gentes habitent*, immunditiem adferre Iudaeis, ſi particula ex hac humo

Digitized by Google

in terram Iſraeliticam transportetur: ea de cauſa, quod gentes ubivis locorum mortuos ſuos tellure recondant. Quodſi autem quis in ipſam gentium terram veniat, nec eam attrectet, ſed equo vehatur, tamen ipſo aere hauriendo ſtatim impurum reddi.

Codex tertius נגעים ex maxime memorandis eſt, qui hac Parte continentur. Agit enim curioſe ſatis de lepra, morbo illo ſingulari, de cuius natura et ſpeciebus adhuc diſceptatur inter *Aeſculapii* filios. Sed legentibus illum fere uſurpanda eſt poetae vox: *Feciſtis prope*, *incertior ſum quam ante*. Quod ipſe Ven. *Rabius* fatetur. Non tam enim methodice de eo morbo diſſerunt Miſchnici, (et qui ſatis potuiſſent?) quam minutias cumulant, quae ipſa farragine ſua incondita tenebras offundunt narrationi. Ceterum hunc Codicem iam *Wagenſeilius* noſter, multiplici ille doctrina celeberrimus, in libro, quem de Iudaico-Germanica loquendi ſcribendique ratione Iudaeorum recentiorum edidit, germanice verſum propoſuit.

In promtu eſſent quae ex reliquis Codicibus huius Partis, vel ſpecimina interpretationum et explicationum Viri Cl. vel exempla decretorum Iudaicorum ſingularium, adferri poſſent. Sed neutro genere opus eſſe videtur hoc loco. Illas quidem ſatis et nos, cum de prioribus Partibus diceremus, laudavimus, et iure laudatas eſſe publicus legentium aſſenſus demonſtravit. De his autem multo minus dicendum fuerit, cum iam non hoc ſit nobis conſilium, quae in Miſchna tradantur exponendi, ſed quam bene et utiliter transfuſa ea ſint a *Rabio* in linguam patriam. Igitur finem dicendi faceremus, niſi novus et ampliſſimus Viri perquam laborioſi conatus admoneret nos, ut ad eius memoriam pauliſper commoremur. Cum merita eius in *textum* Talmudis exoptatos doctorum hominum plauſus ſortita ſint, iam in eo eſt, ut iisdem *commentarium* quoque in Talmudem,

h. e.

h. e. *Gemaram*, eodem fere modo verſam a ſe et illuſtratam, proponat, nihil actum a ſe exiſtimans, dum aliquid agendum reſtat. Nos quidem hoc illius conſilium plurimis, ut decet, votis proſequimur, laetaturi impenſe, ubi paullo maiorem magisque voluminoſum laborem, non iniquius habitum intellexeremus; quam hunc, qui iam perfectus eſt, minorem. Quodſi forte V. Doctisſimo, propter molem operis, ea felicitas non contigerit, ut integrum edere per *Soſios* liceat, utpote quorum nares non ex honore rei bene geſtae, ſed qui ex lucro oritur, odorem anhelant unice; hortamur eum atque rogamus, ut ſpecimina tamen illius, ex iis, quae utiliora iudicat, ne deneget harum literarum ſtudioſis; vel, ſi neque hoc placeat, quam pollicitus eſt, uberiorem Miſchnicorum doctorum hiſtoriam, in lucem proferat.

IO. CHRISTOPH. GOTTSCHEDII, LOG. et Metaphyſ. Prof. Publ. Ordin. rel. pro rationis ſufficientis principio, adverſus FASSONII V. Cl. obiectiones, diſſertatio altera.

Suſceperam ante quinquennium, et quod excurrit, *defenſionem Principii Rationis ſufficientis*, *) contra tela Adverſarii acutiſſimi et celeberrimi, *Liberati Faſſonii*, quae libello ſingulari, Senogalliae MDCCLIV. quarta forma edito, adverſus Leibnitium torſerat. Hanc ipſi transmiſſam, tantum abeſt ut in peiorem partem acceperit, ut potius data ad me epiſtola humaniſſima, continuationem Animadverſionum mearum ſibi expeteret, ſeque iisdem regeſturum propediem benevole promitteret. Defuit hactenus occaſio publicae ſcriptiunculae, qua telam tunc coeptam per-

*) Inſerta eſt haec diſſertatio his Eruditorum Actis, menſi Novembris Anni 1760. pag. 597. ſeqq.

Digitized by Google

texere potuerim. Praeſentem igitur lubens arripio, additurus quaedam, pro optima Leibnitii cauſa tuenda: doliturus autem, ſi Adverſario doctiſſimo duriuſcula viſa fuerint, quae pro defendenda veritate in medium allaturus ſum.

Pergit Clar. *Faſſonius* pag. 33. Libelli ſupra memorati ſequentem in modum:

47. PROPOSIT. II. *Si hominum tentemus et experiamur naturam, conſtat, voluntatem humanam ſuorum ſubinde actuum veluti rationem ſufficientem haberi poſſe.*

Dubitanter admodum Celeberrimus Vir Propoſitionem hanc II. in medium adfert; nec ſine formidine oppoſiti probare eandem adgreditur. Quid enim, quaeſo, tentando et experiundo hominum naturam, conſtare aſſerit? Hoc inquam: Voluntatem humanam, Nb. *ſubinde* ſuorum actuum, Nb. *veluti* rationem ſufficientem haberi poſſe. Videte quaeſo, Lectores optimi, quanta ſit in pectore ad meliora nato vis veritatis! Minime audet Vir doctiſſimus categorice affirmare, vel proferre ſententiam ſuam, experientiae licet, ut putat, ſuperſtructam. Haud univerſim ſemperque hoc obſervari, ſed *ſubinde* tantum deprehendi, dubitanter quaſi adſerit: nec abſolute voluntatem humanam actuum ſuorum rationem ſufficientem eſſe, ſed tantum pro ea, Nb. *veluti haberi poſſe*, pronuntiat. Nonne latibula, hoc moderamine, hac in aſſerendo modeſtia affectata et ſingulari, quaerit? Nonne precario quaſi, id quod probandum ipſi erat, a Lectoribus ſuis petere videtur? Non ita profecto, Leibnitius Principium ſuum Rationis ſufficientis propoſuit.

Verum ponamus tantiſper, fingendo quaſi, id, quod Clar. Auctor poſtulat: *Subinde* ſcilicet, *voluntatem humanam* ſolam ſibique relictam, *ſufficientem eſſe actuum ſuorum rationem*, ſive productricem plenariam, nulla alia re, vel cogitatione praevia determinatam: cur quaeſo eadem, ut

utplurimum ab intellectus iudicio, a ſenſibus etiam ſaepiſſime, immo ab imaginatione nonnunquam, in actibus ſuis pendere deprehenditur? Sine errore enim illud, in univerſum de omni actu volitionis aſſeri non poſſe, Celeb. Faſſonium ipſum confitentem habemus: eo, quod ſubinde tantum, id eſt rariuſcule, et paucis in caſibus, id evenire fatetur. Quid quaeſo praeſidii in actibus hisce rarioribus ſuis, ſine ratione determinante patratis, pro libertate humana tuenda inveniet Philoſophus, metuens, ne ſorte determinationes iſtae, tantopere exoſae, neceſſitatem volitioni inducant, ſicque libertati plenariae officiant? Nonne praeſtitiſſet, generoſo pectore omne motivorum Voluntatis iugum excutere, omnimodamque eius, ab intellectu, ſenſibus, et phantaſiis independentiam aſſerere, plenariamque tandem ipſi libertatem vindicare? Vix enim aliam ob cauſam tantopere contra Principium rationis ſufficientis pugnatur a multis, niſi ut eo penitus profligato, ſua Voluntati humanae libertas conſtet. Quid igitur? pro intemerata hac libertate, quae, quicquid agat ſine motivis determinantibus agit, quid quaeſo triumphi canent defenſores eius iurati, ubi voluntas millies a rationibus determinata ſufficientibus, *ſubinde* tantum, i. e. bis vel ter, ſine omni ratione movente aliquid elegerit, egeritve? Liberne an ſervus potius dicendus erit, qui totos dies remis alligatus, metuque plagarum ad eos movendos adactus, per quadrantem horae fortaſſis quotidie pro lubitu agere queat? Belle profecto libertatis cauſam agunt ſtrenui hi Promachi eius! Verum enim vero,

Non defenſoribus iſtis
Indiget haec acies!

Ita pergit Autor p. eadem 23.

„Exemplis rurſus, nec quidem ſine cauſſa, adverſus Leibnitianos confligimus. Leibnitius enim, qui in alia erat ſententia, dogmatis ſui, quamvis ſaepe laceſſitus a *Clarkio*, demonſtrationem nullam expreſſit, ſoliusque experientiae

rationem haberi voluit, quam in omni caſu et eventu doctrinae abs ſe propoſitae favere contendebat. Ita, animadvertente *Chriſtiano Wolfio*, ſe geſſit *Euclides*, qui hoc inter axiomata retulit, *Totum eſſe maius ſua parte;* non alia ſane de cauſſa, niſi quod veritas exemplis facile innoteſcat, a propoſitionibusque ſingularibus generalis evidentiſſime colligatur. Ita quoque ſe geſſit *Newtonus*, quum inſtar axiomatis ſumſit: Omne corpus perſeverare in ſtatu ſuo quieſcendi, vel movendi ſe, uniformiter in directum, niſi quatenus a viribus impreſſis de ſtatu illo deiicitur. (Philoſ. Nat. Princ. Leg. Mot.) Ita denique alii ſaepenumero ſe gerunt Philoſophi, qui propoſitiones nonnullas axiomatum loco habent, quod exempla rem teſtatam faciant, et demonſtrent. Leibnitium ſuum hic ſequitur Wolfius, negans exemplo ullo ſententiam ſuam falſitatis convinci poſſe. (Ontol. 878. ſeq.) Quum igitur adverſarii ſe experientia fulciant, experientia ſi fieri poteſt refellendi ſunt; et exempla in medium producenda, unde pateat, *voluntatem ſubinde operari*, etſi nulla potior ſuppetat ratio, cur ita citius, quam aliusmodi operetur.„

R. Audimus hic Philoſophum, Methodi a ſe adhibitae cauſam agentem, antequam caſum ab experientia petitum in medium proferat. Gratis autem hoc facit, ubi Wolfius iam ea omnia docuerat in Ontologiae P. I. Sect. I. Cap. II. §. 73. quo evincit, Principium rationis ſufficientis ab exemplis, ſive ſingularibus, tanquam univerſale abſtrahi poſſe. Omnia etiam, quae de *Euclide* et *Newtono* allata legimus, indicaverat Wolfius, §. 75. p. 55. verum Leibnitium ex experientia ſola hoc axioma probaſſe, non aſſerit: licet Theod. P. I. §. 44. ad eandem provocaverit. A Carteſio quippe facem ipſi iam praelatam fuiſſe monuerat §. 71. l. c. qui ſcripſerat: *Nulla res exiſtit, de qua non poſſit quaeri, quaenam ſit ratio, cur exiſtat?* Aliud autem quum ſit, a ſingularibus abſtrahere propoſitiones univerſales, aliud probare: non decebat poſterius tribuere Leibnitio: licet idem a ne-

gantibus principium ſuum poſtularerit, ut exemplum in contrarium afferrent. Additur tamen monitum: etſi exempla dentur, ubi ratio ſufficiens latet, nullum tamen dari, ubi non pateat quod aliqua adeſſe debeat. Huic convenienter, Wolfius etiam l. c. expreſſe ſcribit p. 55. „Contra„rium adeo probaturus, afferre debet exempla, quibus, „quod ratio ſufficiens nulla adſit, demonſtrari poteſt." Et alio loco (§. 72.) faſſus erat: „ſibi, veritatis amore flagran„ti, numquam incidere licuiſſe in exempla, ut ut ſtudioſe „conquiſita, vel ab aliis, tamquam principio rationis ſuffi„cientis contraria propoſita, ubi rationem ſufficientem de„tegere extempore minime potuerit."

Ad hoc itaque momentum quum redacta ſit omnis controverſia, nimirum invenire caſum minime dubium, ubi ſine omni ratione ſufficiente, vel movente, vel determinante, voluntas aliquid vel appetat, vel eligat, vel operetur; en! rem a nemine adhuc tentatam, vel infeliciter ſaltem ſuſceptam, praeſtiturus exſurgit Clariſſ. Faſſonius noſter. Verum non ex trivio petit caſum hunc, ſed ingenioſe confictum ſuppeditat; faſſus, niſi omnia me fallunt, eo ipſo, non adeo facile eſſe reperire exemplum, quod Principio huic opponi poſſit; poſſe ſcilicet quemquam ſine rationibus quibuscumque determinantibus agere quidquam. Cur enim quaeſo ad confictum eiusmodi caſum provocare opus fuiſſet, ſi vulgaribus exemplis conſtare poſſet, quemquam ſine rationibus moventibus, ſeu determinantibus, velle poſſe quidquam? Verum audiamus Auctorem noſtrum p. 34.

„Coniiciantur in arcam duo quaecunque horologia, ita ſui ſimilia et fabrefacta, ut alterius ab altero differentia, iudicio ſaltem, teſtimonioque ſenſuum, deprehendi non poſſit. Non habes cur repugnes. Horum deinde Horologiorum uni adſcripta intelligatur littera E, alteri littera O. Poſtremo, accerſito puero, optio illi detur, ut eligat ex illis alter-

alterutrum. Cedo quaeſo, quae potior ratio ſit, ut hoc magis, quam alterum praeferri horologium debeat? Non ſolum enim Horologia, reſpectu ad ſenſus habito, finguntur ſibi ſimilia; verum etiam, ſi quae diſſimilitudo aut varietas intereſt, haec puerum praeterit, cognitis tantum litteris E, et O, quibus ea munera inter ſe differunt extrinſecus. An igitur puer, cui optio data eſt, muneris cupidus, ſuſpenſus ſemper et incertus pendebit, quemadmodum, iuxta Leibnitianam ſententiam, uſu venire oporteret? Non erit, hercule! tam deſipiens, ut neutrum velit eligere, ſed pro ea, qua valet, libertate animi, alterutrum praeferet, ne faciat utriusque iacturam. Quare, ſi humanam periclitemur naturam, conſtat, Voluntatem ſuorum ſubinde actuum rationem ſufficientem haberi poſſe.„ .

R. Ad hoc exemplum, quid regeri poſſit, quemlibet intelligentem facile viſurum confido. Etenim

I. Non ad experientiam, verum ad fictionem quandam affabre conflatam provocat Cel. Adverſarius noſter. Horologiis enim ſimillime, quantum fieri poteſt, constructis, opus ipſi eſt, non adeo facile obviis. Litteris ſignanda arcaeque includend ea ſunt. Advocandus eſt puer, etc. Quae omnia miram ſollicitudinem in caſu quodam confingendo demonſtrant, quo poſito, voluntas humana actum edat, cuius ratio ſufficiens ipſa ſola, ſine motivis, cenſeri poſſit. Nonne tantus apparatus ſuſpicionem movere poteſt ſatis iuſtam, non adeo bene cum experientia convenire doctrinam Auctoris, de omnimoda volitionum independentia.

II. Sunt tamen et alia multa, quae in hoc caſu ficto deſiderari poſſunt. Et ſecundo quidem loco, vix apparet, cur horologiis opus ſit, ſimillime fabrefactis. Si oculis apertis optio peragenda ſit puero eligenti, fateor, meo iudicio, ſimilitudinem obiectorum ipſi propoſitorum utique neceſſa-

riam

riam fore. Verum, cur horologia potius, quam monetas quasdam, vel poma, vel ficus, vel fructus alios quoscunque ſupponamus, ipſique obiiciamus valde ſimiles? minime apparet. Haberi autem poſſunt tales, faciliori multo negotio ſumtuque, quam horologia; minueturque ita difficultas experientiae, multis modis. Sed viderit ea de re Auctor intelligentiſſimus.

III. Cur horologia ſua adeo ſimilia ſupponat idem, ut internoſci nequeant, non magis apparet. Repeto quidem et fateor, ſi contrectando manibus, conſiderando attente, et deliberando, electio haec inſtituenda eſſet, neceſſariam fore hanc ſuppoſitam in horologiis ſimilitudinem et aequalitatem. Verum fruſtranea prorſus erit, ubi arcae includuntur eadem, nec oculis nec manibus examinanda. Cur enim quaeſo, ſimilitudine ulla hic opus eſt, nullum in optionem ipſam influxum habitura? Fruſtranea non neceſſe eſt confingere, ubi vel diverſiſſima horologia, eundem habere uſum potuiſſent; immo, ubi pyrum inter et murem puero electio inſtituenda dari potuiſſet; penitus neſcienti quid arcae incluſum, litterisque ſignatum fuerit.

IV. Non melius conſtat, cur puerum in ſcenam produxerit Auctor acutiſſimus. Adultus enim quilibet nonne idem praeſtiturus fuiſſet? Neſcire enim, quid arcae incluſum, litterisque ſignatum fuerit, viro quadragenario, cupidoque habendi Horologium affabre factum, aeque accidere, magisque forte ipſum, quam puerum movere poterat, ad electionem faciendam. Verum linquamus iſta, quae ad praeſens negotium nihil prorſus facere videntur; niſi quod demonſtrent, quam ſollicite Auctor noſter, in exemplo confingendo verſatus fuerit, ita ut in ſuperflua etiam et parum neceſſaria eum coniecerint ſtudium partium, et victoriae cupido.

Digitized by Google

Ponamus ergo omnia ab Auctore confiſta tamquam realia, et videamus, quid facturus ſit puer iſte ſuppoſitus. Quod antequam faciamus, audiemus Auctorem, mentem ſuam ea de re uberius explanantem.

48. *Schol. I.* Neque enim puer, *Buridani*, ut in proverbio eſt, imitabitur Aſinum, qui inter ſegetes fame enectus miſerabiliter periit. Hic potius ad extenuandam argumenti vim, ſi ad *Wolfianam* de motivis doctrinam §. 31. confugias, nihil ut opinor proficies. Principio enim, quum ambo horologia confuſe ſolum a puero cognoſcantur, (nam in arca eſſe poſita finximus,) neutrum certe attentionem eius primo ad ſe trahet, aut citius concitabit. Secundo neutrum ex illis familiarius dici poteſt, ad eligendumque commodius, ſive puerilis corporis, ſive litterarum, quibus illa notata ſunt, habeas rationem. Nam puer moveri loco non debet, ſed tantum littera *E* et *O* indigitare Horologium, quod ſibi muneri elegerit. Quaeſo autem, quae maior homini familiaritas eſſe poteſt, quamobrem ad unam potius, quam aliam pronuntiandam litteram moveatur? Nulla ſane, ſi quid video. Quemadmodum etiam in Algebra nulla nos familiaritas, vel conſuetudo, videtur adducere, ut ad indicandam quantitatem incognitam, *y* potius, quam *z* ſcribamus. Quid ergo? an cum *Georgio Daries* comminiſceris, latere illam quidem, ſuam eſſe tamen electionis eius rationem. (Comment. de hoc princ. Schol. 2. ad § 122. num. 5.) Sed iam ſatis ſuperquè reſponſionem hanc occupavi."

R. Videamus iam, quid puer praeſuppoſitus facturus ſit. Nolo enim aſino Buridani confiſto ſimilem eum ſupponere; ad quem ſatis ſolide dudum regeſſit Leibnitius. Quemadmodum enim fieri non poteſt, ut in eiusmodi aſino, inter duo prata conſtituto, utrimque omnia, quae influxum quendam in eum habere poſſent, adeo ſimilia et aequalia eſſe poſſint, ut neutrorſum iſte inclinari poſſit; ſic etiam, nec

nec in puero hoc eligente, ſi plano quodam infinito, per centrum eius perpendiculariter ducto, univerſum hoc biſecatum fuiſſet, utrinque omnia paria futura ſupponi poſſunt. Erunt itaque cauſae rationesque determinantes, ſuffecturae puero, quibusve mota mechanice lingua eius, (ſin moraliter fieri id nequeat,) litteram E vel O pronuntiabit. Verum non opus eſt hoc ultimo quaſi aſylo noſtro. Nonne fieri poterit, ut puer paullo ingenioſior, per litteras has ſymbolicas quaſi, nec ſine ratione, uti coniiciet, Horologiis inſcriptas, aliquid indicari credat? Per *E v.* g. *elegans*, vel *egregium* ſignificari ſuſpicabitur, *O* vero *optimum* indicare, ſicque hoc ultimum eliget. Forte etiam nominis ſui litteram in alterutro inveniet, ubi forte vel *Erhardi*, vel *Erneſti*, vel *Onuphrii*, *Ortuinive* nomine gaudeat, ſicque id ſibi eliget, quod vel ſuam, vel Parentis ſui litteram initialem, vel alius cuiusvis, prae ſe ferat. Vides, Vir intelligentiſſime, vel unum et alterum, ex infinitis aliis, quod movere eligentem puerum poſſit, ubi maiora deſunt ad actum voluntatis determinandum. Vel minima enim ſufficiunt, ubi praegnantes rationes deſiderantur, ad aequilibrium animi tollendum; ſicut in lance ad aequilibrium redacta, vel pulviſculo alteri adiecto idem deſtrui ſolet. Nec opus quidem eſt, ut aequilibrium mentis hic erga litteras deſtruatur. Vbi enim rationes eligendi deſunt, electionique et libertati exercendae locus non erit, mechanicis determinationibus linguae negotium omne relinquet puer. Muſculis autem, nervisque linguae motoribus, ineſſe poſſunt cauſſae imperceptibiles, et occultae, quare E potius vel O hic et nunc pronuntiet: id quod vel aliud agentibus, immo dormientibus, accidere ſolet. Tantum igitur abeſt, ut hoc caſu, vel hac experientia, principii rationis ſufficientis univerſalitas deſtructa fuerit, ut potius integrum adhuc manſerit idem, atque illaeſum. Alias plura.

RACCOLTA DI DISSERTAZIONI INTORNO L'INSCRIZIONE DEL PANTEO SAGRO D'ARIMINO.

id eſt:

COLLECTIO DISSERTATIONUM DE Pantheo Sacro Ariminenſi.

Venetiis 1763. pag. 92. in 12mo.

Opuſculum hoc, ut ex Praefatione *Iani Planci*, Viri Cl. intelligimus, quatuor Diſſertationes continet ſuper epigrammate, ſeu Inſcriptione *de Pantheo Sacro*, quod epigramma in Muſeo eiusdem ſervatur, et quod XII. circiter abhinc annis, ab eodem epiſtolari Diſſertatione fuit illuſtratum, in Ephemeridibus Florentinis. Epigramma, quod eſt in faſcia marmoris Parii inciſum, ita legitur.

PANTHEVM SACRM
LVICRIVS CYPAERVS SEXVIR
ET SEXVIR AVGVSTALIS.

Plancus exponens hanc Inſcriptionem, dixit eam aliquid peculiaris habere, quod in ea cernatur Arimini *Pantheum Sacrum* fuiſſe a L. Vicrio poſitum, et dedicatum, cum de Pantheo Romano dubitari poſſit an Sacrum fuerit, ut revera non inepte dubitavit *P. Lazzarus*, Ieſuita Romanus, Diſſertatione edita, qua contendit, Agrippae Pantheum initio ſacrum non fuiſſe, ſed balneum; cui favet etiam *Dio Caſſius*, qui ſcribit, ut a Planco adnotatum legimus, Pantheum non ita dictum fuiſſe, quod ſimulacra Martis et Veneris acceperit, ſed ὅτι θολοειδὲς ὂν τῷ οὐρανῷ προσέοικε: (Quod

(*Quod forma convexa faſtigiatum, caeli ſimilitudinem oſtenderet*, ut Xylander vertit.) Et haec quidem opinio Romanenſibus quibusdam diſplicuit, quam tamen Plancus ex ſententia Dionis receperat, adeoque Lazzaro Ieſuitae ea in re non poterat adverſari. Commotus ea re quidam Anonymus, quem multi opinantur Rudolphinum Venutum Cortonenſem fuiſſe, quique dum haec ederentur Romae diem ſuum obiit, ſucceſſorem nactus Winckelmannum, civem noſtrum, virum doctiſſimum: hic igitur Anonymus Romanenſis, perſonam *Aeditui Panthei Romani* mentitus, Apologiam pro hoc Pantheo, adverſus *Ianum Plancum*, repertorem *Panthei Ariminenſis* concinnavit. Apologia haec, res potius ludicra eſt, quam ſeria diſceptatio. Nequiverat enim Aedituus ille rudis, cum *Iano Planco*, graece et latine docto, atque in omnimoda eruditione verſato, certare. Quid enim contendat hirundo cycnis? Quare ad ſcurrilia et res ludicras confugit, necquicquam ſapit, quoniam Plancus ne verbum quidem huic inepto diſceptatori reſpondit, praeſertim quum diſceptatio ficti Aeditui illius clam edita eſſet, ſine ſcilicet Auctoris nomine, et ſine nomine Loci, et Typographi, et res hoc modo editae ex Romanenſium iure vetitae ſunt, ut ſunt res impiae omnes, et obſcoenae; quae iura tamen, ſancta licet, violare primi Romanenſes ſolent. Quare defectu fortaſſe materiae integra relata fuit in Ephemerides quasdam Venetas, Valvaſenſes dictas, et paullo poſt eam iterum edidit in Ephemeridibus ſuis Marcus Palearinus Typographus, in rebus ſimilibus edendis noſtra aetate famoſus, et Romanus. Poſtea per XII. quidem annos ſiluerunt in pluteis erudita *Planci* de Pantheo ſuo Epiſtola, et ſcurrilis Aeditui Romanenſis Apologia. Circa finem vero anni 1761. Monachus quidam Senenſis, ex Theatinorum familia, qui Concionator fuit in feriis Adventus Dom. illius anni, in Eccleſia cathedrali Arimini orationem panegyricam praeter ordinem recitare voluit in laudem d. Gaudentii Epiſcopi, ut creditur, et Primarii Protectoris Arimini, in qua oratione pa-

negyrica, ut ſtipem maiorem ſibi compararet, laudes nonnullas admiſcuit Urbis Arimini, ſed plerumque multa cum *ἀκρισίᾳ*, ut vulgares concionatores ineruditi ſolent, et memorans praeclarum Auguſti Arcum, et egregium eiusdem Pontem, aliaque monumenta venerandae antiquitatis, quae Arimini ſunt, de *Pantheo* ſic italice locutus protulit, *e il Tuo preteſo Panteo;* quae verba ſuſurrum quendam inter eruditos excitavit, praeſertim cum corona frequentisſima eſſet auditorum, inter quos duo Cardinales, Valens nempe, Arimini Flamen, et Crivellius, Aemyliae Proconſul, ſeu Legatus, uti vocatur. Quare Plancus per ſchedulam a Stetdardio, ſic enim vocatur concionator ille, quid ſibi voluiſſet, quando verba illa, *e il Tuo preteſo Panteo,* pronuntiaret, quaeſivit. Stendardus ſtatim reſpondit, non directe quidem, ſed recriminatione quadam facta Planco; tunc enim ſe eſſe explicaturum, quid ſibi vellet *preteſo*, quando Plancus ſibi explicaſſet, quid ſibi vellet *ſuppoſitum* Martyrium d. Gaudentii. Cui Plancus quoque e veſtigio reſpondit, id ſe iam explicaſſe in ſua epiſtolari Diſſertatione *de Pantheo*, fretum auctoritate et rationibus Tillemontii, Hiſtorici Eccleſiaſtici graviſſimi, qui aſſerit nullam perſecutionem fuiſſe Arianorum in catholicos tempore Concilii Ariminenſis, quae, ut addidit Stendardio Plancus, ſi fuiſſet, eam non reticuiſſet Athanaſius, et Hilarius, qui multa paſſi ſunt propter Arianam Sectam, neque eam memorat d. Hieronymus, qui fere contemporaneus fuit, et qui de Concilio Ariminenſi emphatica illa verba protulit: *Tunc ingemuit orbis, quando totum ſe Arianum miratus eſt.* Sancti enim iſti Patres Arianis exprobraſſent mortem Gaudentii, Epiſcopi Ariminenſis, ſi eum poſt Concilium occidiſſent. Igitur Hiſtorici Eccleſiaſtici accuratiores, ut Fleurius, et nuper Urſus Cardinalis, altum ſilent de Gaudentii martyrio. Concionator non ſtetit promiſſis, ſed novas recriminationes in Plancum Planco ipſi congeſſit, quae neglexit iſte, et ut directe reſponderet rogavit. Quare ipſe tandem ſcripſit, ſe de Pantheo Sacro uti Templo Arimianenſi dubitare, quia fictus ille Aedituus dubitat

bitat Romanus, cuius frivolas rationes, et mendacia, ille adducebat. Quare Plancus defenſionem contra Aedituum illum parare, et contra concionatorem eius aſſeclam, qui vel ex cathedra ipſa verba illa proferre non dubitavit Edidit igitur Reſponſionem Anonymi cuiusdam, qui ſe Aedituum dicit *Panthei Ariminenſis*, ſcilicet parvae Eccleſiae Parochialis, in honorem divi Michaelis Archangeli dicatae, quae antiquiſſima eſt, et cum teſtudine faſtigiata, quam credidit Clementinus Hiſtoricus Ariminenſis eſſe Pantheum Ariminenſe. Aedituus iſte valde eloquens eſt, et eruditus, quare nervoſe et erudite Aeditui Romanenſis caſtigat inſcitiam et audaciam. Poſtremo Plancus, nova Diſſertatione, in calce libri, ſolide refutat ineptias, et frivolas paeneque ſcurriles rationes Aeditui Romanenſis, oſtenditque, Concionatorem male ex cathedra, et in ſuis ſchedis, pro Aedituo illo ſtetiſſe. Legi igitur merentur et Praefatio Planci in fronte opuſculorum poſita, et eius Apologia in fine; in cuius calce appendicis loco ſunt quaedam contra Rambaldum, Canonicum ex Azzonibus Avvogarum, qui quaedam contra explicationes Planci protulerat, non quidem contra Panthei veritatem, ſed quod Plancus, auctoritate Feſti et Heineccii fretus, dixerit L. Vicrium, ut Sexvirum ſimplicem, qui erat Magiſtratus ſaecularis, aedificaſſe *Pantheum*, et ut Sevirum Auguſtalem, qui erat Sacerdotium, *Pantheum* ipſum conſecraſſe. Contenderat Avvogarus, in Diſſertatione quadam ſua, edita inter opuſcula Calogeriana, Sevirum Auguſtalem, et Sevirum ſimplicem, idem omnino eſſe; quod ſi verum eſſet, ſplendidum Planci Epigramma *de Pantheo* putidam tautologiam contineret. Idem Avvogarus vitio verterat Planco, quod dixerit Ariminum quondam urbem fuiſſe Galliae Ciſalpinae. Avvogarus, auctoritate Sigonii, dicit Ariminum eſſe Urbem Italiae, ſed non adverterat, Sigonium loqui de nova Italiae diviſione, et non de antiqua. Antiquitus enim, non ſolum Ariminum, ſed Piſaurum, Fanum Fortunae, et Senogallia, in agro Gallico erant collocata. Hic enim usque ad Aeſium amnem erat por-

porrectus. Deinde hae urbes in Italicam Provinciam Praetoriam fuerunt redactae, cuius terminus erat Rubico, ut norunt omnes eruditi. Idem Plancus, quum addidiſſet in ſua Diſſertatione explicationem fragmenti Arae cuiusdam, Deo Aquileienſium Beleno dicatae, quod fragmentum nunc apud Plancum eſt, in quo hoc legitur:

BELEN. V. S

Beleno ſcilicet *Votum ſolvit*, dicitur Planco τῷ Beleno ſubintelligi Apollini, qui Apollo *Belenus* dictus ſit, quaſi Iaculator: Canonicus alter, Io. Dominicus Bartolus Aquileienſis, edidit in Opuſculis Epiſtolam ad *Roſium* quemdam, in qua dicit *audacem et ſuperfluam eſſe* explicationem *Apollinis* datam Beleno, cum tamen ipſe in libro ſuo tres Inſcriptiones afferat, in quibus diſtincte legitur APOLLINI. BELENO. Inſuper addit ille, Belenum non ſignificare poſſe *iaculatorem*. Sed hoc ab eo dictum eſt ex linguae Graecae inſcitia. Βέλος enim, ut omnes vel mediocriter in lingua graeca eruditi norunt, *ſagittam* ſignificat. Quare Apollo Belenus erit Apollo ſagittarius, ſeu iaculator, qui Homero perpetuo Ἑκηβόλος, longe ſcilicet ſagittas iaculans, dicitur.

Digitized by Google

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiae
Calendis Novembris Anno MDCCLXIII.

DELLE MONETE DI FERRARA TRATTAto di VINCENZO BELLINI.

In Ferrara, 1761. per Giuſeppe Rinaldi. Alph. 1. pl. 18. in 4. mai. cum figg. bene multis numorum Ferrarienſium.

Huius operis Auctor iam a. 1753. ſcripſerat librum *de Monetis Italiae medii aevi hactenus non evulgatis*, in quo multa numariae rei capita bene explicuit. Magna quoque laus debetur huic libro, in quo hiſtoriam numorum, qui ad Ferraram pertinent, egregie expoſitam eſſe intelleximus. Sunt enim in iis temporibus, quae deſtituta ſunt bonorum ſcriptorum luce, permulta difficilia et obſcura. Raro aetatis illius ſcriptores attingunt rem numariam, prodigiisque narrandis magis delectantur, quam rebus iis, unde fructus aliquis ad lectorem redundare poſſit. Hinc magna gratia habenda eſt viris doctis, qui ſe non deterreri patiantur iis difficultatibus, quibuscum non poteſt non conflictari, qui hanc partem doctrinae ſibi illuſtrandam ſumit. Huius vero libri auctorem etſi ſatisfeciſſe exſpectationi noſtrae fateamur, multaque illum egregie, et acute, et docte tradidiſſe addamus; vehementer nos tamen offenderunt imagines numorum, quorum non parvum numerum hic liber exhibet. Tam impe-

Digitized by Google

rite enim et temere illae efformatae ſunt, ut non ſine oculorum faſtidio illas adſpicere queamus; interdum etiam cum oris ſpecies obſcura eſt, tum litterae parum luculenter apparent. Quomodo vero ex illa terra, quae tot artificibus olim floruit, immo quae etiam nunc claros arte viros alit, eiusmodi opus prodire potuerit, cuius adſpectus cuique moleſtiam affert et faſtidium, nos vix intelligere fatemur.

Operis argumentum tale eſt, ut inde excerpi quidquam vix poſſit., Exhibentur enim numi qui ad Ferraram ſpectant, inde ab antiquiſſimis usque ad recentiora tempora. Monentur ea, quae ad illorum hiſtoriam pertinent, teſtimoniis bonorum auctorum eadem confirmantur: uno verbo, quaecunque hiſtoriam rei numariae Ferrarienſem conſtituunt expromuntur omnia diligenter.

Initium libri tangit monetas Ferrarae temporibus Friderici I. Imperatoris cuſas, eisque adiuncta eſt diſputatio de libra Ferrarienſi. Conſpicimus primo loco p. 8. numum antiquiſſimum, ab una parte litteris F. D. R. C. (Fridericus) atque verbo IMPERATOR, ab altera cruce et nomine FERRARIA. ſignatum. Non pauca hoc loco etiam monentur de Denariis Bononienſibus, quorum in una parte ENRICVS legitur, cum litteris I. P. R. T. (Imperator) in altera BONONIA. De libra Ferrarienſi quae auctor copioſe diſputat, eo minus a nobis repetenda ſunt, quo verboſius ipſe rem expoſuit in libro, qui Ferrariae a. 1754. prodiit hoc titulo inſignitus: *Dell'antica Lira Ferrareſe di Marcheſini, detta volgarmente Marcheſana.* In cap. II. agitur de Solidis et Groſſis Venetis. Caput III. complectitur numos a tempore Obizii III. Eſtenſis, primi Vicarii Ferrarienſis, usque ad Borſum ducem primum huius civitatis. Caput IV. habet numos Herculis I. et Alfonſi I. Sequuntur in C. V. numi Herculis II. et Alfonſi II. una cum numis Pontificum a Clemente VIII. usque ad Alexandrum VII. Numi Clementis X. Innocentii XI. et Clementis XI. exhibentur in Cap. VI. Ultimus numus, cuius interpretatio libro finem impo-

Digitized by Google

imponit, habet in prima parte imaginem Pontificis cum epigraphe: CLEMENS XI. P. MAX. AN. XVII. in altera parte apparet imago fluvii, ſub ſpecie viri recumbentis, cum verbis: DEFLVIT ET INFLVIT. 1717. atque litteris ERID. (Eridanus) — Multa in hoc libro hinc inde occurrere, quae ad hiſtoriam Italiae atque Ferrariae inprimis pertineant, quisque facili coniectura aſſequetur, qui numos hiſtoriae quaſi facem praeferre, atque multa illius capita egregie illuſtrare noverit. Praeterea etiam haec nobis via videtur, perfectum et magnum opus de re numaria totius alicuius populi occipiendi, ſi cuiusque provinciae numi peculiaribus libris illuſtrentur. Hinc enim ſenſim paulatimque coaleſcet corpus, quod omnia complectatur, quae rem monetariam ſpectant. Atque etiam negare non poſſumus, Italiam, multorum virorum doctorum opera, eos libros nactam eſſe, quibus hiſtoria numorum praeclare illuſtrata fuit.

CAROLI ANDREAE BELII, PHILOS. ET I. U. D. Poeſ. Prof. in Acad. Lipſ. Ser. Elect. Saxon. Conſil. Aul. Academiae Bibliothecarii, de cauſis repentinae Pacis Crepiacenſis, diſputatiuncula.

In rebus geſtis Caroli V. Imperatoris, ſapientiſſimi atque fortiſſimi Principis, Crepiacenſi Pace nihil magis inexſpectatum eſt. Adducto enim in belli ſocietatem Henrico VIII. Angliae Rege, iam Lutetiae imminebat Carolus, iam de Franciſco glorioſe triumphaturus videbatur, cum ecce pacem triumpho praefert, et, quod nemini forte in mentem venerat, honorifice cum Galliarum rege tranſigit. Viſa illi

— pax una triumphis
Innumeris potior.

 Iſtius

Digitized by Google

Iſtius tam repentinae pacis cauſas quotquot ſcrutati ſunt, adeo non repererunt quod certo conſtituerent, ut myſterium politicum, (quod repentina omnia graviora videntur,) omnem eam pacem dicerent. *a*) Nos iam faciemus periculum, ſi forte detegi tam ſubitae rerum converſionis verae cauſae poſſint. Sed cum, quae deinceps dicemus, ab iis rebus, quae aliquot ab ea pace annis geſtae inter Carolum atque Franciſcum ſunt, veluti continuata ſerie pendent, et ad conſiliorum atque eventuum, qui deinde ſecuti ſunt, intelligentiam, conſenſione quadam pertinere videntur: breviter eas, etſi repetitas altius, commemorabimus.

Pactis, interceſſore Paullo III. Pont. Max. *Nicenis induciis*, Imperator Carolus, et Franciſcus Galliarum rex, qui perpetuis ſe bellis exagitaverant, adducti tandem in concordiam poterant videri. *b*) Nam et Pontifici, Romam redeunti, fidem dederant, Legatos eo, paci componendae, mox venturos; et ipſe rediturus ad Hiſpanos ſuos, e Liguribus, Imperator Carolus, ſalutandi Franciſci regis cauſa, quem Niceae non viderat, ad *Aquas mortuas* claſſem appulit, ea

a) SLEIDANVS L. XV. extr. atque ad eius mentem STRVVIVS, Corpor. Hiſt. Germ. Tom. II. edit. recentiſſ. p. 1068. *Accidit ea pacificatio*, verba eius ſunt, *pleriſque omnibus praeter opinionem. Nam qui Caeſari familiares erant, certiſſimam ſibi promiſerant victoriam, priusquam in bellum iretur, et intra menſes aliquot ipſorum ditionis Galliam futuram, aut regem imperata facturum eſſe, iactabant, cui potentiſſimi tres hoſtes imminerent, Caeſar, Imperium, Britannus.*

b) Habes eam ſanctionem anni 1538. in Recueil des Traités de Paix, de Trève, de Neutralité —, par LEONARD, T. II. p. 407. et in Corps Diplomatique, par DVMONT T. IV. P. II. p. 169. ſq. Per eam, quod quisque bello occupaverat, id tenebat deinceps integro decennio.

Digitized by Google

ea comitate acceptus a Gallo, ut, in quo pectore vulnus ingens fuerat, in eo non ſupereſſe cicatrix videretur. *c*) Confirmabatur in animis hominum opinio haec, cum, anno proxime ſequente, Carolus, annuente Franciſco, *Gandavum* per mediam Galliam peteret. *Le but était, d' aller faire pendre vingt - quatre malheureux Citoyens*, ait VOLTARIVS *d*): lepide, fatemur, atque ad riſum, ſed praeter veritatem tamen. Bello civili occurrendum fuit, quod minabantur conſilia Gandavenſium, hoc potiſſimum manifeſta, quod Galliarum regi, ſubiecturos ſe illius poteſtati urbem ſuam, omneque Belgium, ſi vellet praeſidio eſſe, receperant. Haec cauſa itineris fuit, DANIELE et FERRERA teſtibus, *e*) non civium laquei.)

Yyy 3 Etſi

c) v. VLLOA Vita del Imperad. Carlo V. ad a. 1538. Hanc ad Aquas mortuas congreſſionem, Pacis nomine inſignivit CORN. SCRIB. GRAPHEVS, in Pacis, inter Car. V. et Franc. I. ad Aquas mortuas in agro Narbonis initae, deſcriptione metrica, Antw. 1540. 8. Sed damus hoc Poetae, ut iſtud induciarum nuper pactarum quoddam quaſi complementum pacem dicat. Etiam induciae pax ſunt. Immo iſtas inducias ipſe Carolus V. pacem nominat, in *Déclaration de l' Emp. Charles V. que le Traité, fait à Nice, ſera ténu et obſervé* pour une ferme et aſſurée paix: — de qua v. LEONARDVM l. c. pag. 417.

d) v. Eſſai ſur l' hiſt. univerſelle depuis Charlemagne, T. IV. p. m. 32. quem librum dicere potius debebat Hiſtoire ſcandaleuſe de l' Univers.

e) DANIEL, hiſt. Gall. T. VIII. verſ. germ. p. 494. FERRERAS, Hiſt. Hiſpan. P. XIII. Tom. IX. verſ. germ. p. 240. Prior ille, e BELCARII rerum Gallicar. commentariis, cur iter per Galliam Carolus praetulerit, pulchre expoſuit.

Etſi vero ex his, quae ſupra poſuimus, duraturam iſtam potentiſſimorum Principum concordiam longo tempore, facile credebatur, et merito, nam

Prona venit cupidis in ſua vota fides:

tamen longe aliter res cecidit. Iam Mediolani Ducatum, tot votis expetitum, promiſſum etiam a Carolo plus vice ſimplici, tamen negari ſibi, aegerrime tulerat, immo acceperat ad contumeliam Franciſcus. „Spem fecerat, (Carolus,) THVANI verba ſunt, *f*) Silvae, Vaurenſi Epiſcopo, qui Franciſci nomine apud eum Oratorem agebat, de Mediolano reſtituendo; ſed id petebat, ne in praeſentiarum de ea re ageretur, ne neceſſitate adactus potius, quam ſponte in id conſenſiſſe videretur: ceterum ſe, ubi primum in Belgium perveniſſet, Regi facturum ſatis. — Cum ille, dum in Gallia eſſet, Momorantio promiſſa verbis confirmaſſet, et Momorantius Caeſarem promiſſa repraeſentaturum Franciſco recepiſſet, ubi Valencianas venit, iam de rebus Gandenſium ſecurior, inſtantem Vaurenſem, ut fidem de reſtituendo Mediolano datam liberaret, excuſatione primum, ad extremum denegatione eluſit. Quod cum graviſſime, ut par erat, tuliſſet Franciſcus, — ad pacem intentum animum ad belli cogitationes iuſta indignatione transtulit." Inde igitur belli redintegrandi conſilia manarunt; maturata dein, interemtis, incertum quo auctore, ad Papiam A. 1541 *Fregoſo et Rincone*, regiis ad Venetos et Turcarum Solymanum Legatis. Etſi enim Imperator, inſcio ſe atque imprudente hanc Legatorum caedem eveniſſe, omni adſeveratione adfirmaret: tamen adduci Franciſcus non potuit ut crederet, ſine Vaſtii Marchionis inſidiis perpetratum hoc ſcelus fuiſſe. Quod deinceps Galli ſcriptores omnes, ut THVANVS, DANIEL, VOLTARIVS, RENALDVS, *g*) alii,

f) Hiſtoriar. ſui temporis T. I. p. 28. edit. Londin.

g) L'Abbé RAYNAL, in Anecdotes hiſtoriques, militaires,

alii, memoriae prodiderunt; contrarium tuentibus Hiſpanis, vitae Caroli ſcriptoribus, et FERRERA. Dum bellum parat Franciſcus, Caeſar Africanus, qui nuper Tunetum ſubegerat, iterum claſſem ad Africae littora, evertendae Barbarorum Argeriae, magno, ſed infelici conſilio, deducit. *h)* Invictum agmen, ſi per tempeſtatum acerbitatem licuiſſet, neque ſe crediſſet mari clauſo. Pars navium hauſtae. Aegre ſervatus Imperator Carolus, nam et de eius interitu fama exierat, Carthaginem rediit. Huic igitur, quod pene attritum ea calamitate credebat, allectis in belli ſocietatem ſeptentrionis regibus, aliisque in vicino Belgio principibus, bellum Franciſcus, ineunte menſe Maio A. 1542. denunciat. Atque hic Nicenarum induciarum finis fuit, acerbiſſimi belli initium, quo de Chriſtiano nomine, in Chriſtianiſſimi regis ſocietate, triumphaturus videbatur Turcarum Solimanus; nam et hic, claſſem pollicitus, foederi acceſſerat, *Antonio Eſcalino*, Centurione, quem vulgo *Polinum* nominant, internuncio, claro deinceps titulo *Baronis de la Garde*,

res, et politiques de l' Europe, depuis l'Elevation de Charles Quint au Trone de l'Empire, jusqu'au Traité d' Aix la Chapelle en 1748. T. I. P. I. p. m. 199.

h) V. NIC. VILLAGANONIS, Equitis Rhodii, expeditio Caroli V. in Africam, ad Argeriam; ad Belleum Langeum, Subalpinarum Gentium Proregem, Lutet. Par. 1542. 4. Ineſt commentariis rerum a Carolo V. in Africa bello geſtarum, edente CORN. SCEPPERO, Tomo item ſecundo ſcriptor. SCHARDII. Quae ſchedae, etſi non ſunt ab homine profectae, uſu atque exercitatione ad ſcribendam hiſtoriam facto: tamen habent prudentiae politicae multum, dictionem etiam a nemine reprehendendam. Scripſit Auctor de rebus, quibus ipſe interfuit. Igitur ridicula eſt FRENOI, de hoc libello, querela: *c'eſt un catalogue peu recherché.*

Digitized by Google

de, triremium Gallicarum imperatore *i*), mox Nicenis induciis, in Turcarum ſocietate, urbis eius excidio parentaturo. Comprimendis tot hoſtium conatibus, foedus cum Angliae Rege Henrico VIII. ſancit Carolus *k*); eſtque tum illuſtri exemplo intellectum, quid ſit privatas ſimultates poſt publicas res habere. Neque difficulter foedus iſtud coaluit. Opem Scotis Franciſcus rex, labefactandis Henrici conſiliis tulerat, quod neque DANIEL negare auſus eſt. *l*) Igitur et hic

i) V. LE LABOVREVR in Additions aux Mémoires de Caſtelnau, T. II. p. m. 5. Eius foederis SLEIDANVS meminit L. XIV. *Bellum*, ait, *rex facturus*, *Polinum remiſit ad Turcam oratum*, *ut in Galliam ſibi claſſem mitteret: cum autem ſerius aliquanto Polinus adveniſſet, Solimanus rem in annum ſequentem reiicit.* Conf. HEVTERVM rer. Auſtr. L. XI. c. 20. DANIELEM, hiſt. Gall. T. VIII. p. m. 519. ſq. et BARRIVM V. Cl. Germanicarum rerum diligentiſſimum ſcriptorem, Hiſtor. German. T. VI. verſ. germ. p. 498. RENALDVS, qui paullo ante, (l. c. pag. 183.) ſcripſerat: *il ne reſta à la France de ſon alliance avec les Infidèles que la honte, que l' opinion publique y attachoit:* nunc, cum inſtaurati iſtius foederis meminit, *La ſituation de l' Europe*, ait, *ne permettoit pas d' eſpérer de puiſſans ſécours, que des Turcs ou des Vénitiens.* Durum, ſcilicet, telum neceſſitas, quidvis iubet aut agere, aut pati. *La ſituation de l' Europe!*

k) Habes eius Foederis conditiones in Corps diplomatique par DVMONT, T. IV. P. II. p. 217. ſq. et in RYMERI Actis Publicis Anglicanis, T. VI. P. III. p. 86 ſeq. edit. Bat. ita inſcriptas: Articuli, in Tractatu undecimi Februarii 1542. concluſo, contra Franciſcum cum Turcha confoederatum, de Guerra indicenda, et Francia invadenda, ſub manu Regis conſignati.

l) Hiſt. Gall. l. c. pag. m. 513. 514.

Digitized by Google

hic conie&tura aberravit VOLTARIVS, cum ſcribit: *Le Roi d'Angleterre Henri VIII, par une fatalité inconcévable, s'alliait avec l'Empereur —: mais il ſemble, que c'était alors le caprice plus que l'intérêt qui liait Henri VIII. avec Charles quint.* *m*) Eo bello varia fortuna pugnatum eſt: ad extremum adverſa Franciſco. Poſt bello victum Ducem Cliviae, poſt pacem cum Dano rege Chriſtiano III. compoſitam, foederatorum praeſidio nudatus Gallorum rex, (nam et Cheredinus interea claſſem ad ſuos reduxerat,) hoſtis etiam a Germaniae Principibus declaratus, Henrico Bononiam, Monterelium Flandris, acriter oppugnantibus, Carolo interea, Lucemburgo recepto, expugnato Sandeſirio, per Campaniam, (de quo cum Anglo convenerat,) recta Lutetiam petente, non habebat propemodum quo ſe ingruenti tempeſtati ſubduceret. Ad quam calamitatem accedebat hoc, quod et claſſis Gallorum, ad littora Galiciae, cuius expilandae cauſa exierat, magnam paullo ante ab Hiſpanis cladem acceperat. In medio hoc victoriarum curſu, in maxima trepidatione Lutetiae, Caeſar, ad Crepiacum, in Sueſſionibus, (nam eo cum exercitu deflexerat,) pacem facit, et, quod incredibile memoratu eſt, honorificam Franciſco. *n*).

Huius

m) v. Eſſai ſur l'hiſt. univ. l. c. pag. m. 36. Poterat, imo debebat hic idem ſcribere, quod p. 8. ad a. 1520. ſcripſerat: *Il était naturel, que le Roi d'Angleterre prit le parti de l'Empereur, puisqu'en ſe liguant avec lui, il pouvait eſpérer de reprendre en France les provinces dont avaient joui ſes ancêtres; au lieu qu'en ſe liguant avec François I, il ne pouvait rien gagner en Allemagne, où il n'avait rien à prétendre.* Non erat adhuc mutata rerum facies.

n) Iam hoc THVANVS agnovit, l. c. pag. 29. eſtque e pacis tabulis clarum, quas vide in *Recueil* des Traités de Paix, par LEONARD, Tom. II. p. m. 430. ſeq. et in

Huius tam ſubitae rerum converſionis undenam ducendae cauſae ſint, vix certo poteſt conſtitui: hoc, ſi quae in Annalibus leguntur diligenter conferas, facile intelligitur, ſubeſſe mutatis tam repente Caroli conſiliis aliquid, quod eventurum ille non putarat; nam neque induciae pacem praeceſſerant, et quae, expugnato Sandeſirio, Franciſcus rex, ad Aggerem oppidum (*la Chauſſée*,) paci componendae propoſuerat, *o*) ea aſpernabatur Imperator, atque eludebat. Nos, primum Scriptorum ſuper ea re coniecturas proponemus, dicturi deinceps quid nobis videatur.

Quod, metu violentorum conſiliorum Caeſaris, ſuſtinendo bello coaluerat Foedus Smalcaldicum, dum Carolus Turcis Gallisque debellandis intentus eſſet, inſigniter creverat; foederati etiam Principes, Henricum iuniorem, Brunſuici Ducem, infenſiſſimum Lutherani nominis hoſtem, principatu avito depulerant, videbaturque omnis Germania, civili bello, quod eſt bellorum omnium atrociſſimum, mox arſura. Ut tumultui occurreret Imperator, haberetque Gallo ab armis diſcedente hoc certiorem de foederatis ſpem victoriae, aiunt, ſubito ad animum pacis conſilia admiſiſſe; eſſeque hanc inopinatae pacis Crepiacenſis veram cauſam. *p*) No-

in Corps diplomatique par DUMONT, Tom. IV. P. II. p. 279. ſeq.

o) *Convenere primum inter Vitriacum ac Catalaunum —, ac quaedam pacis fundamenta iecerunt, nec tamen quicquam certo pronunciarunt:* verba ſunt BELCARII l. c. pag. 761. 762.

p) Haec plerorumque recentiorum Scriptorum opinio eſt. Itaque et VOLTARIUS l. c. pag. 37. *Le Lutheraniſme fit alors le ſalut de la France, et la ſervit mieux que les Turcs, ſur qui le Roi avoit tant compté. Les Princes Luthériens d' Allemagne ſ' uniſſoient alors contre Char-*

Nobis aliter videtur. In Comitiis Ratisbonenſibus anni 1541. Imperator, turbis Germaniae ſedandis, Concilium propoſuerat, a Paullo III. convocandum in Germania; quod ſi ille detrectaret, Nationali Concilio, aut eius loco in Comitiis, diſſidiorum cauſam omnem deciſam iri. Ex quo iſtud haud difficulter intelligitur, nondum eo tempore Carolum de vi adhibenda cogitaſſe. Pax Crepiacenſis d. XVIII. Sept. a. 1544. coaluit: die XIX. Nov. e. a. Pontifex Max. Concilium Tridentinum indixit, quod an accepturi eſſent Proteſtantes nondum ſcire Carolus poterat: anno demum 1546. cum in Ratisbonenſibus Comitiis Concilium iſtud omnino renuerent, arma ab eo expedita legimus. Cum igitur in agro Pariſino eſſet Carolus anno 1544. cum quidquid Lutetiae eſſet fugam circumſpiceret, quidvis potius, atque inopinatum quiddam, quam belli in Proteſtantes conſilia, (nam et exercitum illico dimiſit,) a tam glorioſo victoriarum curſu Imperatorem tam repente revocaſſe credendum eſt. Quid enim opus erat ea feſtinatione ituro in Proteſtantes poſt biennium? cur accele-

Charles - quint, dont ils craignoient le Deſpotiſme; ils étoient en armes; Charles preſſant la France, et preſſé dans l' Empire, fit la paix à Crépy en Valois, pour aller combatre ſes Sujets en Allemagne. In his multa ſunt perperam dicta. Nam primum quod de Lutheraniſmo dicit, ſaluti Galliae fuiſſe, id mox confutabimus. Quod deinde ponit de Lutheranorum foedere, deque armis, id iam debuerat arcere Carolum a Tunetana atque Argerienſi expeditione, (nam utramque praeceſſerat;) quomodo nunc, cum eſſet ad portas Lutetiae, movere potuit, ut bellum, tanto apparatu coeptum, tam repente componeret? Neque Status Imperii Germanici, ut vocant, quemadmodum Voltarius extremo ſcribit, ſunt *ſujets de l' Empéreur.* Gallicismus hic eſt, Iuri publico Imperii adverſus.

Digitized by Google

randa pax, cum intra paucos dies, Galliae regia occupata, ſors Franciſci regis, quamvis duriſſima, videretur in manu atque poteſtate Caroli futura. *q*) Non haec eo dicimus, quaſi neſciamus, quo animo in Proteſtantes Imperator fuerit, aut quae debellandis iis, immutandaeque Imperii formae, conſilia ceperit. Iſtud volumus, inde non effici, quod vulgo putant; neque adeo quaerendas in hoc pacis tam feſtinatae cauſas eſſe. Sunt quidem, non diffitemur, in ipſis pacis tabulis, quae primo intuitu eſſe praeſidio illi opinioni videantur poſſe: ſed penſitatis diligentius clarum fit, eo pertinere verba illa, ut utriusque paciſcentium auctoritate et precibus moveretur tandem aliquando romanus Pontifex ad inſtituendum Concilium; qua via reſtitui Germaniae concordiam poſſe, longe ante Imperator, atque omnino ſibi perſuaſerat. Agnovit hoc BARRIVS V. Cl. *r*); immo agnoviſſe iam tunc temporis Paulus III. cenſendus eſt. Nam inter-

q) Male igitur PETRVS SVAVIS, in Hiſt. Conc. Trident. L. II. *La guerra trà l' Imperadore ed il Ré di Francia non durò longamente, perche Céſare conobbe chiaro, che reſtando egli in quella implicato, ed il Fratello in quella contra Turchi, la Germania ſi avanzava tanto nella libertà, che in breve il nome Imperiale non ſarebbe ſtato riconoſciuto.* Nebula in pariete! quis eſt Germaniae Principum, qui legitimum Caroli Imperium tunc temporis recuſarit?

r) *Et pource que cette dite paix*, (ita eſt in tabulis pacis.) *ſe fait et fonde pour le ſervice de Dieu notre ſouverain créateur, réduction de notre ſainte Foi et Réligion en union chretienne, et obvier à l' extrème danger et hazard, ou elle ſe trouve, et afin de parvenir à la générale pacification d' icelle; — pour procurer d' achéminer et conduire la dite réunion, ſelon et par tous les meilleurs moiens et expeditions, qu' ils aviſeront par enſemble convenir à ſi bonne et ſainte oeuvre.* — conf. BARRIVM l. c. pag. 528.

Digitized by Google

interiecto a pace Crepiacenſi quatuor hebdomadum intervallo, ne aut flecti precibus, aut cogi paciſcentium auctoritate videretur, Concilium ultro indixit.

Sed neque illorum verior opinio eſt, qui propterea tam ſubito Carolum putant ab armis diſceſſiſſe, quod, quocum veteres ſimultates gerebat, Henricum regem vellet deſtituere, etſi foederatum, atque perniciali dolo deludere. Profert haec talia RAPINVS THOYRAS, *s)* Scriptor caetera luculentus, et gravis, in eo tamen in Imperatorem iniurius, quod fraudem ei tribuit, a qua immunem res omnis, uti geſta eſt, loquitur. Ingenue BELCARIVS: *t)* *Sandeſirio*, ait, *profectus Caeſar, Vitriacum iter inſtituit, ubi Anglum, quin prius Bononia Montrelloque potiretur, haud ultra progreſſurum reſciit: hinc illi, ut pactis ſtaret, Lutetiamque properaret, per Antonium, Granvellani Cancellarii filium*, *denuntiavit: ſin in ſententia perſeveraret, nec inde abduceretur, ſaltem ut integra amicitia, foedereque inviolato, ſibi, ut cum Gallo paciſceretur, indulgeret: — quum indulſiſſet Anglus, de foedere ſerio agi coeptum.* Igitur et FERRERAS *u)* recte eius legationis meminit, qua cauſas mutati conſilii nuntiare Henrico Imperator inſtituerat, additis precibus, pateretur, ſalvo tamen foedere, agi de pace cum rege Franciſco. Reſpondiſſe Anglum ad haec, licere Imperatori, ſi ita videretur, cum Gallo tranſigere, modo ne foederati incommodo id fiat. Patet ex his, prudente atque ſciente Henrico, quod negat RAPINVS, Crepiacenſem pacem, neque adeo ullius fraudis interventu, coaluiſſe.

At idem iſte FERRERAS, dum fraudis ſuſpicionem a Carolo amolitur, aliam videtur in magnanimitate Principis iſtius pacis cauſam inveniſſe. Ait igitur, *x)* Imperatorem, cum eſſet apud Sueſſiones, veniſſentque ad eum qui nomine Franciſci regis pacem peterent, haud gravatim annuiſſe, propterea quod ſatis eo bello ſe gloriae conſecutum, Gallo

 ad

s) Hiſt. Anglicae Vol. IV. verſ. german. p. 488.
t) l. c. pag. 761. ſequ. *u)* Rerum Hiſpanicar. Vol. IX. verſ. germ. pag. 284. ſeq. *x)* ibid.

ad pacem expetendam adacto, exiſtimaret. Sed non ita exiſtimaſſe, ex eo potiſſimum intelligitur, quod, quas ad Aggerem oppidum (la Chauſſée) Franciſcus pacis conditiones propoſuerat, eas non multo ante, quam in agrum Sueſſionenſem exercitum duceret, confidentiſſime reſpuerat; nondum enim deciderat de ſpe capiendae Lutetiae, quam ſexennio ante, hoſpes, liberaliter acceptus, viderat. Ex quo effici cogique poteſt, moderatis Caroli conſiliis, non profecto animi magnitudinem, non vota Franciſci, ſed longe aliud quid, quod mox dicemus, anſam dediſſe. Scilicet, ad regiae Gallorum portas magnanimitatis documenta hoſtem eum daturum credemus, qui aegrotante in captivitate Franciſco, opportuniſſimo loco, atque in Pactis Madritenſibus non dederat. Hoc credemus, ſcilicet!

Quae igitur tandem cauſa ſubeſt, quamobrem tantam celeritatem in componenda iſta pace Carolus adhibuerit? Dicemus nunc. Iam iſtud in confeſſo eſt, cupidiſſimum militaris gloriae Carolum omni tempore fuiſſe. Haec eum ambitio difficillimis expeditionibus, haec bellis continuis diſtinuit. Secunda fortuna fere conſtanter uſus, ad extremum occupare nutantem ſolebat, ut ſe ſubduceret adverſae. Igitur repente nonnumquam mutaſſe conſiliorum rationes legimus, nulla alia de cauſa, quam ut parceret gloriae ſuae, eamque intenderet tum, cum quisque alius, tenax propoſiti, amiſſurus erat. Atque huc profecto, ſi quid videmus, et Crepiacenſis pacificatio pertinet; quam ex alio fonte fluxiſſe, diligenter penſitato rerum geſtarum ordine, induci ad credendum non poſſumus.

Lucemburgo recepto, Commercium ad Moſam Caeſar, mox et Liniacum, Barrenſis principatus oppidum, haud difficulter expugnaverat. Haeſit deinceps, propter Matronam, ad Sandeſirium, in ſeptimam hebdomada; neque urbem eam, niſi honeſtiſſimis conditionibus, multisque ſuorum amiſſis, in deditionem redegit. Eo ſpatio, accerſitis e Pedemontio, ex Helvetia item et Griſonibus, auxiliis, ita accreverat, Delphino

duce,

duce, Gallorum exercitus, ut quadraginta millia militum contineret, eſſetque Caeſariano par, copiarum numero et virtute. *y*) Id iam ad Sandeſirium Imperator compererat. Praeterquam enim quod continuis Gallorum e proximo aſſultibus urgeretur, videretque undique ſe commeatu interclusum ante, quam ea urbe, medio Auguſti, potiretur: poterat etiam ex eo proſpicere, ſi ipſe vellet cum exercitu progredi ulterius, tentandae Lutetiae, quid eſſent deinceps Galli pro patria, quid regiae tuendae, auſuri; et quam difficile eſſet futurum, ſi quid adverſi eveniſſet, per devaſtatam ab Henrico Delphino circum regionem omnem, frigore et imbribus ſaeviente autumno, referre caſtra, collocareque in tuto. Et re vera metuere haec mala Caeſarem coepiſſe, etſi ad Vitriacum agmen promovit, ex eo intelligitur, quod admiſiſſe iam tum ad animum pacis conſilia videbatur: nam et Henrico, Angliae regi, foederato ſuo, ſignificavit per Legatum, *z*) *exercitum ſuum Sandeſiriana oppugnatione attritum, multis Hiſpanis caeſis, multis item Germanis dilapſis, vix Gallico, Helveticis auxiliis aucto, parem eſſe; tantum abeſſe, ut de potiunda Lutetia ſperare debeat.* Actum ſubinde de compoſitione ad Aggerem, (la Chauſſée): ſed incaſſum. Fraudes feminae intervenerant; ita ut videretur eius beneficio, an maleficio, Carolus faventis fortunae obſequium experturus iterum. Qua enim frumenti inopia laboraverat, eam iſta reſarcivit, proditis Pernaci et Caſtri Theodorici granariis. Rem omnem BELCARII verbis narrabimus. Ita vero ille: *a*) *In Franciſci aula duae erant factiones; altera Henrici Delphini, altera Aureliani, natu minoris, partes ſequebatur. Huius princeps erat Anna Piſſeleva, Stempenſis reguli uxor*, (Madame d'Eſtam-

y) BELCARIVS l. c. DANIEL, l. c. pag. 540.

z) Verba ſunt BELCARII l. c. pag. 761. conf. Mémoires de LANGEI, L. X. DANIEL l. c. pag. 543.

a) l. c. pag. 762. conf. HEVTERVS L. XII. c. 4. SLEIDANVS L. XV. p. 439. DANIEL l. c. p. 544. ſeq. BARRIVS l. c.

Digitized by Google

ſtampes,) *Franciſco ab ineunte adoleſcentia in deliciis habita, quae zelotypia quadam adverſas Dianam Pictavienſem, Delphino, licet provecta admodum aetate, inprimis charam, ſeſe Aureliano addixerat; cuius vel cum Caeſaris filia, vel ex fratre nepte, matrimonium, et cum matrimonio Mediolanenſem principatum, aut Belgicarum provinciarum imperium dotale ſperans, omnia Franciſci conſilia Caeſari, quaſi Aureliani iam ſocero, ut mulieres nimis credulae eſſe ſolent, aperiebat: horum interprès erat Nicolaus Longavallus Boſſuus, acuto quidem, ſed maligno ingenio praeditus. Magna commeatus penuria laborabat Caeſarianus exercitus, quem undique Gallicus equitatus vel avertebat, vel corrumpebat. Hinc non longe a Catalauno, ſecundo Matrona, Caeſar incedens, ad extremas prope difficultates devenerat, niſi uberrimum Eſpernaii ad noſtrum exercitum alendum comportatum commeatum, et necdum pontem interſciſſum, Longavallius indicaſſet. — Iisdem artibus, et*

l. c. pag. 524. RENALDVS l. c. pag. 210. ſequ. poſteaquam narraſſet, Etampiam, quam deperibat Franciſcus, inviſam Delphino, id operam dediſſe, ut haberet mortuo rege certum ſuffugium; igitur Delphini fratris, Aureliae ducis, partibus ſtuduiſſe, clam Caeſarem de pace appellaſſe,, Aureliae ducem filiae vel nepti, Belgio vel Mediolano dotandae, maritum commendaſſe: haec poſteaquam narraſſet, ſubiungit: *On ne pouvoit guères ſe flatter d' arracher ce ſacrifice, lorsque le peril de l' armée Imperiale en fit hazarder la propoſition: elle fut acceptée, parceque on l' accompagna de la promeſſe, de rendre les Eſpagnols maitres des magaſins que les Francois avoient formé pour leur ſubſiſtance. L' intrigue fut en effet ſi bien conduite, qu' on ne ſoupçonna rien, et que l' Empereur ſe vit, ſans avoir couru de risque, en poſſeſſion d' Epernay et de Chateau Thierry, ou etoient toutes les munitions de guerre et de bouche.* FERRERAS de his feminae fraudibus altum ſilet, forte quod putabat Carolo opprobrio futuras: debebat tamen meminiſſe illius: *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*

Digitized by Google

et ut Theodorici caſtrum, ſatis opulentum oppidum, eidem fluvio adiacens, in Caeſaris poteſtatem veniret, procuravit. Hic propter commeatus diſtributionem, gravis inter Germanos Hiſpanosque ſeditio exarſit, ut vix a praelio abſtinerent. Etſi vero his artibus ingens frumenti vis Carolo obtigit, neque ea tamen diu ſuffecit agmini famelico; et Etampia, quod proderet deinceps non habebat. Caeſar igitur, circumſeſſus ab exercitu Gallico, qui omni commeatu prohibebat, ductis per agrum Meldenſem copiis, ad Sueſſionem venit. Vix ibi conſtiterat, iterum in caſtris fames *b*); nec ſupererat ulla ſpes evitandae impoſterum: et iam ad caſtrum Theodorici magna erat militum ſuper frumenti diſpenſatione conflictio, ventura certo certius ad ſeditionem, ubi nihil eſſet futurum omnino quod diſtribuatur. Interea Gallici Legati, (Eleonorae reginae, atque Aurelianenſis factionis continuo hortatu, victo, etſi difficulter, re ipſa prodito rege,) pacis conſilia redintegrant. *c*) Ad haec, ancipiti preſſus periculo Imperator

b) DANIEL l. c. pag. 546. BARRIVS l. c. pag. 528. RAYNAL l. c. p. 211. et alii.

c) Adſcribimus verba BELCARII l. c. pag. 762. ut, quibus artibus effectum id fuerit, plene intelligatur. *Caeſar, ne commeatu prohiberetur, ad Sueſſiones iter intendit; ab Aurelianenſibus, hoc eſt ab iis, qui Aureliani partes ſequebantur, de regis conſiliis, (quem illi, obiectis multis periculis, partim veris, partim inanibus, ad pacem cum Caeſare quavis ratione faciendam inſtigabant,) diligenter admonitus. — Deinde acceſſit rex Aurelianenſibus, pacem, licet iniquam, accipere conſulentibus, ac tandem vehementi importunitate perſuadentibus; quam* Gabriel Gusmanus, *ſodalis Dominicanus, reginae Eleonorae nomine procurabat. Contra, qui a Delphino ſtabant, iniquas pacis conditiones admittendas non putabant. Poſtremo rex in priorum ſententiam conceſſit, Anna Piſſeleva, aliisque eiusdem factionis urgentibus. Miſſus eſt ad Sueſſiones* Claudius Annebaldus

Amira-

Digitized by Google

rator Carolus, haeſitare ne poterat? Certe opportuna locutus eſt Ludovicus Alamanus, Florentinus, *d*) altero de pace colloquio: facilem eam pacis compoſitionem futuram, quod Imperator ea difficulter careret, Franciſcus autem rex omnibus votis expeteret. *Nec credideris*, ait LIVIVS, *ullum populum*, *aut hominem*, *in ea conditione*, *cuius eum poeniteat*, *diutius*, *quam neceſſe ſit*, *manſurum.* Igitur et Carolus repente fortunam in conſilium vertit, ita, ut Franciſci regis precibus dediſſe videretur, quod dedit ſibi *e*); atque ut, ſine iactura gloriae, capiendae diripiendaeque Lutetiae conſilium abiiceret tum, cum iam exſequi non poſſet.

Ex his, ſi quid videmus, defendi probabiliter putamus coniecturam noſtram poſſe, neceſſariam Carolo pacem ad Crepiacum, neque aliam eius ſanciendae cauſam fuiſſe, quam quod fatiſceret per inopiam exercitus: igitur famem. Cunctandum hic non erat; adeoque repente transactum. Sed haec hactenus. *GEOR-*

Amiralius, *cum* Nullio, *ſupplicum libellorum magiſtro.* — His itaque internuntiis pax Crepiacenſis coaluit, quam Galli, quod Imperatoris atque Eleonorae Confeſſariorum artificia praeceſſerant, nominant *la paix des Confeſſeurs.* Tamen unus Confeſſariorum, Gabriel Gusmanus, opera ſua alapas emit a Nullio, et repente quidem: vid. Obſervations hiſtoriques et politiques ſur les Traités des Princes, par AMELOT *de la* HOVSSAYE, Tomo I. Collect. Leonardi pag. 78.


d) vid. AMELOT *de la* HOVSSAYE l. c. pag. 76.

e) Recte RENALDVS l. c. pag. 211. *La retraite de l'Empereur devint presqu' impoſſible par les ſavantes manoeuvres de l'armée Francoiſe. Il étoit peut-être à la veille de périr ou de ſe rendre priſonnier, ſi la même main, qui l'avoit ſauvé, ne l'eut ſauvé encore.* Atque hinc, cur Henricus Delphinus paci illi ſolennibus formulis interceſſerit, intelligitur: v. LEONARDVM T. II. pag. 449. et DVMONT T. V. pag. 295. quod exemplum deinceps Curia Toloſana ſecuta eſt.

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. IV. ad Nov. Act. Erud. A. 1763. Menſ. Novembr. pag. 551. ſeqq.



Digitized by Google

GEORGII HENRICI BORTZ, MATHES. PROF. Publ Extr. Lipſ. et Coll. b. Mariae Virg. Collegiati, de inſigni Semioticae Matheſeos uſu in Geometria et Phyſica Disquiſitio.

Semioticae Matheſeos nomine lecto, nemo non colligit, ſignificari eo omnem praeter verba ac voces ſignorum ac legum complexum, qui requiritur ad quantorum limites determinandos. Vocari poſſet Logica vel doctrina ſignorum, eiusque eſt, characteres quantorum commodisſimos invenire, certisque legibus ac regulis dirigere. Quamvis vero ipſa haec quantorum ſigna ſint arbitraria, atque ab arbitrio hominum pendeant; quantum tamen ingenii, quantum acuminis requirant, multis ex hiſtoria Semiotices doceri poſſet exemplis. E pluribus utar hoc: denotet *A* quantum, quaeratur conſtituta multiplicationis lege, ut in producto iuxta ſe ponantur factores nullo interpoſito ſigno, centeſima ipſius *A* potentia; quantum ea ſpatii capiet? e contrario electa ad eandem quantitatem deſignandam litera minuſcula *a*, et aſſumpta unitate ceu exponente dignitatis primae, binario ſecundae, *n* potentiae *n* tae, quam commode exhibebitur ea per a^{100}? quam facile nos eiusmodi notatae potentiae deducent ad arithmeticam potentiarum, inſignem Semiotices Matheſeos partem? quam breve eo pandetur iter ad reducendas potentias fractorum exponentium ad integras et tandem ad eas exprimendas, quoties opus eſt, per Logarithmos? Signorum horum vis ac commoditas in eo maximopere elucet, ut electis ſignis primitivis, aliis ad quanta cognita, aliis ad quanta incognita denotanda, quae notionum vices ſuſtinent, ſimplicisſimae inveniantur regulae, omni, quo fieri poteſt, modo ea coniungendi, conferendi, ſeparandi, ac ſigna derivativa, quae propoſitiones referunt, eruendi. Certis itaque legibus definienda eſt via perveniendi a ſignis primitivis ad omnia ſignorum derivativorum genera, quae ſcientiarum Mathematicarum profectus requirunt, et iterum eruendi, quoties neceſſe eſt ex derivativis ſignis primitiva. Brevibus haec enuntiata Tab. IV.

Digitized by Google

quam ſublimia Semiotices Matheſeos capita continent? Datis quanti incogniti valoribus ſeu radicibus, iisque ad zyphram reductis, multiplicando facile itur ad aequationes cuiusvis gradus? Sed quantis artificiis opus eſt ad eruendas ex aequatione cuiusvis gradus radices? nulla difficultate ex quanto, quod ex variabilibus ac conſtantibus conflatum eſt, differentiale ſeu fluxio eruitur, ſed ex dato quovis differentiali invenire integrale ſeu fluentem, eſt problema, quod eminentiſſima ingenia inde ab inventa hac nobiliſſima Semiotices mathematicae parte exercuit, et adhuc exercet. Cum vero in quantis non niſi auctio ac diminutio concipi queant, atque Arithmetices ſit, auctionum et diminutionum ſpecies determinare, ſignis commodis exprimere, ac legibus operationes cum iisdem inſtitutas circumſcribere: nemo non inde inferet, Matheſeos Semioticam eſſe univerſalem Arithmeticam?

Nulla in veterum Geometrarum ſcriptis veſtigia huius ſcientiae apparent, quae poſt *Vietae* demum tempora *Hariotti* ac *Carteſii* opera effloruit, ac a Leibnitio et Newtono, aeternis in Geometria nominibus, infinitorum quantorum ſemiotica inventa, inſigniter aucta adhuc quotidie, ut ex Arithmetica ſinuum aliorumque quantorum a circulo pendentium cuivis harum rerum perito conſtat, continua capit incrementa. Primi mortalium, qui notiones quantorum attentius evolventes, ea ad claſſes reduxerunt modumque praeſcripſerunt, quo intellectus in eorum dimenſione dirigendus, nulla alia, niſi communi illa Semiotica, quam reliquae ſcientiae ac vita communis adhibent, quaeque vocibus ac verbis continetur, uſi, omnes ingenii vires eo direxerunt, ut paucis terminis, qui Matheſi eſſent proprii, ad deſignandas ideas diſtincte evolutas excogitatis ac exacte definitis omnem quantorum diſciplinae certitudinem ac evidentiam, quam quidem intellectus requirere poſſet, conciliarent. Quanta h. e. lineas, ſuperficies, corpora ſchematibus iis ſimilibus, ut ea, cum talia, qualia revera ſunt, ſola ratione cognoſci posſint, imaginationi ac ſenſibus quodammodo exhiberent, repraeſentarunt. Sumptis deinde paucis notitiis communibus, quas axiomata vocant,

Digitized by Google

vocant, et de quarum veritate nemo ſanus ambigere poteſt, Methodo ſynthetica, ſcientiam quantorum novis propoſitionibus locupletare allaborarunt. Praecipuum in hac methodo, hoc eſt, ut a ſimplicisſimis orſa principiis non interrupti ratiocinii, quod nulla propoſitio indemonſtrata ingreditur, vi planisſima faciat, quae ab omni cognitione remota videbantur. Superbiverunt hac methodo primum conſcripta Elementa Euclidis, Viri vere Philoſophi, ac inde ipſa methodus *Euclidea* dicta. Magnam ea et ingenii et acuminis et memoriae vim requirit. Quo a primis principiis remotiores propoſitiones ea arte demonſtrandae: eo maior propoſitionum demonſtratarum apparatus ita cognoſcendus, ut eum quaſi coram intuearis, ſingularumque nexum cum propoſitione demonſtranda perſpicias. Quanta hypotheſeos reſolutione, quam circumſpecta ſingularum eius partium cum veritatibus indubitatis comparatione, quanta illatarum inde concluſionum inter ſe et cum veritatibus, quarum nulla precario ſumpta ac indemonſtrata, collatione opus eſt? Nectit Geometra ingentes ratiociniorum catenas, quarum altera ex altera dependet, donec inperturbato ordine ad id perveniat, quod ſibi demonſtrandum propoſuit. Legant, qui haec capere velint, veterum Geometrarum monumenta: vel ſi haec deſint, noſtrum quondam *Hauſenium*, Parte II. Elem. Geometriae, in qua ex lineis harmonice ſe ſecantibus proprietates curvarum conicarum hac methodo demonſtrat. Quodſi ea cogitatione comprehenſuri ſint, certus ſum, eos dubios futuros, utrum magis certitudo ac pulcritudo ſyſtematis admiranda, an ingenii Hauſeniani vis, quod illud tanta ratiociniorum, quorum alterum vix alteri ſalvo ordine vel praepoſueris vel poſtpoſueris, mole exſtruxit? Cum itaque habeat haec methodus, quo animum ſua pulcritudine percellat, et in ſui admirationem rapiat, ecquid mirum, eam veteribus Geometris ſolam fere placuiſſe, et recentioribus quibusdam, Anglis inprimis, adhuc adeo placere, ut vix aliam in Matheſi ferre posſint? Et profecto, ſi qua ratione aſſenſum extorquet, propoſitionibusque certitudinem conciliat, eadem etiam artifi-

 cia

Digitized by Google

cia inveniendi pariter recluderet, nec Matheſis quotidie nova caperet augmenta, nullus dubito, quin ſola digna haberetur, qua omnes veritates mathematicae proponerentur.

Sed mature, et quidem iam Platonis temporibus, Matheſeos cultores, quibus non ſatis erat propoſitionum mathematicarum inventarum certitudinem, ſyſtematisque, in quod redactae, pulcritudinem mirari, et conſumpta demum maxima vitae parte in iis addiſcendis tentare, utrum ex combinatione veritatum cognitione comprehenſarum aliquas incognitas eruere poſſent, de alia commodiori methodo ſolliciti erant. Sublimi illo ſenſu, quod ex gaudio inveniendi proprio marte etiam illas propoſitiones, quas ſe inventuros non expectarunt, incitati, Analyſin Geometricam invenerunt. Haec quaeſita ut inventa ponit, ex iis conſequentias eousque deducit, donec ad propoſitiones perveniat, quae axiomatum loco haberi poſſunt, et ſua radiant veritate. Luculenta huius methodi in ſcriptis Geometrarum veſtigia occurrunt, ac eiusdem iterum *Hauſenius* Part. I. Elem. propoſit. XCIV. ſequentibus ac Parte II. plures exhibuit. Satis haec methodus praedicari nequit. Ea animum ad conditiones Problematis attentum reddit: ea aſſidua diagrammatum conſideratione pulcritudinem ſola ratione cognoſcendam, et dependentiam quaeſitorum a cognitis ac datis ad ignoti evolutionem dirigit. In Problematis levioribus, qualia in *Hauſenii* Parte I. Elem. Geom. occurrunt, haec ignoti ad cognita deductio ratiocinii vi, quod plerumque rationibus, proportionibus, aliisque ſubſidiis Geometricis fit, facili negotio peragitur; ſed in difficilioribus haec incogniti evolutio res eſt immenſi laboris. Qui haec intimius cognoſcere voluerit, ſumat, ut hoc levi e pluribus adhuc gravioribus utar, ex Analyſi Dioptrica magni Geometrae *Kaeſtneri*, problema III. atque tentet veteri Analyſi Geometrica radii ex Axis puncto incidentis in corpus pellucidum ſphaerice terminatum medii denſioris, quod tenuius undique ambit, poſt ſecundam refra-

ctionem

ctionem non ſolum focos determinare, ſed et leges aberrationum a figura ortarum invenire. Quas ingentes ſentiet difficultates? Aut totus itaque fallor, aut haec ingens difficultas in evolutione incognitorum in difficilioribus Problematis illud ipſum fuit, quod occaſionem dedit inveniendorum ſignorum, quibus proportiones, aliaeque quaeſitorum et cognitorum rationes Analyſeos mathematicae veteris ope elicitae deſignari; iis deſignatis totum Problema in ſigna transponi, et ad aequationes reduci; hac reductione facta ratiocinia ex ſchematiſmi cum univerſo ſaepe apparatu Geometrico non ſine ingenti animi defatigatione continuanda plane ſeponi poſſent, ut ne ad ſignificatum quidem eorum animus attendere opus haberet, donec reliquum negotii, ope regularum Semiotices, quae ratiociniorum vices ſuſtinent, terminetur, ac ad feliciſſimum finem perducatur. Egregie ſignorum eiusmodi, quibus via perveniendi ad quaeſitorum per cognita ac data determinationem, ſupra quam dici poteſt, facilitatur, inventio ſucceſſit.

Palmarium in Semiotica Matheſeos eo redibat, ut conditiones auctionum et diminutionum, quae ſibi oppoſitae, oppoſitis ſignis exprimerentur. Id factum eſt, cum notata una quantitatum, ſive fuerit cognita ſive incognita, per +, ei oppoſita per — deſignaretur, ipſae vero quantitates per litteras alphabeti ſignarentur. Sumptis itaque pluribus ſignis primitivis, e. g. $+a : -b : +c : -x$ ex Legibus quantitatum oppoſitarum ſummae $(a-b+c-x)$ differentiae $(a+b-c+x)$ producta $+abcx$, potentiae $+a^n$, $-b^n$, quarum poſterior notante n numero pari +, et impari —. notanda, facile formatae: ex ſummis, ex productis, ex potentiis extractio $\sqrt{}$ ſuſcepta ac exiſtente n numero pari, ſi negativae ſimul ſumtae ∟ poſitivis, ad quantitates imaginarias ventum eſt. Pari arte ſignis ac legibus conſtitutis reliquae quantitates univerſales, quarum progrediendo nova genera detecta, legibus ſubiectae. Sed Matheſeos Semioticae multo maior labor ſuſtinendus erat, ne, cum hoc apparatu inſtructa Proble-

blematis ſolvendis ſe accingeret, eius multitudine opprimetur. Non enim aeque ac in Methodo ſynthetica a cognitis ad incognita in ea fit progreſſus: ſed inventionis opus a permixtis inter ſe cognitis ac incognitis quantitatibus initium capit. Non poterant non itaque ii, qui prima huius Analyſeos recentioris experimenta inſtituerunt, inventa aequatione ad magis compoſita ac complicatiora ſigna deduci, quae reductione indigebant. Quemadmodum inventio aequationis, et qua denominationes quantorum eam ingredientium, et qua eius fundamentum, tota ab ingenio ac arte eius, qui Problema ſolvit, dependet; ita in reſolutione eiusdem, licet regulis generalibus dirigatur, multum in caſibus ſpecialibus iterum dexteritati reſolventis relinquitur. Reductionis aequationis negotium in ipſis Semiotices Matheſeos initiis facillime ſucceſſit, ubi Problemata ad aequationes primi gradus redibant. Multo vero difficilius, ſi eaedem ad IIdi gradus aequationes ducerent; ſuperatae tamen antiquis iam temporibus difficultates a Luca Paciolo circa annum 1494. quoad reſolutionis negotium. Quanto vero tempore uſus radicum negativarum, tum in primi, tum IIdi ordinis, reliquorumque, aequationibus occurrentium, latuit? et quantis difficultatibus obſepta erat reſolutio aequationum IIItii ordinis inprimis caſus illarum, quem irreducibilem vocant? donec tandem profundiſſimis ſpeculationibus ſummorum in hac arte virorum demonſtratum eſt, omnes aequationes inferiorum aeque ac ſuperiorum ordinum oriri ex multiplicatione ſimplicium aequationum ad zyphram reductarum tot, quot habet incognitae ſupremae aequationis ab omni irrationalitate ac fractionibus deliberatae exponens unitates, hinc quadratica ex duabus, cubica ex tribus etc. aequationibus ſimplicibus conſtant. Hae vero radices, quas aequationes tenent, poſſunt eſſe reales, poſitivae vel negativae, eaeque commenſurabiles, quas etiam rationales dicunt; vel incommenſurabiles, ſeu irrationales, poſſunt etiam eſſe *imaginariae*. Utar his

$$x^3+5x^2-2x-24=(x-2).(x+3)(x+4)=0$$

$$x^3-2x^2-13x+6=(x+3).(x^2-5x+2)=(x+3).$$

$$\left(x+\frac{5-\sqrt{17}}{2}\right).\left(x+\frac{5+\sqrt{17}}{2}\right)=0$$

$$x^3-3x^2+6x-4=(x-1).(x^2-2x+4)=(x-1).$$

$$(x-1+\sqrt{-3}).x-1-\sqrt{-3})$$

vel generaliſſime $x^m+rx^{m-1}+qx^{m-2}+rx^{m-3}\cdots\cdot$ $\pi x^{m-n}+\varrho x^{m-n-1}\cdots\cdot sx^2+tx+u.=(x-a)$ $(x-b).(x-c)\cdots\cdot$ tot ſimplicibus eiusmodi factoribus, quot m habet unitates. Quantis moliminibus demonſtratae ſunt regulae generales eruendi ex quavis aequatione data radices, ſi quas habet, rationales: irrationales? quanto ingenti labore *) inveſtigatum eſt, ut, quemadmodum primo ſtatim intuitu ac conſideratione ex exponente incognitae ſupremae numerus radicum, h. e. poſito exponente $=m$, numerus terminorum, $(m+1)$ et ex ſucceſſionibus ac permutationibus ſignorum, quibus aequationis termini iuxta ordinem exponentium ordinatae affecti, numerus radicum poſitivarum etc. conſtet: ita etiam ex eiusmodi conſideratione ſtatim innoteſceret, utrum aequatio habeat reales an imaginarias radices. Porro demonſtratum eſt: ſupra indicatae univerſalis aequationis et conſequenter omnium, ſumptis radicum quantitatibus oppoſitis

p. Coefficientem $m-1$ ſ. IIdi termini = ſummae radicum,
q. - - - - $m-2$ ſ. IIItii - - - = ſummae productorum ex ſingulis binis
r. - - - - $m-3$ ſ. VIti - - - = ſummae productorum ex ſingulis ternis

•
•
•
•
•
•

u $m-m$ ſ. ultimum terminum = producto ex omnibus radicibus. In

*) Vide *Colin Maclaurin*, Algebra, Sect. II. Cap. XIII.

Digitized by Google

In nulla aequatione ita exhibita apparent radicalitates, quia tum factores irrationales, tum imaginarii, qui ſemper pari inſunt numero, ad factores rationales quadraticos reducuntur. Tandem imaginariae ad formam $M + N\sqrt{-1}$ reductae, qua reductione inſignis harum quantitatum uſus innotuit, et fines Semiotices Matheſeos prolati. Ingens liber conſcribendus eſſet, ſi hi progreſſus Semiotices Matheſeos iuſto ordine exponendi, ac ſingula in iis, prouti poſſunt, rigoroſis demonſtrationibus firmanda eſſent. Adeant qui haec ſcire volunt, Analyſin fin. Celeb. *Kaeſtneri*, qui haec ſi quis unquam ſolide demonſtravit *), ſimulque in Elementis analyſeos infinitorum Semioticam infinitorum quantorum luculenter ac copioſe expoſuit.

Mihi haec ſufficiunt, ut aliquam lectores conſequantur ideam eius ſcientiae, ob quam in virorum alias eruditiſſimorum cenſuram incurrunt Matheſeos cultores. Probe hi quidem erga ſcientias bene affecti viri norunt, intereſſe generis humani, Geometriam, Mechanicam, Aſtronomiam, artem nauticam, reliquasve Matheſeos adplicatae partes, cognitas perſpectasque eſſe: probe norunt, intereſſe generis humani, ut hae ſcientiae, quibus potentia viresque hominum nituntur, tam late, quam fieri poſſit, propagentur. Id vero ſe neſcire fatentur, cur, quo quis Matheſi ſit magis addictus, tanto magis noctes diesque excolendae Matheſeos Semioticae impendat, mundusque voluminibus non niſi literis ac characteribus repletis obruatur? Quare nihil iis magis uſitatum, quam ut contra eandem, tanquam ſubtilem inanemque artem, quae ſolius ingenii oſtentandi temporisque fallendi gratia immenſo labore ſuſcipitur ac colitur, magno animi fervore declament. Idque eo efficiunt, ut inter noſtrates vix unum vel alterum exorare poſſis, qui ei addiſcendae ſe accingere velit. Magno itaque cum ſtudio expreſſi veſtigia, quibus ingenium humanum in eruendis verita-

*) Confer eiusdem Viri Cl. Diſſert. de Theoria radicum in aequationibus, Lipſ. 1739. habitam.

veritatibus Mathematicis inceſſit, quaeque premendo Geometriam ad eam amplitudinem perduxit, quam hodie admiramur, ut, ſi forte haec legere dignentur, intelligant, nullam eſſe compendioſiorem viam ad addiſcendas, quas colunt, ac amant, aut ſaltem amare prae ſe ferunt, Matheſeos omnis partes, eas excolendas, atque ad Phyſicam, artes, vitamque communem adplicandas, quam eam, quam Semiotica Matheſeos ſternit. Lente progredimur Methodo ſynthetica: et ubi una alteraque propoſitio memoria exciderit, nexus ſyſtematis rumpitur, et cum artificia inveniendi in ea lateant, ſemper fere in diſcentium numero verſandum: Analyſeos veteris geometricae artificiis inſtructa ingenia etiam non mediocria, in Problematis gravioris momenti defatigantur, adeo, ut iis ſolis in omnibus ſcientiis Mathematicis graſſari liceat, qui Semiotices Matheſeos praeſidiis inſtructi ſunt. Magno itaque foenore compenſatur iactura illius temporis, quod addiſcendae nobili huic ſcientiae impenditur. Quod ut tanto luculentius Iuventuti Academicae pateat, utilitates ex Semioticae Matheſeos ſtudio expectandae exemplis illuſtrabo, ad quas omnia Matheſeos capita, in quibus Semiotica applicatur, reduci poſſunt.

Conſiderent velim mecum, quantum Geometriae apparatum animo praeſentem habere debeant, ſi methodo ſynthetica, cuius ideam in addiſcendis propoſitionibus elemen. conſequuntur plerique, unica propoſitio cognoſcenda. Sumamus quaeſo 10. prop. XIII. Elem. Euclidis, quam fig. 1. exprimendam curavi. Demonſtratur in ea, latus Pentagoni regularis Circulo inſcripti poſſe latus Decagoni et Hexagoni regularium eidem Circulo inſcriptorum eſſe. Cuius veritatem perſpecturus cogitet, neceſſe eſt:

Inſcripto in Circulo per 11. IV. Elem. pentagono regulari, cuius latus *AB* ac determinato p. 1, III. Circuli centro *F*. bifariam ſecto arcu *AB* 30. III. ac ductis Chordis *AH* et *HB*, ſectoque iterum arcu *AH* bifariam per rectam *FK*, quae ſecat etiam rectam *AH* in *l* et *AB* in *M*.

1 *AF*, *BF* eſſe latus Hexagoni regularis
Circulo eidem inſcripti ... 15. III.

2	$AH = HB$ et conſequenter eſſe latus Decagoni regularis eidem Circulo inſcripti	29. III.
3	Angulum $AFH =$ ang. BFH	27. III.
4	rectam $AI = IA$	4. I.
5	Ang. $BIF = FIA =$ rectis	def. 10. I.
6	$AI = IH$	4. I.
.	et $AIF = FIH =$ rectis	
7	eſſe Arcum $ABCG =$ arcui $AEGD$	def. 17. I.
8	Arcum $CG = GD$, $CG = \frac{1}{2} CD$	3. et 4. Ax. I.
9	Arcum $AH =$ arc. CG.	1. Ax. I.
10	$2 AK = CG$	1 Axiom.
11	$2 BC = 2$ arcui BH	1.
12	Arcus CG et BC eſſe aeque multiplices arcuum HK, BH	1. V.
13	Arcum $BG = 2 BK$	
14	Angulum $BFG = 2 BFK$	33. VI.
15	Angulum $BFG = 2 FAB$	20. III.
16	Angulum $BFK = FAB$	1. Axiom.
17	ΔABF et ΔFBM eſſe aequiangula	32. I.
18	$AB : BF = BF : BM$	4. VI.
19	$AB . BM = BF^2$	17. VI. . A)
20	$AM = HM$	4. I.
.	Ang. $LAM = LHM$	
21	Ang. $LHM =$ Ang. HBA	5. I.
22	Ang. $LAM =$ Ang. HBA	1. Axiom.
23	ΔHBH et ΔAMH aequiang.	32 I
24	$AB : AH = AH : AM$	4. VI.
25	$AB . AM = AH^2$	17. VI. . . B)
26	Ex A et B) $AB.AM + AB.BM = BF^2 + AH^2$	2. Axiom.
27	$AB.AM + AB.BM = AB^2$	2. II.
28	$AB^2 = BF^2 + AH^2$	1. Axiom.

Eandem diligentiam, quoniam propoſito meo admodum conformis erat, in reſolvenda hac levi propoſitione Euclidea adhibui, quam per totum Euclidem adhibitam invenies in editio-

editione noviſſima Batava *), adeo ut ſtatim ex intuitu pateat, quanta animi contentione ad perſpiciendam alicuius propoſitionis veritatem opus ſit. E contrario, inſtituta levi analyſi Geometrica, patet, totum negotium dependere ab inventione laterum decagoni regularis et pentagoni. Illud eruitur facile. Eſt poſito radio Circuli $= a. = \sqrt{(\frac{5}{4}a^2)} - \frac{1}{2}a.$ quod pono $= b.$ Pentagoni vero latus poſito $AB = x\ AG = \frac{1}{2}x.\ GE = \sqrt{a^2 - \frac{1}{4}x^2}.\ FG = a\sqrt{a^2 - \frac{1}{4}x^2})$

eruitur ex $AF^2 = FG^2 + AG^2.$

$$b^2 = 2a^2 - 2a\sqrt{a^2 - \frac{1}{4}xx}$$

per regulas Semiotices Matheſeos eſt

$$4a^4 - a^2x^2 = b^4 - 2a^2b^2 + 4a^4$$

$$x^2 = 4b^2 - \frac{b^4}{a^2}$$

Eſt vero $b = \sqrt{(\frac{5}{4}a^2)} - \frac{1}{2}a;\ b^2 = \frac{6}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}.$

$$b^4 = \frac{14}{4}a^4 - 3a^3\sqrt{\frac{5}{4}a^2},$$

Ergo

$$x^2 = 4(\frac{6}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}) - \left(\frac{14a^4}{4} - \frac{3a^3\sqrt{\frac{5}{4}a^2}}{4}\right) : a^2$$

$$= \frac{10}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}$$

$$= a^2 + \frac{6}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2}$$

ſed $\frac{6}{4}a^2 - a\sqrt{\frac{5}{4}a^2} = b^2$

Ergo $x^2 = a^2 + b^2$. h. e. latus pentagoni poteſt latera hexagoni ac decagoni eidem circulo inſcriptorum. Huc pertinent pleraeque propoſitiones Euclideae, paucis admodum elementaribus exceptis, Archimedeae, Apollonianae, et omnes ſublimioris Geometriae, quarum demonſtrationes methodo ſynthetica digeſtae adeo difficiles, ut ſummi Viri, cum eas bis terque legiſſent, omnesque animi vires intendiſſent, ab earum contemplatione tamen dubii receſſerint, an vim illarum totam perceperint, quae ope Semiotices Matheſeos tractatae omni difficultate carent, adeo ut ea ipſa facilitas, quam illis

Bbbb 3 haec

*) Elemens de Geometrie, conténant les ſix livres d'Euclide, par Mr. le Profeſſeur *Koenig*, augmentés de l'onzième et douzième Livre, par *I. I. Blaſſière*: à la Haye 1762.

haec nobilis ſcientia conciliat, in cauſa ſit, cur eam nonnulli non magni aeſtiment.

Habet vero ea et exinde ſingularem commendationem, quod ſolvendo eius artificiis Problemata, in quae pleraque Theoremata converti poſſunt, non ſolum Analyſis, qua veteres uſi ſunt, Geometrica abrumpitur, ac intellectus a ratiocinandi contentione requieſcere poteſt; nihilo tamen minus problema ad formulam, omnes caſus, de quorum unico tantum mens in ipſo inventionis opere cogitavit, complectentem deducitur. Hoc illud ipſum eſt, quod mirifice percellere ſolet animos illorum, qui id primum in hac ſcientia animadvertunt. Dabo eius rei exemplum non ſublime, ſed rem ipſam egregie illuſtrans. Sit propoſitum: determinare ac invenire centrum Circuli tangentis alterum Circulum datum magnitudine ac poſitione in eodem plano ac rectam itidem poſitione datam ac tranſeuntis per punctum datum. Satisfacturus his Problematis conditionibus, ſigillatim primum, poſt coniunctim, non niſi unius Circuli centrum determinandum quaerit, ac in ſchematiſmo, qualem figura 2. expreſſi, vel alio ſimili ponit inventum eſſe illud centrum in N, gnarusque Geometriae colligit:

1. Ductas rectas ex Centro ad puncta contactus et ad punctum per quod tranſit Circulus, h. e. AN, NE, ac NI, eſſe aequales.
2. Bifariam ſecta recta ex puncto, per quod tranſit Circulus inventus, dato ad datam BD perpendiculari in puncto M, ducta per bifariae ſectionis punctum recta ML, et iunctis punctis I et A recta; hanc rectam in O bifariam ſecari. Quia BI parallela MO eſt itaque $AM : AB = AO : AI$ ſed $AM = \frac{1}{2} AB$. Ergo $AO = \frac{1}{2} AI$.
3. Eſſe $\triangle$ ANI. $\triangle$gulum aequicrurum, ac NO eſſe perpendicularem.
4. Eſſe $\triangle$gula NOL et LOI aequiangula, ac proinde $NL : OL = OL : LI$ ſit $OL = x$ $NL = y$ atque $y : x = x : c$ $LI = MB = AM = \frac{1}{2} AB = c$

Cum

Cum duae ſint incognitae, ulterius colliget:

5. Producta recta NI verſus H ita ut $IH = EC$ fore $NE + EC = NI + IH$, et connexis punctis H et C recta HC, eſſe NCH Δgulum aequicrurum.

6. Demiſſo perpendiculo CD in rectam datam BD eoque producto donec $DG = IH = EC$, HG parallelam BD eſſe.

7. Bifariam ſecta recta CG in Q. et per punctum bifariae ſectionis ducta recta QR parallela BD, ſecare eam rectam CH in P bifariam atque rectam NP fore ad HC perpendicularem et Δgula NPK, PKH et NPC ſimilia, conſequenter eſſe

$NK : KP = KP : KH$. vocatis $BD = 2a$ $CQ = QG = KH = b$. $MR = LK = d$. Erit $PQ = KP = a - x$, ac per analogiam inventam

$$d + y : a - x = a - x : b.$$

$$db + by = a^2 - 2ax + x^2.$$

ſed $y = \frac{x^2}{c}$ per analogiam I^{mam}.

Ergo

$$a^2 - 2ax + x^2 = bd + \frac{bx^2}{c}$$

$$c(a^2 - 2ax + x^2) = bdc + bx^2$$

$$ox^2 - bx^2 - 2acx = a^2c + bdc$$

$$x^2 - \frac{2ac}{c-b} + \frac{ac - dcb}{c - b.} = o$$ ſit $c - b : a = c$: quartam eaque dicatur f erit $f = \frac{ac}{c-b.}$: ſit porro $a : b = d$: quartam proportionalem eaque dicatur g erit $g = \frac{db}{a}$ et aequatio anterior mutabitur in hanc $x^2 - 2fx + (a - y)f = c$

Cumque facile inveniatur inter $a - y$ et f media proportionalis, ſitque ea h, erit ultima aequatio

$$x^2 - 2fx + h^2 = o.$$

Expo-

Digitized by Google

Exponens ipſius incognitae ſupremae, quamvis unius ſolum in ſolutionis opere haberetur Circuli inveniendi ratio, indicat poſſe eſſe duos huiusmodi circulos, qui Problemati ſatisfaciunt. A radicibus vero huius aequationis eorum centrorum, ac proinde circulorum, ſpecialis determinatio pendet. Radices vero determinantur determinato et ſigno termini IIdi, et ſigno termini IIItii: hoc ut fiat, poteſt eſſe $c \; 7 \; b$ aut $b \; 7 \; c$ aut $c = b$. In caſu I. terminus IIdus neceſſario —, poſito IIdo $- 2fx$ mutabitur in $+ 2fx$ et IIItio caſu abit in hanc $- 2fx + h^2 = o$ IIItii termini ſignum determinatur ex eo, quod $a \; 7 \; g$, tum terminus iſte neceſſario +. ſignabitur: vel $a \angle g$, tum erit $- h^2$. vel $a = g$, tum iſte terminus evaneſcit. Unde ſequentes orientur ſolutiones.

1. $x^2 - 2fx + h^2 = o$ radices $(x - f + \sqrt{-h^2 + f^2})$.
$(x - f - \sqrt{h^2 + f^2}) = o$

2. $x^2 - 2fx - h^2 = o \cdots (x - f - \sqrt{h^2 + f^2})$.
$(x - f + \sqrt{h^2 + f^2}) = o$

3. $x^2 + 2fx - h^2 = o \cdots (x + f + \sqrt{h^2 + f^2})$.
$(x + f - \sqrt{h^2 + f^2}) = o$

4. $x^2 + 2fx + h^2 = o \cdots (x + f + \sqrt{-h^2 + f^2})$.
$(x + f - \sqrt{-h^2 + f^2}) = o$

5. $x^2 - 2fx = o \; (x - o). \; (x - 2f) = o$

6. $2fx - h^2 = o \quad x - \frac{h^2}{2f} = o$

Sollicita haec omnium caſuum evolutio eo ſpectat, ut inſignis ac vix ab aliis Methodis tractandi Mathemata expectandus uſus Semiotices Matheſeos declaretur. Quantum cognitionis compendium! quantum memoriae ſubſidium! una formula complexum id, quod ne cogitatione quidem, cum in ea eruenda occupatus eras, intendebas, intueri, quod ad plenariam rei comprehenſionem neceſſarium eſt, quoque non niſi magna ingenii defatigatione, ac temporis magno impendio,

Digitized by Google

pendio, alia via cognoſceretur, inprimis cum amplitudo ſcientiae ad ulteriora invitet, ac vita humana arctis admodum limitibus circumſcripta vetet quaerere difficiliore via, quod breviori aeque certe invenitur. Quanto itaque aeſtimabunt aequi rerum iudices eorum ſcripta, qui e. g. Perſpectivam, Catoptricam, Dioptricam, Gnomonicam, aliasque Matheſeos applicatae partes, ex vaſtis voluminibus, methodo ſynthetica vel veteri analytica digeſtis, ad eiusmodi formulas et aequationes reduxerunt. Eae formulae ſunt profecto fideliſſimae interpretes continuitatis Geometricae: eae exhibent ſcripturae genus, ex quo animus legibus Semiotices Matheſeos aſuetus legit, et quicquid viſui exponi, et quicquid eo comprehendi nequeat, quaeque poſſibiles, quaeque impoſſibiles in dato caſu conditiones ſint. Quam illuſtria ex Geometria ſublimiori exempla huc transferri potuiſſent? addam unicum, complexum formula $u^4 - bzu^2 - z^4 - 2bz^3 = o$ cuius ramus expreſſus fig. 9. Haec ex legibus Semiotices puncta multiplicia concernentibus tractata redit ad hanc:

$$\frac{dz^3}{du^3} + \frac{dz}{2\,du} = o$$ Eius itaque radices erunt

$$\frac{dz}{du} = o \text{ et } \frac{dz}{du} = +\sqrt{-\tfrac{1}{2}} \text{ et } \frac{dz}{du} = -\sqrt{-\tfrac{1}{2}}$$

Quae ſatis indicant, in puncto G adeſſe triplex punctum inviſibile, quod ad eius rami comprehenſionem neceſſarium, quodque non viſu, ſed ratione, ope aequationis aſſequitur. Plura dabunt volumina Geometrarum *). Et *Kaeſtneri* Viri Cl. programmata, ei, qui ea intelligit, auro cariora, ſatis ſuperque ſatis declarant, quanti in ſcientiis Mathematicis ex genuino Semiotices uſu progreſſus expectandi ſint.

Tandem venio ad illuſtrandum Semiotices Matheſeos uſum longe praeſtantiſſimum, qui noviſſimis demum temporibus

*) *Gabriel Cramer* introduction à l'Analyſe des lignes courbes algébraiques Chap. XIII.

ribus innotuit. Nobilis haec ſcientia ſuis, quas in ante memoratis commodis aliunde mutuo ſumpſit, viribus nixa ac ſuffulta, nobis ad ſublimiorem Geometriam viam aperit, et a cognitione longe remotiſſimas veritates docet. Ex quo enim tempore eas, quas ſupra laudavi, regulas, de natura aequationum, ſagax ſummorum virorum ſolertia detexit, et ex iis inprimis eas, in quibus duae incognitae ſeu variabiles una cum conſtantibus arbitrariis, quarum altera eſt alterius functio, profundius rimata eſt, non poterat non detegere feliciſſime: eiusmodi aequationum completarum ſeu univerſalium ac in aequationes ſimplices irreſolubilium contineri, poſito n, exponente alterutrius incognitae ſupremae, terminis numero $\frac{(n+2).\,(n+1)}{2.}$ hinc omnes aequationes ordinis I continentur hac

$$a + bx + cy = o$$

Ordinis IIdi termini continent primum ordinem, ac praeterea quadrata cuiusvis incognitae in ſuos coefficientes, ac productum unius incognitae in alteram ductum incoefficientem, ut totus ordo comprehendatur formula, cui ſubſunt omnes quadraticae aequationes:

$$a+bx+cy+dx^2+exy+fy^2=o$$

Ordo tertius continet IIdum, ac praeterea cubos cuiusvis incognitae in ſuos coefficientes, praetereaque producta ex quadrato cuiusvis incognitae in alterum in ſuos coefficientes, adeo ut prodeat IIItii ordinis

$$a+bx+cy+dx^2+exy+fy^2+qx^3+hy^2x+ix^2y+ky^3=o$$

Ulterius ingenii ſubtilitas progreſſa demonſtravit, diviſa aequatione cuiusvis ordinis per coefficientem incognitae ſupremae univerſales has aequationes eo non fieri incompletas ac minus univerſales, ideoque reduxit facilitatis gratia numerum coefficientium in quavis ad $\frac{n\;(n+3)}{2}$

et formulas ad I.

$$\text{I. } \frac{a}{o} + \frac{b}{c}x + y = o$$

$$\text{II. } \frac{a}{f} + \frac{b}{f}x + \frac{cy}{f} + \frac{dx^2}{x} + \frac{cxy}{f} + y^2 = o$$

$$\text{III. } \frac{a}{k} + \frac{bx}{k} + \frac{cy}{k} + \frac{dx^2}{k} + \frac{exy}{k} + \frac{fy^2}{k} + \frac{gx^3}{k} + \frac{hy^2x}{k}$$

$$+ \frac{ix^2y}{k} + y^3. = o.$$

Lexque IVti ordinis formulam, cuius ordinis curvas, et ab Abbate de Gua, et ab illuſtri Eulero *), a quo mea potiſſimum deſumpſi, et a Gabriele Cramero, pertractatae, formandi, reliquorumque, ex antecedentibus patet.

In aſſumpta recta *AB* fig. 3, quae huic rei perquam eſt accommodata, quaeque vocari ſolet axis variabilis *x*, ſume valores ab ∞. . — 1. 0. + 1 . . . ∞ h. e. conſtituto in *E* puncto arbitrario, ubi $x = o$, quodque punctum vocatur origo *x*, cape partes arbitrarias, quarum quaevis repreſentat *x*, appellaturque abſciſſa, adeo ut omnes *x* repraeſentari poſſint. Sumptis enim dextrorſum + *x* erunt ex natura oppoſitarum quantitatum ſiniſtrorſum — *x*. Secet iam recta *AB* Axin abſciſſarum ſub quovis Angulo, cui eſt nomen Axis Ordinatarum ac Angulo Anguli Coordinatarum, et educantur ex extremitate cuiusvis abſciſſae rectae parallelae Axi Ordinatarum, erunt hae rectae ipſae ordinatae, ut *PM*, $\pi\mu$, earumque ſuperiores ſi fuerint + *y* erunt inferiores — *y* adeo, ut hae rectae crucem *Analyticam* conſtituant, in qua ex hypotheſi omnes + *x*, + *y* in angulum *CEB*: omnes + *x*, — *y* in angulum *DEB*: omnes — *x*, + *y* in *AEC*, et omnes — *x*, — *y* in *AED* cadant.

Cccc 2 Qui-

*) In introductione ad Analyſin infinitorum Cap. IV. ſequ.

Quibus poſitis in quovis ordine, ut ſolius Semioticae Matheſeos ope figura lineae determinetur, nulla re opus, quam ut arbitrariae conſtantes in primo, $\frac{a}{c}$ et $\frac{b}{c}$ definiantur, hoc fit poſito $y = o$, erit enim tum $x = -\frac{a}{b}$ et poſito $x = o$ erit $y = -\frac{a}{c}$. Ex quo patet, cadere aequationem in angulum crucis analyticae *AED*. atque lineam duobus punctis determinari, h. e. eſſe rectam. Sumptisque nunc valoribus x. totius lineae tractus determinatur, itaque determinatis arbitrariis conſtantibus eſſe unicam. Cum vero innumeris modis determinari aliis poſſint hi coefficientes: innumerae rectae eadem aequatione continentur. Sit e. g. $-b$. et $-c$ erit $-\frac{a}{c} - \frac{b}{c}x + y = o$. ſive $a - bx - cy = o$. facto $y = o$ erit $x = \frac{a}{b}$ et $x = o$ erit $c = \frac{a}{c}$ hinc cadet y in angulum *CEB* et fig. 4tae facile aptabitur ſumpta $AC = \frac{a}{b}$ et $AD = \frac{a}{c}$ $PC = \frac{a}{c} - x$. Erit $\frac{a}{c} : \frac{a}{b} = \frac{a}{c} - x : y$. hinc $a - bx - cy = o$ *)

Eadem arte lineae ordinis II. ſi aequatio in factores ſimplices irreſolubiles per quinque puncta determinantur, nec poſſunt non eſſe conicae, quod vel exinde patet, quod poſito angulo coordinationis *CAB*.: fig. 5 $= 1$ et $f = 1$, $a = c = d = e = o$: et $b = -a$.

orietur $y^2 = ax$.

et

*) vide *Cramer*, l. c. cap. III.

et $a = c = e = o$ $f = 1$ $d = b$ et $b = \pm\frac{b}{a}$

orientur. $y^2 = bx - \frac{bx^2}{a}$ et

$y^2 = bx + \frac{bx^2}{a}$ ſimulque patet, imminuto nu-

mero coefficientium in ordinis IIdi aequatione infinitas dari curvas ordinis IIdi, quae per puncta haec deſcribi poſſunt. Econtrario, ſervatis omnibus quinque determinationibus, quae quinque dant puncta, per quae non niſi unica IIdi ordinis curva duci poteſt. Determinantur vero aſſumpto angulo coordinationis CAB, erectisque ſub eo angulo dD, eE, AC

ſit

$AB = m$ $AC = n$

$Ad = l$ $eE = r$ ſit aequatio $a + bx + cy + dx^2 + exy$

$Ae = q$ $dD\ p$ $+ fy^2 = o$

cum ſit

$x = o$ $y = o$ erit - - - - - $a = o$

$x = o$ $y = n$ - - - - $a + cn + fn^2 = o$

$x = m$ $y = o$ - - - - $a + bm + dm^2 = o$

$x = l$ $y = p$ - - - $a + bl + cp + dl^2 + elp + fp^2 = o$

$x = q$ $y = r$ - - - $a + bq + cr + dq^2 + eqr + fr^2 = o$

Ex tribus prioribus $a = o$ $c = -fn : b = -dm$

quibus in reliquas duas ſubſtitutis, erit

$-dmt - fnp + dlq + elp + fp^2 = o$ hac per qr

$-dmq - fnr + dq^2 + erq + fr^2 = o$ et IIda per lp multiplicatis, et ſubtrahendo ſecundam ex prima, ſit

 $\frac{d^2}{f^2} =$

$$\frac{d}{f} = \frac{npqr - nlpr - pq^2r + lpr^2}{mlpq - mlqr - lpq^2 + l^2qr}$$

$d = pr\,(nq - nl - pq + tr$ et $f = lq\,(mp - mr - pq + tr$ omnes itaque coefficientes determinati ac ex aequatione invenientur plura puncta ſatis vicina, per quae curva tranſire debet, eiusque ductus facile ſine alio ſubſidio, quam Semiotices Matheſeos, cognoſcetur.

Non ſolum vero ductus IIdi ordinis curvarum ac reliquorum ordinum, ut ex antecedentibus patet, ſed et abditiſſimae earum ac generaliſſimae proprietates, eruuntur. Dabo aliqua eius rei ſpecimina, cuius largam meſſem ſuppeditant illuſtris Eulerus et Cramerus l. c, reducatur aequatio ad hanc formam.

$$y^2. + \frac{(ex + c)}{f}\,y + \frac{dx + bx + c}{f} = o$$

I. Cum coefficiens y = ſummae omnium radicum oppoſitorum ſignorum, ſi ſunt reales, quod fit ſi ordinata bis occurrit curvae, ſumpta itaque AEF pro Axe abſciſſarum fig. 6. ac A origine abſciſſarum ac MP et PN pro ordinatis, erit $PM + PN = \frac{-ex - e}{f} = \frac{-eAP - c}{f}$ ducantur aliae ordinatae ſub eodem angulo, erit, cum una ſit negativa, altera poſitiva, $np - pm = \frac{-eAp - c}{f}$, hac a praecedenti ſubtracta erit $PM + PN - pn + pm = \frac{e.Ap - AP}{f}$ $= \frac{ePp}{f}$ ex m et n ducantur parallelae axi abſciſſarum, quae occurrent ordinatis in h. et l. et $PM + PN - pn +$

pm

$pm = Mh \div NI.$ Ergo $Mh + NI = \frac{e.Pp}{f}$, qua in analogiam reſoluta, habebitur elegans proprietas curvarum IIdi ordinis.

$$Mh + NL : \begin{Bmatrix} Pp \\ mh \\ nl \end{Bmatrix} = e : f.$$

Si ex extremitatibus maximae ex duabus ordinatis in curvis ordinis IIdi educantur parallelae axi donec occurrant alteri ordinatae productae ſi opus: ſumma partium interceptarum inter parallelas et ramos curvae, quibus occurrunt, erit ad partem parallelae inter ordinatas interceptae in ratione conſtante. Quam ingens ex ea deduci poſſet numerus aliarum propoſitionum, easdem curvas concernentium.

II. Terminus aequationis ultimus aequatur producto omnium radicum. Tertius itaque terminus huius:

$$y^2 + \frac{(ex+c)}{f} y + \frac{dx^2 + bx + c}{f} = o$$ h. e. ultimus

aequabitur Producto ex duabus radicibus, h. e. $\frac{dx^2 + bx + c}{f}$ $= PM.PN.$ fig. 6. cuius radices AE et AF, proinde

$$\frac{dx^2 + bx + c}{f} = \frac{d}{f}(x - AE).(x - AF) = \frac{d}{f} PE.$$

$PF.$ Hinc $PM, PN = \frac{d}{f} PE.PF.$ quae in analo-

giam

giam reſoluta dabit alteram bene multarum propoſitionum foecundam propoſitionem. Eſt enim

$$PM, PN : PE, PF = d : f.$$

III. Sumpta aequatione

$y^2 + \frac{(ex+c)}{f}.y + \frac{dx^2 + bx + a}{f} = 0$ in qua $-\frac{(ex+c)}{f} = PM + PN = 2PI$ ſi (fig. 7.) $MI = \frac{1}{2}MN$. Per praecepta Semiotices Matheſeos eliminetur IIdus eius terminus, quod in nullo caſu fieri poterit, quam illo, in quo negativa radix = poſitivae. Fiat

$$y = z - \frac{(ex+c)}{2f}.$$

Erit $y^2 = z^2 - \frac{(ex+c)}{f}.z + \frac{(ex+c)^2}{4f2}$

$\frac{(ex+c)}{f}y = + \frac{(ex+c)}{f}.z - \frac{(ex+c)^2}{2f^2}.$

$\frac{dx^2 + bx + a}{f} = \frac{dx^2 + bx^2 + a}{f}$

terminis $+\frac{(ex+c)^2}{4f^2} - \frac{(ex+c)^2}{2f^2}$. reductis prodibit aequatio

$z^2 * - \frac{(ex+c)^2}{4f^2} + \frac{dx^2 + bx + a}{f} = 0$ quae continet duas radices aequales h. e. $y - PI = \pm z$ ac erit

$$+z = PN - PI = IN.$$
$$-z = PM - PI = -IM$$

ducatur $PI = u$. erit $u = -\frac{ex+c}{2f}$ aequatio pro recta, quae eſt locus omnium I, et poſito $u = 0$ erit $-\frac{ex+c}{2f} = 0$

hinc

Digitized by Google

hinc $-ex + c = 0$ et $x = -\frac{c}{e}$ cum $u = 0$ in Puncto O (fig. 7.) erit $AO = -\frac{c}{e}$ proinde $PO = -\frac{c}{e} - x = \frac{-c-ex}{e}$ et Tangens anguli $\frac{PL}{PO} = \frac{-(ex+c.)}{2f} : -\frac{c-ex}{e} = \frac{e}{2f.}$ Poſitio itaque Diametri bifariam ſecantis ordinatas curvarum IIdi ordinis erga axin abſciſſarum determinata, et quidem ope ſolius Semiotices Matheſeos. Determinari poſſet ulterius KH deinde IG[a] aliaque maxime recondita ſublimioris Geometriae capita, inprimis ſi poſthaec in ulteriori diſquiſitione in ſubſidium vocaretur Parallelogrammum Newtonianum Analyticum, felix Semiotices Matheſeos proles, et ingens eius inſtrumentum.

At dicet forte aliquis, declaraſti praeſtantiam Semiotices Matheſeos in Geometria; ſed quantum uſum ex ea reliquae ſcientiae ac vita communis capient? Ego multis rationibus inductus, in ſcientiis ſolo rationis ductu cognitis, poſt morum doctrinam, praeſtantiorem ſcientiam praeter Philoſophiam naturalem ſeu phyſicam novi nullam. Quanta ex illa in omnes diſciplinas, ac inprimis in artem ſalutarem, a qua multa ſperamus, et in vitam communem redundant commoda? Quodſi itaque in ea Semiotica Matheſeos parem ac eandem exerat uſum, nullus dubito, fore ut quisque credat, immenſa eius eſſe in omnes diſciplinas commoda. Rationibus undique conquiſitis ac conſideratis, eorum Phyſices doctorum ſententiam probo, qui phaenomena corporum naturalium ex experientia, et experimentis ſumma cum cura inſtitutis, colligunt: collectorum phaenomenorum rationes ex conditionibus virium motricium, quibus corpus in alia corpora agit, vel quibus ab illis ſollicitatur, et ex conditionibus

 denſi-

denſitatis, raritatis, figurae, ſtructurae, et reliquorum quibus organiſmus continetur, vel ſi eousque cognoſcendo penetrare nequeunt, ex phaenomenis generalibus et legibus motus explicant. Palmariam itaque Phyſices partem abſolvit accurata Legum motus cognitio. Hae enim claves ſunt, quibus pandectae aevi et liber Dei *) arbitri ſeculorum recluduntur. Hae vero ſumma Virorum ſummorum ſubtilitate ad eiusmodi formulas ſ. aequationes iam diu reductae ſunt, quibus in Geometria illa inſignia commoda ope Semiotices obtinentur. Eccui ignotum differentiale celeritatis corporis, ſe vi quadam ſecundum legem datam variante moventis, eſſe in fine temporis dati ut rectangulum ex vi illa in fine temporis dati in differentiale temporis praeterlapſi. Cogitetur figura 8. ſolum mixtilineum $ABPM$. Exprimat AP abſciſſa tempus, ſitque $AB : PM =$ vis in initio motus : vim in fine temporis AP, ſit curva BM locus Geometricus omnium M. $AMBP$ ſpatium exprimet ſummam omnium ſollicitationum vis agentis tempore AP. eritque conſequenter celeritas acquiſita. Eſto vis $= P$ celeritas $= c$ acquiſita tempore $= t$ et $s =$ ſpatio emenſo: erit $dc = Pdt$. Eccui porro ignotum, differentiale ſpatii emenſi a corpore celeritate ſecundum aliquam legem datam variante, eſſe ut rectangulum ex celeritate in fine temporis in differentiale temporis elapſi: ita ſi figura 8. fuerit $AB : PM =$ celeritas in initio motus: celeritatem in fine temporis AP. ſpatium $APMB$ erit integrale omnium celeritatum, conſequenter ſpatium emenſum durante tempore AP, in ſubſidium vocatis anterioribus ſignis erit $ds = cdt$.

eſt $dc = Pdt$ multipl.

$$Pdtds = cdcdt$$

$$Pds = cdc$$

Porro,

*) Account of Sir Iſaac Newtons Philoſophical Diſcoveries by *Colin Maclaurin*, p. 54.

Digitized by Google

Porro, ſumpta $ds = cdt$ ac $dt = 1.$ erit $dds = dcdt.$ quae ſi per $dc = pdt$ multiplicetur, erit $dds = Pdt^2.$ Quibus aequationibus aſſumptis ponatur $c =$ conſtanti, qualis eſt in motu uniformi, curva BM fit recta MK et $\int (cds = cdt) = s = ct =$ rectangulo $AKMP.$ unde veritas theorematum de motu aequabili deduci poteſt. Sit $P = 1 =$ conſtanti ut in lapſu gravium corporum prope ſuperficiem terrae. Curva BM fit recta Am (fig. 8.) quae cum baſi Ap angulum datum conſtituit, eique in A occurrit, ſi corpus motum a quiete incipit. Integralia itaque aequationum, et quidem ipſius $pdt = dc$ erit $pt = c.$ ipſius $pds = cdc$ erit $2\,ps = c^2$, quod indicio eſt, ſi Ap exprimit tempus, et perpendicularis pm celeritatem, et ſi ex puncto aliquo m baſis ut P ducatur $PM.$ parallela ipſi pm, erit tempus Ap in motu gravium: tempus $AP =$ celeritas pm in fine temporis Ap: celeritatem PM in fine temporis $Ap.$ Et quia $2\,Ps = c^2$ eſt ſpatium emenſum quadrato celeritatis aequale, erit $APM : Apm = PM^2 : pm^2. = AP^2 : Ap^2.$

Ita porro a motu uniformi, accelerato eundo ad vires centripetas oſtendi poſſet, quomodo ope Semioticees ex his formulis tota Phyſica coeleſtis evolui poſſet. Sed haec ſufficiant.

Paucis adhuc adiiciam ſingularem Semiotices uſum in illuſtrandis per experimenta doctrinis ad Phyſicam ſpectantibus iis, quae formulis iam ſunt complexae. Novi equidem probe, bene multa adhuc occurrere in nobiliſſima hac diſciplina, quae legibus Semiotices nondum ſubiecta, ſtudioque ac opere ſeculorum inſequentium relicta ſunt: at id novi etiam, inſignes iam eius partes, Geometrarum induſtria, ad magnum perfectionis culmen eſſe perductas. Quae iam in iis per experimenta confirmandis Semiotica praeſtat commoda? Ut breviter mentem meam explicem, pono Phyſices

doctorem velle per experimenta confirmare radii per corpus duobus planis, quorum poſitio erga ſe et erga radium incidentem datur, terminatam medii denſioris, quam medium tenuius undiquaque ambit, refractiones ſecundas. Si ex Semiotica Matheſeos ſcit, radii poſt ſecundam refractionem exitum determinari per formulam: ſ. $\sqrt{(1 - uu)} + \frac{m}{m} u \sqrt{(1 - \frac{nnſſ}{mm})}$ *) non caſu, ſed conſilio inſtituet experimenta, atque praeviſurus eſt, quando radius ſecunda vice refractus parallelus egredietur, quando plane non egredietur ſed reflectetur, quando egrediens ſuperficiem continget etc.

Poſſent iſta ulterius deduci, ac uberius dilucidari: ſed ſatis eſt intendiſſe digitum in praecipua, e quibus reliqua colligi queant.


*) *Kaeſtneri* Syſtema Opticae Cap. II. Prop. II.

NOVA ACTA ERUDITORUM

in[illegible]ndi, quomodo sit armandus, ac cuiusvis magnetis vires augendae, artificia cognita luculenter indicant, artificiales magnetes parandi, artemque docent, et naturalium ac artificialium

doctorem velle per experimenta confirmare radii per corpus duobus planis, quorum poſitio erga ſe et erga radium incidentem datur, terminatam medii denſioris, quam medium tenuius undiquaque ambit, refractiones ſecundas. Si ex Semiotica Matheſeos ſcit, radii poſt ſecundam refractionem exitum determinari per formulam: ſ. $\surd(1 - uu)$

TAB. V. ad Nov. Act. Erud. A. 1763. Menſ. Decembr. pag. 577. ſeq.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLXIII.

DE MAGNETE LIBRI QUATUOR, IN DUOS Tomos diſtributi: Tom. I. continens libr. I. et II. et Tom. II. continens librum III. et IV. auctore IOANNE BAPTISTA SCARELLA, Clerico regulari.

Brixiae Anno CIↃIↃCCLIX. apud Ioannem Mariam Rizzardi, in quarto maiori: *Tom. I.* 300. pagg. *Tom. II.* 350. pagg. cum duabus tabulis aeneis, quarum altera variationes pyxidis nauticae, quibus annis 1700. et 1744. in omnibus fere maribus obnoxia fuit, accurate exhibet.

Magnetis, admirandi, et ad itinera in Oceano dirigenda utiliſſimi corporis, ſingularia ac innumera fere Phaenomena, inde a Philoſophiae naturalis incunabulis, ad noſtram aetatem, ingenia ſummorum Philoſophorum exercuerunt, et adhuc exercent. Omnes vero, qui de eo philoſophati ſunt, non immerito ad duas revocantur claſſes. Ad primam referendi ſunt ii, qui ſedulo, quae de Magnete experientia cognoſcuntur, conquirunt ac colligunt. Accurate iſti nos docent, quot quisque magnes polos habeat, quaque arte ii inveniendi, quomodo ſit armandus, ac cuiusvis magnetis vires augendae, artificia cognita luculenter indicant, artificiales magnetes parandi, artemque docent, et naturalium ac artificialium

 vires

Digitized by Google

vires attractrices, ac leges inclinationum declinationumque determinandi, magnaque cura, quicquid experimentorum magneticorum vel ab aliis, vel a ſe ipſis inſtitutum unquam eſt, in certum ordinem, et ad certam legem redigere conantur. Sed quamprimum id agitur, ut proprietatum tot experimentis confirmatarum cauſae atque origines detegantur, ingenue profitentur ac prae ſe ferunt, nolle ſe in deſperata hac Philoſophiae parte ingenii ſui vires periclitari, ac cum ſibi nihil certi in ea obveniat, ex quo tot variae, tamque abditae proprietates Magnetis declarari poſſint, malle ſe potius ignorantiam ſuam fateri, quam excogitare et proferre hypotheſes, ad quas refutandas ac delendas vix ac ne vix quidem ſaeculo opus eſt. Callidum hoc Philoſophorum genus etiam poſt fata Celeberrimus Muſchenbrockius, in praeſtantiſſimo opere, quod ſub titulo introductionis ad Philoſophiam naturalem duobus Tom. Lugduni Bat. 1762. prodiit, Tom. I. Capite XIX. §. ultimo, graphice deſcribit, ipſeque ſuum inter eos profitetur nomen. Alii vero, his paulo audentiores, cum cognoſcant, quanti ſit ad rerum naturalium cognitionem, Magnetis vim et eius effecta, quam maxime fieri poteſt, in lucem proferre; veſtigia Copernici, Kepleri, Hugenii, aliorumque ſummorum Virorum prementes, conquiſitis omnibus, quae proſtant de Magnete, experimentis, in id omnes ingenii vires intendunt, ut cauſam iis explicandis aptam inveniant, et, ſi ea adeo abdita fuerit et inaceſſa, ut e naturae latebris educi nequeat, tantum abeſt ut de ingenii humani viribus deſperent, et omnem ſpem inveniendi veri in hoc Philoſophiae naturalis capite nobiliſſimo ac utiliſſimo abiiciant; ut potius ex ipſa rei difficultate ac utilitate ingentes ſpiritus ſumant ad exornandam, ſi qua ſe offerat, ingenioſam admodumque probabilem hypotheſin. Inprimis cum iis ipſis, qui tantopere hypotheſes omnes abhorrent, confitendum ſit, multas doctrinas, olim tanquam hypotheſes propoſitas, ſenſim ſenſimque cura ſtudioque indefeſſo novis experimentis, obſervationibus, ac ratiociniis adeo illuſtratas et confirmatas eſſe, ut nunc de earum veritate ipſi non ambigant.

Digitized by Google

gant. Bono itaque fato Magnetismi factum eſt, ut Academia illuſtris regia Pariſienſis Scientiarum, ingenuis ſcientiis ſummopere favens, ſuperioribus annis hanc potiſſimum materiam eligeret, circa quam Phyſicis ac Mathematicis problema ſolvendum proponeret, eoque doctiſſimos omnium nationum Philoſophos ad rem eam ex profeſſo tractandam incitaret, quo unum alterumve commentarium ſapientiſſimo hoc conſilio eliceret, qui circumfuſas huic quaeſtioni tenebras diſpelleret. Illuſtriſſimam ſocietatem ſpes, quam conceperat, omnino non feſellit. Praeter enim Commentarium Euleri, qui ab ea hac occaſione praemium retulit, aliosque, quos, ut excuderentur, dignos iudicavit, orbis eruditus, etiam acceptum ferre debet huic provocationi vaſtum hoc et eruditiſſimum opus de Magnete Scarellianum. Duodevinginti abhinc annis huic operi Vir Clariſſimus inſudavit, atque ex eo tempore magna animi contentione, quicquid illuſtrandae vi magneticae vel propria meditatio, vel aliena ſuggereret, conquiſivit, in ordinem redegit, novaque experimenta ac obſervationes magneticas collectas cum theoriae praeceptis comparavit, opusque adeo limatum et abſolutum tot annis preſſit, preſſiſſetque adhuc diutius, niſi illa provocatione excitatus fuiſſet ad illud aliquot annorum ſpatio ſepoſitum rurſus retexendum, cum Commentariis, qui de eadem materia prodierant, comparandum, ac novis luminibus, depromptis partim ex ſua penu, partim ex aliorum ſcriptis, illuſtrandum. Ipſa itaque exaſciati huius operis lectio quemque edocebit, Clariſſimum Auctorem non imparatum ad hanc difficillimam materiam acceſſiſſe, multoque minus in conficiendo illo feſtinaſſe: ſed potius cognitis penſitatisque diu proprietatibus Magnetis, quae adhuc innotuerunt; perſpectis ab aliis ad eas declarandas excogitatarum hypotheſium difficultatibus, comparatoque demum omnis Matheſeos ac univerſae Philoſophiae apparatu, ad rem acceſſiſſe, eamque ita ornare, ut aliorum hypotheſes modeſte, libere, acute examinet, rationibus rationes opponat, ſuas ſententias diſtincte, perſpicue, accurate explicet, idque praeſtare omnibus viribus allaboret.

boret, ut experimenta magneticae vis alia cum aliis optime conſentiant, ac res deducatur eo, ut fere omnia cum ſyſtemate a ſe conſtituto congruant, nullumque ſit quod cum eo manifeſte pugnet. Et quidem *libro primo*, quod octo capitibus conſtat, primum de effluviis magneticis agit, ac docet, magnetis ad ferrum, et ferri ad magnetem acceſſum fieri non poſſe, nec univerſali attractione, nec externi aeris ſaltem craſſioris impulſu. Lectu digniſſima ſunt, quae Auctor hac occaſione, partim contra Muſchenbrokium, Krafftium, omnesque qui maximas contra effluviorum magneticorum ſyſtema difficultates nectunt, partim contra Reaumirium, qui primus de maiori facilitate, qua profluvia magnetica ferrum atque magnetem percurrunt, quam alia corpora, ſubdubitavit, atque Monnierium, qui corpuscula magnetica per ferri meatus aegrius, quam per aliorum corporum interſtitia, transmitti, experimentis confeciſſe ſibi viſus eſt, luculenter diſputat. Stabilitis magneticis effluviis, eorumque maiori facilitate transeundi per ferrum ac magnetem quam alia corpora: tertio huius libri capite, huius maioris facilitatis, indeque genitae refractionis ac maioris velocitatis, rationes et cauſas inveſtigat. Qua in re primo exponit Cl. Euleri ſententiam, qui Carteſiano more attractionem magneticam, indeque profectam directionem et inclinationem, ab aethere ſubtiliſſimo repetit, multisque rationibus contra V. Cl. docet, tam gravia corpora, qualia ſunt magnes atque ferrum, materiae adeo ſubtilis, et nulla fere reſiſtentia praeditae, actione commoveri non poſſe: atque tandem ſuam exponens ſententiam ſtatuit, duo eſſe debere in effluviis magneticis, quibus attractiones magneticae perficiantur: primum idoneam maſſam ad corpora tam magna trahenda, ne videlicet ſit eius raritatis, quam eſſe in aethere rationibus ſubductis docuit Eulerus; ſecundo maximam facilitatem traiiciendi vel ſolidiſſima atque craſſiſſima corpora, adeoque ut haec, quemadmodum certis experimentis efficitur, nullam prorſus, quae in ſenſus cadat, iisdem reſiſtentiam obiiciant. Ex experimentis itaque, et ex theoria, quam in Phyſicae Generalis

Tom.

Digitized by Google

Tom. I. §. 201. et II. §. 502. propoſuerat, colligit A. effluvia magnetica donata quidem debere eſſe vi attractrice mutua ratione habita magnetis et ferri, ex quo fit, ut haec corpora maiori celeritate, quam alia quaecunque, et refractionem ſubeundo permeant; nulla vero nec attractrice nec expultrice reſpectu habito aliorum corporum quorumcunque, unde fit, ut ſine ulla prorſus acceſſione velocitatis aut deceſſione, non per meatus ſolum, ſed per ipſam interiorem eorum ſubſtantiam permeent. Ex quibus aſſumptis, capite quarto rationem reddit propoſitionis illius demonſtratu difficillimae, cur, ſi magneti ferreum inſtrumentum oblongum admoveatur, fiat circa illud magneticus vortex, idque ſecundum longitudinem, ita ut in partibus eius extremis alter exitus, a quo magna vis eorundem erumpit, alter ingreſſus, in quem intrat magna vis illorum, quae a polo exitus eruperunt. Quinto capite, elegans non minus, quam erudita occurrit disquiſitio, quid cauſae ſit, cur ferrum magnetica vi praeditum a magnete differat, cum in aliis, tum maxime in eo, quod poli magnetis utplurimum immutabiles ſint, et quae illius pars boream verſus ſemel dirigitur, eodem ſemper ſpectat, nec admotione alterius magnetis virtutem ſe convertendi ad alterum telluris polum ordinarie acquirat: at poli ferri identidem mutantur, et quod acus magneticae extremum ad alterum magnetis polum affrictum, ad boream ſe antea dirigebat, illud, ſi altero eiusdem magnetis polo tetigeris, ad auſtrum convertitur. Totius mirabilis diſcriminis explicationem ex natura ferri, et experimentis Lemerii, Hombergii, Galleatii, et Muſchenbrokii deducit, mirificeque declarat. Poſt multas eius generis diſquiſitiones, tandem ad eam deſcendit, qua certis rationibus efficit, eſſe in telluris viſceribus ſubſtantiam quandam magneticam, ab altero ad alterum polum pertinentem, quae magneticus nucleus appelletur, et ex hypotheſi, quam in ſequentibus capitibus pluribus rationibus declarat, ſumit, duplicis generis eſſe corpuſcula circa magnetem terrae incluſum rotantia, quorum alia e polo boreali exeant, et circum tellurem con-

 verſa

verſa in meridionalem ingrediantur, alia vero e polo meridionali egreſſa ſe intrudant in borealem. In ultimo huius libri capite disquirit A. cur circa magnetem et ferrum vortex gignatur et conſervetur; deinde polorum naturam accuratius declarat, in eoque poſitam eſſe docet, quod ex apicibus et angulis huiusmodi corporum aut ſolum exeunt unius generis corpuſcula, aut ſolum in eos ingrediuntur, cum ex aliis inter polos interceptis magnetis et ferri partibus, indiſcriminatim tum egrediantur, tum in eas ſe inſinuent. In Libri IIdi capite primo agit A. de motu ſolidi intra fluidum, atque ſecundo, capite de attractione magnetis atque ferri. Docet ex vorticibus conſtitutis, atque ex eorum viribus, cur duo magnetes, ſi eorum poli binomines ſint obverſi, ſe mutuo trahant, ſi eiusdem nominis, ſe viciſſim repellant, cur attractio ſit fortior repulſione, ſed ad minus intervallum pertineat. Declarando eadem ratione attractionem ferri et magnetis, ſimul explicat diſcrimen, quod ad multa magnetis phaenomena intelligenda maxime neceſſarium, inter ferrum virtute trahendi carens, interque illud quod eadem praeditum eſt; tandemque ad duas Muſchenbrockii ac Krafftii rationes, adverſus ſyſtema effluviorum prolatas, reſpondet, easque refutat. In tertio Capite totus occupatus eſt in declaranda vi directrice Magnetis et acus Magneticae, phaenomenis inde pendentibus, atque expendendis experimentis, partim ab aliis, partim ab ſe inſtitutis, circa modum, quo inſtrumenta ferrea magnetica vi imbuuntur. Et quidem primum examinat vim directricem acus ad Polos magnetis, et inde profectam inclinationem, cum polis inſiſtit ad perpendiculum, deinde cum ad aequatorem magnetis transfertur, et initium facit ab iis, quae contingere debent, dum acus circa parvum rotundum aut ellipticum magnetem convertitur; ubi duos diſtinguit eventus, alterum acus, cuius longitudo ad longitudinem axis magnetis rationem habet finitam, ut contingit cum acus unius aut paucorum pollicum ad parvos Magnetes applicatur, alterum illius, cum longitudo ſit inſtar puncti, ratione habita axis eiusdem, cuiusmodi eſt acus unius

Digitized by Google

unius aut paucorum pollicum, collata cum terreſtri magnete. Hinc ratio petitur pro duplici vortice, et ab obiectis Clar. Fayi vindicatur. Deinde tractat A. de directione et inclinatione acus verſus polos parvi magnetis, eamque conſiderat poſitam extra magneticum aequatorem, et ex conſtitutis vorticibus ac lineis, quas corpuſcula magnetis peragrare ſtatuta ſunt, hinc inde aut ab axe polos coniungente, aut ab aequatore ratio petitur plurium experimentorum, ab Auctore inſtitutorum cum acu magnetica, quae aliter atque aliter inclinatur, dum per lineas axi ad perpendiculum inſiſtentes, et ab aequatore aeque diſtantes, retrahitur in diverſis a polo magnetis aut ab aequatore intervallis. Quae hoc capite de magneticae acus ad magnetis polos directione et inclinatione demonſtrata ſunt, ea facile ad terreſtris magnetici nuclei polos transferuntur. Fuſius itaque Cl. A. haec tractat, examinando Virtutem quam acus aut oblongi ferrei inſtrumenti extremum ad polum magnetis affrictum acquirat. Qua in re primum in quolibet magnete aut acu magnetica deſignat polum S, ſive ſeptentrionalem, qui ſeptentrionem verſus dirigitur, et M, ſive meridionalem, qui ad meridiem tendit. Atque cum ad ſeptentrionem vertatur polus ille magnetis, aut magneticae acus, qui admittit corpuſcula quae a polo boreo terreſtris magnetis effluunt, et per lineas curvas ſe conferunt verſus meridionalem, et contra ad meridiem ſe vertat, qui corpuſcula a polo meridionali eiusdem magnetici nuclei profecta, et ad boream tendentia: hinc concludit, extremum acus tactum polo M parvi magnetis, acquirere polum S, quia ſe vertit ad boream, et alterum extremum non tactum comparare vim poli M, quia ſe convertit ad meridiem, et extremum fili affrictum ad S magnetis, trahere polum S acus, et repellere M, alterum autem non affrictum allicere M acus, et fugare S. Ex quibus efficitur, borealem magnetici nuclei terreſtris polum, et meridionalem aliorum magnetum emittere corpuſcula eiusdem generis, quemadmodum et meridionalem illius atque horum borealem. Quodſi polo S aut M magnetis medium acus imponitur, ex conſtituto ſyſtemate colligit Auctor Cl. utrumque

que extremum adipiſci vim trahendi eundem polum acus, aut M, ſi acus medium polo S imponatur, aut S, ſi contra: id quod experimentis confirmat, admovendo filum ad polos acus, et acum ita affrictam imponendo ſtylo; nam haec non cum meridiano magnetico verſus boream et meridiem, ſed cum aequatore orientem verſus atque occidentem congruere obſervata eſt. Tandem A. explicat rationem, qua alia ferri inſtrumenta, praeter acus et fila oblonga, virtute magnetica inficiantur, et in qua parte, quique poli excitentur. Tria hic notatu digna obſervat. Primum concernit inſtrumenta, quae pluribus angulis conſtant, ut ſunt laminae quadratae aut rectangulae, qui anguli omnes virtute poli donantur: alteram in annulis circularibus partem polo tactam virtutem acquirere trahendi polum acus, qui a tacto polo magnetis repellitur: alteram autem e diametro oppoſitam virtutem comparare alliciendi polum acus, qui allicitur a polo magnetis, cuius ſimile in electricis effluviis contingere ex Grahyo et ex Muſchenbrokio notat. Tertium eſt in globis ferreis virtutem magneticam et polos excitari cum adhuc magnetico coniuncti ſunt, interire autem ſimul ac disiunguntur, cuius rationes dum exponit, ea, quae de indole effluviorum magnetis tendendi ad cuſpides atque extrema in ſuperioribus diſputavit, luculentius confirmat, atque differit fuſe de tempore in imbuendis virtute magnetica ferreis inſtrumentis inſumpto, et de differentia inter attractionem et directionem acus in plano poſitae, et acus ſupra ſtylum aequilibratae. Quarto Capite huius IIdi Libri accuratius adhuc de directione acus ad terreſtris magnetis polos agit. Orditur illud ab experimento proprio, quod in eo poſitum eſt, ut ubi pyxidem ita collocabat, ut acus magnetica, extremis quibusque ad ſuum terreſtris magnetici vorticis polum converſis, axi pyxidis inſiſteret, ſeu cum ea congrueret, et deinceps invertebat extrema, nihilominus acus congrueret cum axe, adque in eo ſitu quieta maneret, at ſi vel hilum retrahebatur ab axe, continuo extrema ad ſuum quaeque polum telluris converterentur. Deinde progreditur ad illud

phae-

Digitized by Google

phaenomenon acus, quae eo maiori vi reſiſtit, quo a meridiano magnetico longius recedit, et propius accedit ad aequatorem. Ex his rationem elicit experimentorum, quae cum duabus acubus a Cl. Hirio factae fuerunt, illius inprimis, in quo, cum uteretur pyride, cuius peripheria in 360 gradus more vulgari diviſa erat, advertit, polum borealem acus ſupra ſtylum poſitae, et cum gradu 360 congruentis, verſus occidentem 41 gradus repulſum fuiſſe a polo boreali acus aequalis ſupra vitrum iacentis ſecundum longitudinem inferioris acus, ita ut polus borealis unius propior foret boreali alterius et auſtrali, et altior ſolum tribus lineis. Cum vero etiam ſuperior acus impoſita fuit ſupra ſuum ſtylum, qui ſtylo inferiori inſiſteret, et cum illo unam rectam ad baſin perpendicularem faceret, poſt aliquot oſcillationes ambas obſervavit quieſcere in eo loco, in quo boreales utriusque ad borealem telluris ſpectarent, ſed 46° a ſe invicem, et aequaliter utrinque a meridiano, hoc eſt 23. gradus diſtarent. Atque deinde, poſt traditam rationem celeberrimi experimenti *vectis ferrei*, qui ob unum perpendicularem ſitum vim in extremis acquirit in ſummo trahendi borealem acus in imo auſtralem, a Fayo inſtituti, pluribus experimentis docet, fieri poſſe, ut idem ferri extremum vi attractrice et directrice utriusque poli donetur; atque ſimul indicat, quanta diligentia ac patientia ad inſtituenda eiusmodi experimenta opus ſit; praetereaque notat, de virtute ferreae ſcobis trahendae ac dirigendae a ſe adhuc non diſputatum eſſe ideo, quod ea, quae de ferreis fruſtis dicta ſunt, ad illam quoque pertinent, neque proinde animum ſibi fuiſſe de iis diſputandi, niſi Cl. Monnierius ab illius attractione quidquam adverſus magneticos vortices, et facilitatem, qua corpuſcula ferri meatus transmittunt, elicuiſſet. His commotus, Capite quinto de ea agit, difficultatibusque inde petitis Cl. Monnierii ſatisfacit. Hac parte libri de magnete abſoluta, occaſione itineris inſtituti, longam ac eruditam diuque a ſe expetitam tandem nactus eſt Cel. Muſchenbroekii de magnete disquiſitionem. Multa ipſi in ea perlegenda occurrerunt, quae in

 hanc

hanc diſputationem conferenda videbantur. Ne itaque labor iam perfectus iterum retexendus eſſet, omnia ea, quae in illo praeſtanti opere notavit, in ſextum ac ſeptimum Caput congeſſit. Totus vero in iis capitibus eſt, ut experimenta a Muſchenbrockio prolata, ex conſtitutis magneticis vorticibus explicet, nihilque eam disquiſitionem continere, quod illos evertat, illisve contrarium ſit, declaret. Multa in ea disquiſitione notatu digniſſima occurrunt, inprimis cum Cl. Auctor, ſerie et ordine experimentorum Muſchebrokianorum, ad acus nauticae ab orbis terraquei polis declinationem deducitur, atque in hac, quae aliis dignitate non concedit, utilitate etiam praeſtat, proprietate declaranda verſatur. Quam, examinato in anteceſſum, in fine libri ſecundi, libro inſcripto: Traité ſur les Aimans artificiels - - - traduits de deux ouvrages Anglois de I. Michell et I. Canton par le P. Rivoire, aggreditur explicandam libro IIItio, in quo non ſolum de declinatione magnetica ab orbis terraquei polis, ſed etiam de inclinatione eiusdem ad eosdem agit, monens, difficultatem in eo circa hanc materiam poſitam eſſe, quod cum hae ſint aliae in aliis terrae locis, eodem tempore, et aliae aliis temporibus in eodem loco, nondum tot obſervationes eſſe factas, quae ad aliquod ſyſtema conſtituendum ſufficerent, praeſertim quod attinet ad inclinationes, quibus accurate capiendis etiam diligentiſſimi et acutiſſimi viri fere usque ad hanc aetatem idoneis inſtrumentis caruerunt; et quamvis nunc admodum apto inſtructi ſint, tamen illud paucis abhinc annis demum excogitatum eſt, ita ut induſtriis viris magnum obſervationum numerum illius ope nondum colligere licuerit. Quare Auctor Cl. ingenue fatetur, ea quae hic diſputet, non oportere haberi loco explicationis, vel theoriae, ſed tentaminis earundem, in eum finem ſuſcepti, ut acutiores ad certiora invenienda incendantur. Capite primo generales expendit cauſas declinationis magneticae acus. Qua in re amplectitur Halleianam hypotheſin terreſtris magnetici nuclei, et quatuor polorum, quorum duo boreales ſint, duo meridionales. Hac hypotheſi conſtituta, primum differit

differit de declinatione, quae a duobus polis ſeptentrionalibus oriri debet, et poſita 16 graduum unius poli magnetici borealis ab arctico telluris, et 12° diſtantia alterius, ſumit primum in ſuperficie telluris duo puncta in eodem meridiano, alterum in maiori, alterum in minori a polo eiusdem telluris diſtantia, et in diverſis utriusque magnetici poli poſitionibus; ex quibus fit, ut circuli maximi per magneticos polos et per arcticum ducti cum meridiano, in quo duo illa puncta ſumuntur, ad angulos diverſos concurrant. Ex tabulis ſinuum rationes init inter diſtantias eorundem punctorum a polis magneticis, et inter ſinus angulorum, quos cum meridiano faciunt maximi inter illa puncta et magneticos polos ducti circuli, in quibus diſtantiae punctorum ab iisdem polis accipiuntur. Deinde plura ex his calculis colligit pro definienda directione acus magneticae, quae in dictis punctis fuerit collocata. Et primo attendendam eſſe docet tum magnitudinem vis, pendentem a maiori vel minori diſtantia eiusdem acus a quolibet polo, tum ſinuum angulorum, quos cum eadem dicti arcus maximorum circulorum faciunt; eo quod acus eſt inſtar vectis, cuius extremum a duobus polis magneticis hinc inde attrahitur: deinde plus eſſe declinaturam acum a puncto minus a polo telluris diſtanti, quam in eo, quod longius abeſt in eodem meridiano; demum lineam declinationis expertem, quae inter utrumque polum interponitur, non congruere cum meridiano, ſed eum ad angulos acutos ſecare. Quo vero magnitudinem declinationis ex calculis accuratius definiat, alia quaedam ex dictis calculis colligit, pro definienda qualitate declinationis, et alii inſtituuntur ad maximam a polo arctico declinationem definiendam, in hypotheſi, quod acus ſit in diſtantia 30° a polo telluris, et quod vires polorum creſcant in ratione inverſa duplicata arcuum terreſtrium in ſuperficie terrae ſumptorum, qui inter polum magneticum et acum in aliquo ex dictis punctis collocatam intercipiuntur. Tum ponendo (*vide Figura*) P. polum telluris HP, meridianum et acum in H, B et S magneticos polos, BP, SP arcus maximo- *Tab. V.*

 rum

rum circulorum inter polos magneticos et polum telluris interceptos HB, et HS ſimiles arcus inter acum poſitam in H et polos B et S ultro citroque poſitos, docet, ubi rotatione polorum angulus BPH fit minor angulo circiter 40°, in quo maximam declinationem invenit, declinationem verſus polum magneticum a polo telluris P minus diſtantem ita imminui, ut eius ad polum P regreſſio ſub ſenſus cadere debeat: ubi vero poli B et S rotando ad planum meridiani HP pervenerunt, alter B ad punctum R ſummum, alter S ad punctum imum E, omnem declinationem ceſſare: at cum denuo poli ab eo meridiano digredi incipiunt, et B verſus locum L, et S verſus M ſe conferre, tum acum rurſus declinare, ſed aliam in partem, ſcilicet verſus L, quorſum polus B a meridiani ſuperiore parte R diſcedens tendit, eiusque declinationem tamdiu augeri, quamdiu angulus SPH maior 40 gradibus circiter non fiat: cum denique poli ab hoc angulo diſcedunt, de angulo declinationis deceſſionem aliquam fieri, eamque tamdiu continuari, quamdiu polus S verſus M adhuc infra horizontem ſit, et paucos ab eo gradus abſit: ab eo denique puncto, ubi nullam eſſe iterum declinationem oſtendit verſoriam, verſus M iterum declinare, et in acceſſu poli S ad M declinationi novos usque ad certum aliquem angulum gradus accedere, a quo angulo decreſcens declinatio tandem evaneſcet, cum poli denuo ad meridianum deducentur. Unde colliguntur varia. Primo acum pyxidis in integra polorum converſione quater recta ad polum P dirigi (*vide fig.*), bis, cum eſt interiecta inter utrumque polum S et B, hoc eſt poli ſunt utrinque prope horizontem, ſemel, cum B eſt in orientali plaga, et S in occidentali, iterum, cum e contrario; bis vero cum poli ſunt in meridiano HP, alter in inferiori, alter in ſuperiori parte, ſemel, cum B eſt in puncto R ſummo, et S in puncto E imo, iterum e contrario, cum B eſt in R imo, et S in E ſummo: deinde quater acum declinare, bis verſus orientem, et bis verſus occidentem, easque ſingulas declinationes interpoſitas eſſe inter duos ſitus, in quibus acus recta dirigitur ad polum P, et in iisdem primo acceſſio-

Digitized by Google

acceſſionem animadverti, et deinceps deceſſionem. Poſtea diſcrimen obſervari inter duas declinationes, quae fieri incipiunt cum poli in meridiano poſiti ab eodem digredi incipiunt, interque alias duas, quae accidunt poſtquam acus facta eſt expers declinationis, quia inter utrumque polum interpoſita erat, quod in primo poſitu acus ſequitur curſum polorum, ſeu potius poli ſuperioris, et illorſum declinat, quorſum ille polus tendit, ſive occaſum verſus, in altera autem in contrariam partem, ſive orientem verſus. Qua in re parum momenti non eſt, eo quod inde, una cum declinationum obſervationibus, in conſequentibus colligit Auct. Cl. magneticum nucleum eiusque polos occaſum verſus converti. Quae aſſumpta ab auctore ingenti numero triangulorum ſphaericorum, quae reſolvit, illuſtrantur, atque tandem, ut fructus totius laboris immenſi percipiatur, examinat, quantam oporteat eſſe declinationem maximam ſecundum conſtitutas hypotheſes; et reſolutis iterum multis triangulis ſphaericis, elicit, hanc maximam declinationem ibi eſſe ad angulum circiter non 40, ut ante, ſed 45°, eamque ſolum eſſe 12°. $\frac{1}{2}$, et quidem virtute poli magnetici a polo telluris longius diſtantis. Plura, eaque maxime curioſa, nec multum ab obſervationibus Pariſienſibus abludentia, in ipſo auctore legenda commendamus, ubi et dubia, quae contra methodum proferri poſſent, diluta, et quae iis calculis inſtitutis in hac cauſa conſequi voluit auctor Cl. exacte definita inveniuntur. Neque opus iudicamus ut multis recenſeamus, quae fuſe, de integra polorum converſione in motu et in declinatione uſu venire docet, et qua lege declinatio a duobus meridionalibus polis terreſtris magnetis oriatur: de iis enim iudicium ex anterioribus fieri poteſt, curioſique harum rerum Caput III. huius libri conſulere poterunt. Poſt conſtitutam tot experimentis, ratiociniis, ac calculis illuſtratam Magnetis eiusque proprietatum theoriam, Cap. IV. huius libri tandem auctor Cl. obſervationes declinationum, tanquam lapidem theoriae lydium, ſubiicit. Ipſae declinationum Tabulae, quae in hoc libro eduntur, deſumptae ſunt

Digitized by Google

ex Muſchenbrokio de magnete, ex P. Amort in Philoſophia Pollingana, de falſitate Syſtematis Copernicani, ex obſervationibus Math. et Aſtron. coll. a P. Souciette, et Comment. Acad. Pariſienſis et Londinenſis. His adduntur aliae, contextae ex obſervationibus plurium auctorum, qui recentiſſime de hac re ſcripſerunt, et ex iis, quas Cl. Viri in pluribus Italiae civitatibus, ab auctore rogati, recenter inſtituerunt. Comparet etiam Tabula declinationum pro omnibus maribus fere, de anno 1700, auctiorque de anno 1744. Tabulas Pariſienſes declinationum ad annum 1728. continuavit auctor usque 1758. et addidit etiam tabulas declinationum communicatas a P. Panigai S. I. Matheſ. Prof. quae a Viro doctiſſ. confectae ſunt ex obſervationibus, quas annis 1749. 1751. 1752. una cum P. Steph. Brancieri inſtituit in ſuo itinere Braſiliam verſus, cum ambo iuſſu regis Luſitaniae illuc proficiſcerentur. Longius iam eſt theoriae traditae examen, ad haſce tabulas, tantaque proponuntur in eo, quae vix in compendium redigi poſſunt, una cum concluſionibus magni momenti ex iis deductis, quaeque reliqua huius libri IIItii capita conſtituunt, tanto acumine conſcripta, ut quemvis naturalem Philoſophiam excolentem ad ea perlegenda in ipſo auctore excitare queant. Ultimus tandem Liber conſtat IV. capitibus, in quorum primo auct. Cl. redit ad examen experimentorum Muſchenbrokianorum, et quidem Capitis IVti ſupra memoratae diſſertationis, illudque perſpicuum reddere allaborat, Syſtema effluviorum etiam cum experimentis ab eo allatis congruere. Capite dein IIdo agitur de ſitu, in quo virgae et alia oblonga inſtrumenta percutienda, ut vim acquirant magneticam, in quo plura Magnetis proprietatum phaenomena, ſumpta ex quinto capite Muſchenbrokianae diſſertationis, explicantur. Capite tertio obiectionibus nonnullis Muſchenbrokii et Monieri ſatisfacere conatur; et quarto, quod eſt ultimum totius operis, plura congerit auctor Cl. experimenta ac obſervationes Cl. Fayi, Buachii, Krafftii, Gellerti, eorumque ex ſyſtemate ſuo explicationes ſuppeditat. In explicando Cl. Gel-

lerti

Digitized by Google

lerti miro et difficillimo phaenomeno, Euleri V. Cl. explicationem, quam in his Actis noſtris dedit, examinat ac refellit; et tandem ſub examen revocat librum, quo Cl. Ioannes Rinaldus Carli, Publicus Nauticae et Geographicae in ſtudio Patavino Profeſſor, declinationem acus magneticae ſingulis diebus a nautis poſſe cognoſci docet. Plura, longeque praeſtantiora, Opus hoc praeſtantiſſimum continet capita, quae hic neque delibavimus. Cum itaque labores Cl. Auctoris, quos tam vaſtis voluminibus cum orbe erudito communicat, eo potiſſimum ſpectent, ut Philoſophiae naturalis difficillima capita in maiore luce ponantur: nulli dubitamus, fore ut omnes, qui nobiliſſimae huic ſcientiae favent, eamque promotam cupiunt, Viro Clariſſimo, ex animo, et corporis et ingenii vires ardentiſſime expetant, quo non ſolum eminens Philoſophiae naturalis particularis Opus, ſed etiam alia ingenii monumenta, animo iam complexa, orbi erudito impertiri poſſit.

DE NUMISMATE AUGUSTI AUREO, FORMAE maximae, ex ruderibus Herculani eruto, et Praefationi Tomi II. picturarum ſubiecto, Libellus IOSEPHI KHELL e S. I. Bibliothecae Garellianae et rei antiquariae in Conlegio Thereſiano Nobilium docendae Praefecti, Academiae Hetruſcae Cortonenſis Socii.

Viennae, typis Io. Th. de Trattnern, plagg. 3. quaternis.

Credimus, Lectoribus noſtris gratam nos rem facturos, ſi, excerptorum loco, omnem hanc, quam indicavimus, doctiſſimi *Khellii* commentationem, hic exhibuerimus. Antiquariae, igitur et numariae rei, quae in hoc Viro eſt, praeclaram atque perfectam ſcientiam, norunt docti homines omnes; et qui haec legerint facile intelligent, de hoc

hoc Auguſti numismate, non potuiſſe aut iudicari elegantius, aut praecipi ingenioſius. Sunt autem praecepta Auctoris haec.

„Obtulerunt nobis Cl. Cl. Academici Herculanenſes, ad calcem praefationis Tomi II. Tabularum, ſi tabulas recte ea pictorum opera nominare licet, quae murorum tectorio conhaerent, elegantiſſimum Auguſti numum formae maioris ex auro flatum, cuiusmodi Cometa, ut ita loquar, nunquam in coelo antiquario hactenus comparuit: de primo eo Seculo ſcribo, cuius nullum maioris moduli aureum nec eruditiſſimi Vaillantii de praeſtantioribus Impp. numismatibus liber, etiam Romae auctus, in lucem protulerat; quarti enim Seculi Valentis Imp. numum eiusdem metalli, LI. aureos Hungaricos adpendentem, cum nuper a Franciſco Aug. emtus erat, manibus tractavi, pondere ſuo ſane magnificum.

Ut huic omne pretium a mole adcedit, ita neque alterum, praeter ſolam magnitudinem, commendat aliquid, quam ſtudioſa in abſentes numophilos, cum Academicorum, tum digniſſimi Praeſidis voluntas, atque ex ſingulari benevolentia profectum conſilium, ut ſcilicet huiusmodi bellariis nonnunquam praeguſtationis more propoſitis, Tomos conſecuturos avide expectantium patientia aliquandiu leniretur. Nihil detraxi Herculanenſi numismati, cum eius omnem laudem intra dimenſionis amplitudinem conſiſtere definivi; etenim Dianae gradientis ſignum, cum epigraphe SICIL, variato adclamati IMP. tituli numero, aureae minores, atque argenteae monetae complures repraeſentant.

Quamvis typus hic non eſt de rarioribus, videtur tamen eruditis antiquariis ſpinam aliquam defixiſſe: dubitare nempe, atque prudenter quidem, mihi videntur, an quae hactenus de caelatura hacce procuſae ſunt ſententiae, bene ſibi conſtent; quae ipſa haeſitatio, et nequaquam inane quoddam novitatis ſtudium eas induxerit, ut duabus anterioris temporis opinionibus, tertiam aliquam ſuam adiicerent.

Singu-

Digitized by Google

Singulas recenſebo. Cl. Vaillantius arbitratur, numos hos typi fere ſimilis, neque enim de unico Herculanenſi aureo res eſt, ob titulum IMP. VIII. quem anno V. C. 733. adfigit, Auguſti honoribus conſecratos eſſe, quod Siciliam compoſuit. Havercampius cum aliis numismata hoc ſigno percuſſa ad victorias Auguſti Siculas, atque illam potiſſimum, qua Pompeii claſſis anno V. C. 710. peſſime ad Mylas adtrita eſt, retulit. Herculanenſes, pro cruento caelaturae argumento amoenius alterum ſubſtituunt, ſcilicet Poema Auguſti de Sicilia conpoſitum.

Harum coniectionum nullam mihi probari dum oſtendo, nihil tantorum virorum nomini detraho, quin illorum imperia et nutus exequor, qui numariae rei peritis honeſtiſſima indulgentia permiſerunt, ut ſententiam liberrime edicant. Quae ex ipſa ratiocinatione enaſcetur opinio mea, id meritum habebit, obtenturam illam tam diu, dum melius aliquid in publicum proferatur: novi enim quam optime, facilius multo eſſe aliena evertere, quam propria ita ſtabilire, ut contra adgreſſiones omnes ſint tuto obvallata.

Quivis facile videt, quamque huius trigae ſectam id tanquam certiſſimum habere, Dianae ſigno Siciliam repraeſentari. Hoc praeiudicium antequam ſubruam, mirari ſatis non poſſum volubilitatem antiquariorum quorundam, parum hac in re Romanae in re monetaria conſtantiae adſuetorum, quibus ſigna eadem, ut nempe explicatio procudatur commodior, diverſa admodum, de quibus ſuis in officinis IIIviri ne ſomniaverint quidem, indicare debent: neque ab hac labe eximius eſt Vaillantius.

Exemplum dabo: eadem Diana venatrix, quae in Auguſti, de quibus agimus, monetis, Siciliam repreſentat, ſe ſiſtit in Numo Nervae argenteo ita inſcripto: *COS. II. DESIGN. III. P. P.* Quid hic vir eruditiſſimus? iisdem verbis T. II. editionis Romanae pag. 113. quibus in Pariſina pag. 118, haec lego: *Dianae venatricis typus in numis Romanis inſolens, ad deſignandam Nervae patriam percuſſus videtur, de qua Victor:* Quid enim Nerva Cretenſi prudentius,

 tius,

Digitized by Google

tius, magisque moderatum? *Nemo neſcit, Dianam a Cretenſibus maxime cultam etc.* cedo, an non conveniſſet potius ad Pamphiliam referre, quod illico templum Dianae Pergaeae in conſequente numo obiicitur?

Ad rem venio. Non inſolens ſolum, ſed praeter omnem IIIvirorum monetalium morem erat, provincias aut urbes ſignis deorum, dearumve maioris ordinis, indicare, idque tam ante Auguſtum, quam eo vivente, atque poſteriori etiam aetate: quare fruſtra in praeſente aureo, ſub Dianae, ut ita loquar, perſona, Sicilia confingitur. In familia Aemilia primum ſe obſert Alexandria, caput turritum, quod antica habet, nequaquam Cybelem ipſe exiſtimat Vaillantius, ſed ſolitam urbium repreſentationem: In moneta gentis Fufiae Italia et Roma dextras iungunt, nempe duas mulieres, quarum altera cornu copiae, altera ſceptrum gerit, fine minima numinis ſuſpicione contuemur.

Quivis obſervaverit, me ſtudioſe ſelegiſſe eiusmodi monetas, in quibus provinciae aut urbis nomen caelatum erat, quod etiam deinceps faciam, ne ſcilicet ex vaga Vaillantii, aut aliorum coniectione, aliquid minus firmum ad adſertionem meam ſtabiliendam adferrem. Ceterum ſi anepigraphos etiam numos adhibere libuiſſet, familia Poblicia ſub muliere, ſcuto et duobus ſpiculis armata, Hiſpaniae imaginem mihi ſubpeditaſſet.

Quid quod in gente Claudia et Pompeia commodius etiam argumentum inveniſſem; tribus diverſis ſignis Sicilia in his indicatur, in illa quidem per triquetram tribus ſpicis ornatam, in hac primum per fratres Catanenſes, deinde per Scyllam: miror ſane, monetariis, et quidem vivente Auguſto, in mentem non veniſſe Dianae venatricis, quam tamen paullo poſt cum eiusdem Imperatoris capite tam liberaliter procuderunt. An non vel ex his monumentis, quibus addi poteſt numus Iulii Caeſ. ad familiam Allienam relatus, an non, inquam, rectius inferam, quoties Romani monetarii certo Siciliam in pecunia obiicere volebant, aliis ſemper typis uſi fuerant; quare cum diverſum, atque deinceps

etiam

Digitized by Google

etiam inſolens ſignum hic compareat, nihil de Sicilia cogitaverint.

Erit qui ex denario gentis Liciniae apud Vaillantium Iſidem pro Africa ſignatam obiiciet: aſt Iſidis ſignum eſſe confidenter nego. Omitto, quae Inluſtriſſimus Comes Caylus T. II. et III. *Recueil d'Antiq.* luculenter docet, plerumque hactenus antiquarios in definiendis Oſiridis Iſidisque ſtatuis fuiſſe deceptos, quod utriusque ſexus Sacerdotes pro numinibus, quibus conſecrabantur, habebant, ipſae hoc in numo compendiariae epigraphes notae G. T. E. A. ſatis Genium tutelarem Africae produnt, quemadmodum in aliis Genium P. R. intuemur.

Ad Auguſti et ſubceſſorum monetas progredior. Ad annum V. C. 732. iuxta chronologiam ſuam Mediobarbus, atque adeo ad annum proxime praecedentem quo Diana primum pro Sicilia percuſſa fuiſſet, argenteum numisma refert, *HISPANIA* inſcriptum, ſed pro Dea mulierem ſubcinctam ſtantem, d. duas ſpicas, ſ. duo ſpicula cum ſcuto gerentem videmus denique, quae repraeſentatio tam conſtans, ut eodem habitu in Galbae numis redeat; eodem anno quo Diana venatrix, cum epigraphe *IMP. LX.* malleum ſubivit, Armenia in numis conſpicitur, neque tamen ſub numinis alicuius perſona, ſed figura cultu patrio veſtita.

Praetereo Galliam, immo tres Gallias, in Galbae monetis, nequaquam Amphitriten, ſed mulierem ſtantem ad proram navis, d. gubernaculum tenentem cum inſcriptione: *BRITANNIA*, coniunxerunt IIIviri monetales. Similis ad ingenium inſulae ſub Hadriano coeptus eſt typus, qui eam rupibus inſidentem, d. ſignum militare ſ. haſtam tenentem, ſub Antonino Pio, Commodo, ad Severum usque repreſentat. Ne taedium lecturis adferam, ſolos numos Hadriani inſpiciant velim, edicantque, an in illis provinciarum nomine ſignatis: *AFRICA*, *ASIA*, *CAPPADOCIA*, *DACIA*, *MAVRETANIA*, *PARTHIA*, *PHOENICE*, *SCYTHIA*, aliquid praeter muliebre ſignum cum regionis adtributis deprehendere poſſint.

Gggg 2 Redeo

Digitized by Google

Redeo ad Siciliam: iterum haec in numo Antonini Pii legitur, nihil de Diana etiam hic videbis, dum Britanniae typus ſibi ad Severum conſtitit, ſignum muliebre videtur ſpicis coronatum, d. Lauream, ſ. haſtam retinens. Ne quis rurſus cum antiquariis nonnullis flavam Cererem conclamet, caveat, divae iniuriam inferat, etenim femina, quae in Hadriani numo cum epigraphe *RESTITUTORI SICILIAE* in genu procumbens ab Imperatore erigitur, ſpicea item corona redimita eſt; ne Graeci quidem, qui urbes et provincias deorum dearumve ſimulacris repraeſentabant, ea ad ſuplicis geſtum habitumque detruſerunt, quaero an ſuperſtitioni ad inſaniam deditis Romanis ſimile piaculum in mentem, et quidem in monumento publico venire potuerit?

Infinitus pene forem, ſi *Adventus*, *Reſtitutiones* provinciarum ſub Hadriano, regiones alias ſub principibus conſequentibus referrem: ſatis arbitror, hac turba teſtimoniorum quivis de moribus Romanorum convictus erit non ſolum, ſed didicerit etiam, nunquam temere hoc in argumento pronunciandum eſſe aliquid, niſi diligenti monumentorum comparatione inſtituta, qua in opinione ut ſemper eram, ita ab eruditiſſimis commentariis Inl. Caylus et Pellerin in dies magis confirmor.

Verum, inquiet aliquis, cur demum *SICIL* numiſmati aureo atque argenteis etiam aliis ſubſcriptum? quidve tandem de Dianae ſigno fiet? quid dicendum probabiliter? de epigraphe agam inferius, prius alia quaedam, per quae via dicendis paretur, praemittenda exiſtimavi; id interim velut per tranſennam quaero, cur in numo Nervae cum venatrice dea non eadem inſcriptio legitur? an Romani artifices hoc uno in loco a ſua comprobata conſtantia deſciverunt? an forſan ſatis in vulgus iam notum erat, quemadmodum de aliis virtutum, ut Liberalitatis, Providentiae, etc. typis, ſub gradiente Diana Trinacriam ſemper intelligi debere? aſt cur tum expertisſimus antiquarius imaginem ad Cretam retuliſſet? cur non in Nervae moneta paucae literae *CRET.* exaratae, ſi deos primi ſubſellii provinciarum hieroglyphicis fabri

fabri monetales adhibuerunt? ſi quis iterum importunum illud *SICIL* obtruſerit, idem, ſed ex numo Aquilii Flori III-viri cum Auguſti capite ſignati, in interpellatoris caput reiicio, nec Proſerpinam nec Dianam caelatam hic video, ſed mulierem ſeminudam, quae a viro armato erigitur, ſimili nempe typo inſulam repraeſentavit Aquilius, quo in alio argenteo patrio habitu Armeniam flexo genu caelari fecit.

Ad alterum reſpondeo: nihil aliud de ſigno Dianae fiet, quam exemplum ſtatuae tum recens dedicatae. Laborem hoc in argumento non parum mihi levavit Cl. le Beau, Academiae Pariſinae Inſcriptionum membrum digniſſimum, qui VI. libellis Tomo XXI. et XXIV. inſertis luculenter comprobat, epigraphen: *REST.* compluribus numis ſub Tito, Domitiano, Nerva, Traiano inſcriptam, non tam typarii vel monetae reſtitutionem indicare, ſed eorundem ipſorum publicorum operum, quorum imagines in metallo caelaverant. Fluit haec ratiocinatio ſua ſponte ex ingenio, an inſania Romanorum, qua in monumenta huiusmodi, ſtatuas, et minora etiam ſigilla, ferebantur. Duo ſolum Plinii loca adducam: L. XXXV. c. I. dum haec ornamenta *montium deficientium ſubſidia* nominat, ſubiicit: *nec ceſſat luxuria id agere, ut quam plurimum incendiis* (quibus ſcilicet urbs ſaepius erat ſubiecta) *perdat.* L. XXXVI. c. 15. ubi aquae virginis magnificam deductionem ab Agrippa factam deſcripſit, *operibus*, ait, *iis ſigna trecenta aerea aut marmorea impoſuit.*

Arbitror, ſi Romani monetarii eam aeſtimationem refectis operibus impenderunt, ut eorundem aeternitatem etiam apud poſteros in pecunia conſervatam voluerint, maiori eos ſtudio recens dedicatas ſtatuas, aedes etc. confectatos fuiſſe, ut ſcilicet eorundem magnificentia ad exteros etiam, per commercium, cum Romani nominis gloria quam citisſime perferretur? Idque propterea potiſſimum, quia hic labor non ſolum genio eorundem, ſed poſteriore etiam tempore principum voluntati, quam maxime erat conſentaneus; indolem ad imitationem praecipue Graecorum aut recentium operum plurimum propendiſſe, non uno loco per

Digitized by Google

praeſtantiſſimos ſuos commentarios: *Recueil d'Antiquités*, nobis demonſtrat omni laude maior Ill. Comes Caylus, ſtatuis non contentos, ad gemmas etiam progreſſos eſſe ſculptores formarum monetalium, apud eundem leges Tomo III. pag. 162. Quod principum voluntatem ſpectat, cum de Auguſto hic nobis res ſit, ita de eo Suetonius C. 29. *Ceteros principes viros ſaepe hortatus eſt, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis et excultis, urbem adornarent.*

Hactenus dicta novo aliquo argumento, quod in Cl. le Beau lucubrationibus me legere non commemini, ſtabilire placet. Occurrunt inter numos Familiarum non pauci, quibus adiectum eſt: *Ex. S. C.* ita caput Dianae in familia Aemilia repraeſentatur apud Vaillantium *Tab. V. N.* 22. Camelus cum rege Areta *Tab. VII. N.* 44. Herculis protome in Apronia *Tab. XXI. N.* 4. Capita Neptuni et Iovis in Caecilia *Tab. XXIX. N.* 22. In Fabia Iunonis Lanuvinae *Tab. LXI. N.* 12. Tropaeum navale cum Victoria in Fulvia *Tab. LXVII. N.* 16. Statua equeſtris in Papiria *Tab. CV.* 4. etc.

Profecto minime opus erat, ut poteſtas cudendae monetae argenteae IIIviris facta ipſis characteribus deſignaretur, ſatis eorum auctoritas ab Senatu profecta Romanis fuerat perſpecta: exiſtimo, quia paucioribus hae notae impreſſae fuerunt, ſingulare quid deſignare debuiſſe, neque quid aliud, quam ea publica monumenta, quorum caput aut partem aliquam, pro denarii exigua area, retulerunt fabri monetales, Senatus Conſulto aut diis dedicata, aut in praeclaram civium memoriam conſtituta fuiſſe.

Omiſi praeterea ſtudioſe numos eos argenteos, ſi cum aliis comparentur etiam pauciores, in quibus S. C. ſolum legitur, ne Vaillantio litem intentare debeam, qui has notas, quemadmodum alias, *EX* praepoſitione praemiſſa, profecto in ſingularibus numis, non ſine ratione caelatas, aut negligit omnino, aut explicatione tam varia, quam elumbi, attingit, ut quamplurima reprehendenda forent, ſi de his cha-

characteribus ex propoſito mihi res eſſet. Splenem continere debeo, dum apud eruditum cetera hunc antiquarium lego de numo in Familia Aemilia N. XVII. cum epigraphe *M. LEPIDVS. PONT. MAX. TUTOR. REG. notam S. C. adpoſuit, ut Lepidum Senatus conſulto eius principis tutorem nominatum fuiſſe ſignificaret.* Velut nempe Romani in huiusmodi περιστάσει ſine tabulis aliquid egiſſent unquam, aut quae ſummi momenti in Senatu acta fuerunt, per pecuniam denique publicari debuiſſent.

Ad exempla ex numis Auguſti petita gradum facio, quibus ſententia mea in plena luce conſtituetur. Victus erat anno V. C. 723. ad Actium Antonius, atque mox certioris chronologiae ſcilicet *IMP. V. COS. IV.* inſcriptus numus anno ſequente comparuit, cum ſigno Apollinis ſtola muliebri contecti, et in inferiori ſegmento adiecta epigraphe *ACT.* nempe quo anno ſtatua perfecta fuerit, altum deinde ſilentium, ſi catalogum Mediobarbi ſpectamus, per decem et ſeptem annos, primi enim eiusdem typi monetae rurſus conſpiciuntur anno V. C. 742. cum titulo *IMP. X.* Intra hoc temporis intervallum ſane ſtatua aut vitium aliquod feciſſe poterat, reficique, aut eidem nova quaedam ornamenta adiici coepta fuerint, quae monetarios ad huius typarii prae alio ſelectionem incitaverint, opere anno V. C. 743. abſoluto, in alterum annum, nempe quamdiu rei novitas movebat.

Si cui haec non placent, dicam IIIviros monetales inter continuas Auguſti victorias ad recentiora ſemper facta diſtractos, typaria pro prioribus caelata aliquandiu ſepoſuiſſe. Altero a pugna Actiaca anno in poteſtatem redacta fuerat Aegyptus, poſteriorem hunc felicem eventum illico, erecto tamen ante crocodili ſigno, denariorum fabri cum inſcriptione *AEGYPTO CAPTA* in auro et argento vulgaverunt, ita tamen, ut ipſa Nilotica bellua malleum ſubiret. Publicum monumentum hoc fuiſſe eo confidentius adſero, quia numiſma aureum inter praeſtantiora a Vaillantio eiusdem caelaturae cum hac epigraphe refertur: *IMP.*

CAES.

CAES. TRAIAN. AUG. DAC. P. P. REST. Crocodilum hunc numi in tertium annum, ſcilicet ad Auguſti *COS. VI.* repraeſentant, quo Romanorum oculos minus feriebat inſolentis beſtiae ſquamatum dorſum, tum in *VIAS MUNITAS* averſos.

Quam in omnia, quae publice poſita ſunt, intenti fuerint, qui A. A. A. F. F. praefecti erant, non exiſtimo melius doceri poſſe, quam ex monetis procuſis cum epigraphe: *SIGNIS. PARTHICIS. RECEPTIS.* Eodem, quo Diana, ſi placet, Sicula etiam ſignata eſt, anno ſcilicet 734. iam intra coronam quernam, iam cum ſtatua Parthi ſigna reſtituentis haec inſcriptio legitur, anno conſequente intra arcum triumphalem continetur, tertio nempe cum *TR. P. VI.* circa ſuperbam molem tribus arcubus perviam legitur. Nempe, prima properatione nihil citius parari poterat, quam ara aut tabula marmorea, cui corona civica opere anaglypho inſcalperetur: talia monumenta refecta fuiſſe demonſtrat numus aeneus Auguſti cum Titi reſtitutione, in Muſeo Cl. Pellerin: interim adſurrexerit arcus, huic demum aut alae duae additae, aut alter trium porticuum, maiore temporis et ſumtuum impendio, alia in urbis regione ſtructus fuerit. Ut magnifica haec erant, ita ab eorundem in pecunia facienda repraeſentatione poſt annum 736. ceſſarunt fabri monetales.

Idem profecto fatum fuerat ſtatuae Dianae, de qua diſputo, primum in numis caelata eſt, cum titulo *IMP. VIII.* quo anno nempe 733. pro omni antiquariorum infortunio in Siciliam traiecit Auguſtus, neque apud Mediobarbum et Vaillantium ultra annum 744. ut ex titulo *IMP. XII.* liquet, comparet, niſi in aureo Herculanenſi ſane praeſtantiſſimo, cum epigraphe *IMP. XV.* id quod cum intervallo annorum 758-762, etenim XVI. adclamatus fuerat *IMP.* gerens *TR. P. XXXII.* congruit; nihil enim cogit admittere, eum primo illico anno, ut Cl. Cl. Academici volunt, flatum fuiſſe, intra ſpatium decem et quatuor, vel, ſi a prima eius dedicatione numeres, quinque et viginti annorum

Digitized by Google

norum damnum aliquod accipere poterat hoc ſignum, refectumque fuerit eorum annorum aliquo, quo *IMP.XV.* titulus Auguſtum ornavit.

Video, aut Auguſti, antiquariorumve veterum clientes, aut Siciliae ſuae ſtudioſos aliquos obmovere poſſe, ſignum aliquod publice propoſitum eſſe non potuiſſe, ex quo exemplum ſui typarii IIIviri monetales fuiſſent imitati; variae enim nimis ſunt Dianae imagines, iam ſtolata, iam ſubcincta, iam cum cane et haſta, iam ſine his attributis ſiſtitur. Nihil his moveor, duae ſtatuae diverſo habitu poſitae fuerint, aut ne ſervile eſſet imitationis ſtudium, parte retenta, reliquum aut ſcalptores ſignorum, aut caelatores formarum monetalium mutaverint: ita C. Marius Trogus IIIvir ſub eodem Auguſto ſolam Dianae protomen repraeſentat apud Vaillantium *Tab. XCIV. N.* 12. Quam varius eſt Diomedes in gemmis?

Sed, inquies, cur eiusdem deae ſtatuae eodem fere tempore geminarentur? Non rationibus, ſed exemplis rem conficiam. Profert pag. 6. Mediobarbus numum argenteum Iulii Caeſ. cum hac epigraphe: *VENERI. VICTRICI VOTA.* templum in moneta exhibetur hexaſtylon cum ſigno deae d. Victoriolam retinentis. Eandem ſtatuam nobis Sepulius Macer et L. Buca ſingulis in monetis ſtantem, hic tamen etiam apud Vaillantium *Tab. LXXIII. N.* 32. ſedentem exhibuit, Maridianus et Mettius IIIviri globum et ſcutum ſtanti adiecerunt; quia tamen numus Iulii cum Venere Callipyga, Victrice etiam et Genitrice in auro reſtitutionem Traiani apud eundem Vaillantium *Tab. LXXVI. N.* 62. profert, neceſſe ſane eſt, eiusdem deae ſtatuas duas, et cultu ſituque multum diverſas dedicatas fuiſſe, ſeu id demum luxuriae Romanorum, ſeu variae artificum imitationi tribuas.

Litem ſe ſecturos arbitrabuntur Siciliae patroni de moribus officinae monetariae convicti, ſi non de numo ſolum ob rationes initio huius commentarioli propoſitas cuſo, ſed de ſtatuis etiam, quod magnificentius, ob earundem cauſa-

rum aliquam confiteantur. Verum has ipſas iisdem, quos fortaſſis comminiſcuntur, lapidibus aut aeris fruſtis tumulabo. Primam aggredior. Siciliam compoſuit Auguſtus: quam demum turbata tum erat provincia? Roma ipſa anno 733. magis iactabatur ob comitiorum eam turbationem, ut pene neceſſum fuerit, principem ex inſula urbem repetere. Reſpiravit inde ab anno 717. quo ad Mylas navali pugna victus Pompeius eandem victori ceſſit, reſpiravit, inquam, ſatis ad annum 733. Sicilia; ſi Dionem conſulo, arbitror, omne negotium Auguſti fuiſſe, ut inſpectis urbibus de ſtabili frumentum in Italiam traiiciendi ratione aliquid conſtitueret, hoc enim ſub τά τε ἄλλα Dionis comprehendi ſuſpicor, ita ille L. LIV. pag. 525. Ο δὲ Αὔγουστος τά τε ἄλλα ἐν τῇ Σικελίᾳ διοικήσας, καὶ τὰς Συρακούσας ἑτέρας τὲ τινὰς πόλεις ἀποίκους Ῥωμαίων ἀποδείξας ἐς τὴν. Ελλαδα ἐπεραιώθη. *Auguſtus rebus aliis in Sicilia ordinatis, Syracuſas, aliasque quasdam urbes, coloniae Romanae iure donavit.*

Neque peculiarem hoc anno Siciliae impendere voluiſſe ſollicitudinem ex eodem diſcimus: paullo ſuperius ita ſcribit: ἐν ᾧ καὶ ταῦτα ἐγίγνετο, ὁ Αὔγουστος ἐς Σικελίαν ἦλθεν, ὅπως καὶ ἐκείνην καὶ τ' ἄλλα τὰ μέχρι τῆς Συρίας καταστήσηται. *Haec dum fierent, Auguſtus in Siciliam venit, ut eam, ac omnes alias ad Syriam usque provincias, optimum in ſtatum redigeret.* Et reapſe exeunte vere inde in Graeciam traiecit, ubi aeſtatem et autumnum exegiſſe debuit, quia in Samo hiemavit. An forſan ob frumenti rationes conſtitutas Auguſto ab Siculis ſtatua Dianae decreta? aſt hoc commodum Italiam potius, ac praecipue Romam ſpectabat. Gratum animum conteſtatae fuerint urbes in colonias adſcriptae? Aſt non minore beneficio adfecti ſunt Lacedaemonii, quos Inſula Cythera donavit, neque tamen Dioſcurorum ſigna cum epigraphe *SPARTA* uspiam poſita leguntur, etſi Graeci magis in adulationem propenſi.

Venerit etiam Siculis in mentem hoc conſilium, ſtatua tamen Romae dedicari debuit, quod ex numis hoc typo inſignibus ob caelaturae Romanam elegantiam ipſi Cl. Cl. Her-

Herculanenſes Academici ſuſpicari videntur, neque enim ſcalptores monetarii exteras in regiones proficiſci ſolebant, ut formas denariis feriundis anxie conquirerent, ſatis populus ille ſtatuarum, quae Romae proſtabant, materiae ſuppetebat. Admiſſo, inquam, hoc Siculorum conſilio, quod ſuperius, niſi me omnia fallunt, luculenter refutavi, nego numos ad exemplar ſtatuae ſignari potuiſſe anno V. C. 733. obtinente chronologica ſerie Mediobarbi ex titulo *IMP. VIII.* deducta, cui ut innituntur Herculanenſes eruditi viri, ita eam non diſcutio.

Statua haec Romano artifici locata fuerit, vere eiusdem anni; qui ſeu ſcalptoriae, ſeu plaſticae et fuſoriae eius temporis rationem perſpexerit, nunquam ſane profitebitur ſignum, de quo agimus, labente eodem anno perfici, dedicari, exempla inde numorum accipi potuiſſe, utpote in aere ad chalybis duritiem redacto labore permoleſto, atque diuturno exaranda. Neceſſe ergo erit, ſuperiore iam anno Dianam hanc publico in loco conſtitutam, quo tamen nulla peculiaria in Siciliam ab Auguſto collata beneficia recenſent Hiſtorici.

Cl. Havercampii opinionem, quam Tom. VIII. col. 1098. velut Dictator his verbis adnunciat: *Omnes hi numi ad eius Imperatoris victorias Siculas ſpectant:* ex ipſis numis et temporum ratione everto. Cui probabitur, monetariis Romanis veniſſe in mentem victoriarum, quas quindecim et amplius abhinc annis de Pompeio retulerat Auguſtus, praeſertim cum iam Armenia, Parthia, officinis monetariis ſatis negotii faceſſeret; illam quidem, qua Pompeius Siciliam cedere coactus eſt, ſi Mediobarbum ſequimur, eodem, quo reportata fuit, anno, et quidem non uno numo celebraverunt: adſervantur in muſeis tropaea navalia, Neptuni d. acroſtolium, ſ. tridentem tenentis, Victoriae ſeu navi inſiſtentis, ſeu palmam coronantis, columnae roſtratae cum Auguſti ſtatua, in averſis, aureorum, argenteorum, et aeneorum numorum partibus ſigna.

Ex latere me hic peti poſſe catus animadverto: hac ſcilicet ſtatuae, ex quibus numiſmatum imagines deſcriptae, eodem, quo profligata eſt claſſis Pompeii, anno, ſlari aut ſcalpi poterant, Diana Siciliae, ut placet, indicium, non potuit? Non deerant eiusmodi monumenta civibus de republica optime meritis olim conſtituta, ex quibus exempla ſumi potuerunt: atque ut a columna roſtrata ordiar, huiusmodi Duillio poſitam fuiſſe novimus; nihil Victoria coronante in denariis communius, pro tropaeo palmam, ad deſignandam navalem, gubernaculum adiecerit ſcalptor, palma coronata videtur in moneta gentis Baebiae apud Vaillantium *Tab. XXVII. N.* 2. Eadem dea prorae navis inſiſtens numos Familiae Fabiae *Tab. LXI. N.* 9. Pomponiae *Tab. CXV. N.* 4. ornat, atque ne ſimilitudo propior deſideretur, numus familiae Aemiliae *Tab. VI. N.* 27. eodem fere ſitu, cultu, et rerum adiunctis, victricem hanc deam caelatam obiicit cum Lepidi epigraphe, cum quibus in Auguſti monetis ad hunc annum a Mediobarbo relatis obiicitur.

Neptunum geminum habemus in familia Poſthumia *Tab. CXIX. N.* 9. apud laudatum ſaepe Vaillantium, ex quo hactenus dicta retuli; quem typum ſi cum Viro de re numaria optime merito ad Conſualia anno V. C. 592. edita referimus, de ſtatua iſtiusmodi ſane dubitandum non eſt. Superſunt tropaea navalia, ut ab tentata multis ex partibus adgreſſione liberum me praeſtem.

Tropaeum navale fere ſimile repraeſentat denarius gentis Domitiae *Tab. LVIII. N.* 17. ob Caeſaris triremes ad Brunduſium crematas ab Ahenobarbo; proxime ad hoc adcedit alterum in numo gentis Iuniae *Tab. LXXIX. N.* 24. quod de auxiliis Antonio et Caeſari ex Italia miſſis a Bruti claſſe caeſis explicat idem eruditus Gallus; omitto tropaeum in pecunia familiae Mumiae *Tab. XCVIII. N.* 2. quod ob adiectum *EX. S. C.* forſan omnium maximam haberet autoritatem. Ceterum, quis me adiget, ut ſervili adfectatione numos eos omnes Mediobarbi nulla tribunitia pote-

poteſtate, aut Imperatoris probabili titulo, quibus indiciis carent, eidem anno V. C. 718. cum Iul. conpilatore attribuam? Quae hactenus diſſerui, evincunt, eos ad conſequentem minimum annum detrudendos.

Supereſt de opinionibus tertia, nova ſane et ſingularis, quam unus aliquis forte in erudito conſeſſu propugnavit quidem, ipſum tamen Academicum corpus, non niſi ut hypotheſin excitandis ingeniis utilem, commentariis ſuis inſeri permiſit. Scilicet fieri potuiſſe, ut IIIviri monetales poema Auguſti celebrare voluerint, de quo Suetonius c. 85: *Unus liber extat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cuius et argumentum et titulus eſt SICILIA.* Fateor, me ad inſolentem hanc coniectionem non parum haeſiſſe, etenim turba contra pugnantium rationum ex tota antiquitate mihi illico obverſabatur, has aliquem in ordinem redigam; cenſeo hanc opinionem nec cum Graecorum, nec cum Romanorum, aut ipſius Auguſti moribus conſentire.

Et Graeci et Romani claris Poetis ſtatuas dedicarunt, attamen nunquam alias, quam quae tantorum virorum vultus et habitum repraeſentabant; hoc in adſerto tam diu obfirmatus ero, dum equi Troiani ſignum, vel ſtatua Aeneae Anchiſen portantis, aut eiuscemodi aliquod monumentum etiam, ſi fortuna dederit, numus familiae Iuliae proferetur, in quibus aut epigraphe ΙΛΙΑΣ, aut AENEIS legatur.

Tria Pauſaniae loca ad teſtimonium omni exceptione maius produco. L. I. c. 21. pag. 48. Εἰσὶ δὲ Ἀθηναίοις εἰκόνες ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας ποιητῶν αἱ πολλαὶ τῶν ἀφανεστέρων, ὅτι μὴ γὰρ Μένανδρος οὐδεὶς ἦν ποιητὴς κωμῳδίας τῶν ἐς δόξαν ἡκόντων, τραγῳδίας δὲ κεῖνται τῶν φανερῶν Εὐριπίδης καὶ Σοφοκλῆς. *In theatro Athenis ſunt Tragicorum et Comicorum ſtatuae multae, horum tamen fere obſcurorum, etenim praeter Menandrum vix aliquis inluſtris nominis reperitur, ex Tragicis vero nobiliorum Euripidis et Sophoclis poſita ſunt ſigna.* De nulla hic Hecuba, aut Electra, ne minimum indicium.

Idem c. 25. pag. 59. de ornamentis arcis Athenienſis loquens: τοῦ δὲ τοῦ Ξανθίππου πλησίον ἕστηκεν Ἀνακρέων ὁ Τήϊος - - - - - - καὶ οἱ τὸ σχῆμά ἐστιν οἷον ᾄδοντος, ἂν ἐν μέθῃ γένοιτο, ἀνθρώπου. *Xantippo proxime adſtitutum eſt Anacreontis Teii ſignum - - - - - eius habitus eſt velut hominis per ebrietatem cantantis.* En, ut poetae lepidiſſimi indoles quam optime ab artifice eſt effecta, fruſtra Amorem aliquem, aut Venerem circumſpicis, odae cuiusdam argumentum. Nec L. V. c. 26. pag. 446. Heſiodi ſtatua Theogoniam refert, quod ex aere ſtatum atque columnae impoſitum Homeri ſignum ante fores Delphici templi L. X. c. 24. pag. 857. commemorat, inſcriptionem quidem habet; cave tamen de *Batrachomyomachia* cogites, καὶ, ait, ἐπιλέξει τὸ μάντευμα ὅ γενέσθαι τῷ Ὁμήρῳ λέγουσι κ. τ. λ. *leges oraculum, quod aiunt Homero* ab Apolline de ſua patria *factum* etc.

Ne Graecis omnia conſtipem, eundem morem Romae fuiſſe, compendio quidem, attamen multa complexo, certiores nos reddit Plinius, Hiſt. Nat. Lib. XXXV. c. 2. pag. 680. Non eſt praetereundum, inquit, et novitium inventum. Siquidem *non ſolum ex auro, argentove, aut certe ex aere, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animae in locis iisdem loquuntur.* Si illos dedicatos dicit, qui in repoſitis ibidem libris loquebantur, profecto eorum vultus, non vero ideae titulorum, qui eorum ſcriptis praefigebantur, ſtatae fuerunt, ut ex ſequentibus magis liquebit.

Proſequitur: *quin imo etiam, quae non ſunt, finguntur, pariuntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero evenit. Quo maius, ut equidem arbitror, nullum eſt felicitatis ſpecimen, quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit aliquis.* Fruſtra hic aliquem offendet *novitium inventum:* quo referendum ſit, mox indicat auctor: *Aſinii Pollionis hoc Romae inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.* Nempe, novitium quid Romae erat, bibliothecam publicare, ſtatuarum ratio pridem eadem fuerat, vel

vel ſi fingerem etiam hoc Pollionis fuiſſe inventum, Auguſti eum aetate vixiſſe vulgo notum eſt.

Ceterum ſi inter tropaea de Armenia, Parthia, gentibus aliis etiam principis ſui poeſin honorare voluiſſent, arbitror Pegaſum potius eos dedicaturos fuiſſe, quam figuram, quae poematis argumentum etiam cum titulo obiiceret ſpectantibus; magis illud ſimplici eorum gravitati congruebat, neque ſine anterioris temporis domeſtico exemplo. Familiae Titiae denarios habemus, quorum averſam partem alatus hic equus ornat, typum hunc ex ſigno Romae dedicato deſumtum eſſe comprobat numus, qui Traiano reſtitutionis laudem adſcribit.

Sunt cum Begero plures Antiquarii, quin eos obiectio Havercampii de aſſe eiusdem familiae, velut nempe non plures hoc praenomen habuiſſent, perturbet, ſunt, inquam, qui hoc monumentum poetae Lyrico et Tragico adtribuunt, de quo canit Horatius Ep. L. I. ep. 3.

Quid Titius Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,
Faſtidire lacus, et rivos auſus apertos,
Ut valet? ut meminit noſtri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet auſpice Muſa?
An tragica deſaevit et ampullatur in arte?

Fateor, ſi mei id hic foret negotii, ab hoc Titio mentem ab ipſo verſu primo Horatii, ad alium aliquem anterioris temporis abſtrahendam, et forſan ad illum, quem ex Ciceronis Bruto Cl. Havercampius indicat. Ut ut ſit, liquet ex conſenſu virorum eruditorum, Romanos iam olim poetae hocce ſignum, utpote Apollinis et Muſarum attributum, dedicaviſſe.

Necdum a moribus Romanorum abeo. Certum eſt, nequaquam liberum illum populum, praeſertim ſub monarchiae initium, in vilem erga principes adulationem propenſos fuiſſe, cedo iam, an vel in Graeculis toleranda ea fuiſſet, qua Auguſto ob poema *Sicilia* ſtatuam erexiſſent? Summa confidentia haec dico: quantumcunque ob ſuos verſus inſanierit

erit

erit Siculus ille tyrannus , apud nullum tamen hiſtoricum ſtatuas Dyoniſio ab adſentatoribus ob tragoediam aliquam poſitas fuiſſe, adnotatur, harum ſi vel unam Syracuſae habuiſſent, ex hominis delirio arguo, ad hanc potius, velut ad tropaeum Philoxenum religatum, quam in latomias abreptum fuiſſe; ob Athenienſem illam in Lenaeis victoriam epulas, ſacrificia, nihil publici monumenti decretum eſſe legimus.

Creſcit vis huius argumenti, ſi non mutilum, ut factum eſt, Suetonii locum, tum ipſius Auguſti mores perpendimus. Ita Tranquillus c. 85. *unus liber extat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cuius et argumentum et titulus eſt SICILIA.* Sed velim, quantum hoc demum poema? mox ſubiicitur: *extat alter aeque modicus epigrammatum.* Scio apud bonos Scriptores vocabulum *modicus* duplicis eſſe notionis, ita ut *humile* quid, atque etiam *parvum* deſignet, poſteriore et Auguſto minus iniqua ſententia interim utamur; poemation ergo erat, atque paucorum carminum libellus. Verum urit me id, quod praemiſerat Suetonius: *Poeticam ſummatim adtigit.* Si latine intelligo, *ſummatim* idem eſt ac *carptim*, *obiter*, ἐν ὀλίγῳ, quid a tali Poeta expectandum ſit, quivis facile videt, ſane qualis illius Aiax fuerit, ipſe Auguſtus ſatis inter familiares eo ioco profeſſus eſt: *Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.*

Vidimus, quantum qualeve fuerit Octaviani poema, et ob huiusmodi ſcriptum Caeſari Dianam illam, ad aeternam nempe nominis gloriam dedicatam fuiſſe, quis in animum inducere poterit? arbitror neminem, qui Auguſti mores pernovit. Luculentum Suetonii teſtimonium quam maxime adverſatur: c. 89. ita concludit: *Componi aliquid de ſe, niſi et ſerio, et a praeſtantisſimis, offendebatur: admonebatque praetores, ne paterentur nomen ſuum commisſionibus obſoleſieri.* Nempe, qui noluit, ut qui in theatro carminum certaminibus committebantur poetae, humile aliquid de maieſtate ſua canerent, is paſſus, id Romani auſi fuerint, ut eius nomen, ob poemation omni ratione modicum, conſtituto publico monumen-

numento non ſolum obſoleſiat, ſed ludibrio etiam traducatur.

Quid ſi nullum facerem hunc Auguſti libellum? ſane ſubtracta infirma baſi praeclara illa Sicilia conlaberetur; hocque ipſum mihi tam facile eſt, quam vulpes pirum comeſt, argumentum de negantibus, non parvi apud Hiſtoricos atque praecipue Criticos hodiernos ponderis, ex Senecae ad Lucilium *epiſt: LXXIX.* ita inſtruo: varia dum ſibi petiiſſet de Siciliae ingenio atque mirandis perſcribi, ad Aetnam delabitur etiam: *Aetnam, ait, deſcribas in tuo carmine, et tunc ſolemnem omnibus poetis locum adtingas, quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obſtitit, quod iam Virgilius impleverat, ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit; omnibus praeterea feliciter hic locus ſe dedit, et qui praeceſſerant, non praeripuiſſe mihi videntur, quae dici poterant, ſed aperuiſſe.*

Velim, cur vir, in auguſta domo cum alumno ſuo agens, cui bibliotheca et forſan domeſticum tabularium patuerit, qui ad Neronem incitandum maiorum exemplis commodiſſime uſus fuiſſet, altisſimum hic de Auguſti Sicilia taceat? an non iure optimo pronunciabimus, aut prolapſum fuiſſe, narratione aliqua adrepta, Suetonium, neque unquam carmen iſtiusmodi extitiſſe; aut, ſi liberales ſumus, tale fuiſſe, cui forſan Auguſtus ipſe ſpongiam inleverit, aut tam *modicum*, ut ex reverentia Auguſtae familiae eius mentionem ne inferendam quidem cenſuerit Seneca?

Obgéres, ratiocinationi huic, ex auctoris ſilentio petitae, ſcutum nullo negotio obponi ex Virgilio: nemo negaverit, hunc artis principem, in diſcernendis poeticis operibus exquiſitisſimae fuiſſe aciei, hunc tamen ipſum de Auguſto ceciniſſe *Eclog.* VIII. v. 10.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Scio Almeidam, in commentariis ad Suetonium p. 311. huc prolapſum eſſe, verum novi plurimos, qui rectius ſentiunt, Grammaticos, haec in Pollionis laudem ſcripta fuiſſe, multis rationibus ſtabilientes: qui vero etiam de Auguſto hic ſermonem eſſe, melius, quam Almeida, tuentur, me-

cum ſentiunt, reſpiciunt ſcilicet ad illud, quod ſuperius ex Suetonio adduxi, voluntate principis edictum fuiſſe praetoribus, videant, ne a commiſſis in certamen poetis aliquid de ſe proferatur, quod oleum et admorſos ungues non ſapiat; atque huc ſpectant illa Horatii, quibus epiſtolam ad Auguſtum concludere incipit:

Sed neque parvum
Carmen maieſtas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, vires quam ferre recuſent.

Venio ad ſcopulum, in quem productae tres coniecturae impegerunt. Si ſtatua Dianae, inquies, nec ob compoſitam inſulam, nec ob relatam de Pompeio victoriam, aut poema Auguſti eſt conſtituta, cur tamen ſegmentum inferius numi epigraphen *SICIL* praefert? Nequaquam inſulae nomen, ſed Aedilis, qui ſignum dedicavit, ita lego; *Sextus ICILIUS.* De Harduiniſmo conclamari audio, quibusve demum in argumentis efficiundum ſit, peti. Harduiniſmi adcuſationem tantiſper ſuſpendi velim, argumento partim ea erunt, quae ut viam complanarem praeſtruxi, partim ala quaedam Colophonicorum, quae hactenus in inſidiis conquievit.

Nemini adhuc venit in mentem, ut in denariis, qui eodem fere tempore comparent, atque in antica caput Auguſti, in poſtica Apollinem ſtolatum, cum *IMP.* item titulo, creſcentibus numeris repetito, exhibent, ut, inquam, illud *ACT.* infima parte caelatum de Actio urbe interpretaretur, nempe, quia Romanis extra morem erat, urbes aut provincias deorum primi ordinis ſignis indicare. Eandem rationem etiam hic toto ſuo pondere premere quivis intelligit, quid in huiusmodi anguſtiis aliud praeſidii Antiquariis, quam ut probabiliter ſuſpicentur, literas inſcriptionis ſeparandas, in qua nempe negligentia aliquae interpunctiones omiſſae.

Reponi poterit, expreſſum in his monetis diligentiſſime punctum, quod abruptum *Siciliae* nomen indicet, quare nulla ratione oſcitantiae arguendos ſcalptores monetarios,

rios, velut S ab I ſeiungere omiſerint, praeſertim cum tam in numis Auguſti, quam familiarum, praenomina vel agnomina ſuis obelis ſunt diſtincta; nequaquam hoc inficior, verum produci plures poſſunt denarii, in quibus etiam praeſente ultimo puncto anterius illud deſideratur, cuius abſentia non raro tironibus crucem figit: ita in conlectione noſtri Conlegii, in numo tam parum detrito, ut a malleo fere adhuc calidus videatur, gentis Afraniae, *SAFRA* caelatum eſt. Verum tam nota haec ſunt, ut exemplis abſtinere poſſim; ipſe elegantiſſimus aureus, in cuius explicatione verſor, atque in cuius typario ſcalpendo maior cura adhibita fuerit, tam in adverſa, quam averſa parte, punctis, quae compendio literarum, aut titulorum finem definire in aliis ſolebant, deſtituitur.

Ceterum, ne de punctis hic litigemus, S. Icilium interim repono, in eo tamen ſemper firmus, Romanum nomen inſcriptum fuiſſe et ſtatuae et numo, Sicilium Coronam, virum ſenatorium ſubſtituo, ſi placet, de quo Dio L. XLVI. pag. 368. edit. Steph. *Καί τις Σικίλιος Κορωνᾶς βȣλευτὴς ἄντικρυς τὸν Βρȣ̃τον τὸν Μάρκον ἀπέλυσε, καὶ τό τε μὲν αὐτός τε ἐπὶ τȣ́τῳ μέγα ἤυχει, καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ἐπαίνȣς κρύφα ἐλάμβανε κ. τ. λ.* *Sicilius aliquis Coronas Senator M. Brutum* in publico conſeſſu *abſolvit*, *qua de ſententia tum multum gloriatus, clancularias etiam laudes tulit etc.*

Etſi hic ſubinde proſcriptus et necatus fuerit, ne monetariorum curioſitatem nimis languidam faciamus, ex familia tamen aliquis, ut benevolus erat Auguſtus, in gratiam receptus, (ut ipſe Iulius proſcriptorum filios ad munia publica admiſit, teſte Suetonio,) ſtatuam hanc dedicaſſe potuit: quo poſito, omni orthographiae et chronologiae iniecto vel iniiciendo ſcrupulo liberi, non ſolum ſtatuae, ſed numi epigraphen, ex Romanis moribus conceptam habebimus. Siciliae familiae confirmationem Cl. Cl. Academici domi ſuae etiam capere poterunt, ſi lapis, a Muratorio pag. MCDX. N. 4. indicatus, in hanc diem apud Caeſarem Car-

 dui-

duinium aut haeredes adſervatur. Eccum, quantum huc pertinet:

D. M.
TITIUS SICILLIUS
SATURNINUS
SICILLIAE PROCULAE
DULCISSIMAE ET
CARISSIMAE CON
IUGI etc.

Neminem hic turbabit duplex L. ſatis novimus quadratariorum, ut cum ſcriptoribus huius argumenti loquar, errores, atque in eum, qui in praenomine Titi eſt lapſus, ſine iniuria alter etiam error geminatae litterae tribui poterit; vel ſi etiam in mendo cubat Dio, cuius tres Garellianae bibliothecae editiones conſentiunt, alteram ex geminis literis a monetariis omiſſam nonnunquam eſſe, docet numus Familiae Fanniae apud Vaillantium Tab. LXIII. N. 1. *M. FAN.* C. F. gentis Gelliae Tab. LXIX. *CN. GEL.* inſcripti. Si quis urſerit, frequentius geminum elementum retineri, ita Tab. IX. legi *C. ANNI.* Tab. XXXVII. *L. CASSI.* Tab. LXIX. *HERENNI.* Tab. XCV. *MEMMI* etc. his ipſis argumentis a mendi ſuſpicione purgabo Dionem, quia elementum I. in his adiici ſolitum in numo noſtro deſideratur. Sed ad rem, quae huc maxime facit, eſt redeundum.

Utramque paginam implerem, ſi ex Pauſania nomina eorum, cippis inſcripta, recitarem, qui monumenta publica per Graeciam conſtituerunt. Quam avidi huius gloriae fuerint, inde coniici poteſt, in numis ipſis, quorum imagines ex ſtatuis ſumtae fuerant, dedicantium nomina fuiſſe inſerta; teſtantur id aenei maioris formae, Antinoo cuſi, atque complures alii, in quibus ſolemne illud ΑΝΕΘΗΚΕ legitur. Quam parum Romani in hac laudis adpetitione conceſſerint Graecis, uno Plinii loco conficiam.

L. XXXIV. c. 8. pag. 656. edit. Hard. ita ſcribit: *In mentione ſtatuarum eſt una non praetereunda, licet autoris incerti, iuxta roſtra Herculis tunicati Eleo habitu Romae, torva facie*

cie ſentienteque ſuprema in tunica. In hac tres ſunt tituli: L. Luculli imperatoris ex manubiis: alter pupillum Luculli filium EX S. C. dedicaſſe: tertius T. Sempronium Sabinum aedilem curulem ex privato in publicum reſtituiſſe. Atque praeclare pro re mea hunc in modum concludit: *Tot certaminum, tantaeque dignationis ſimulacrum id fuit.*

Propius iam ad hiſtoriam noſtrae Dianae adcedamus. Retuli ſuperius ex Suetonio, Auguſtum ipſum autorem fuiſſe viris principibus, ut pro facultate ſua urbem monumentis vel novis, vel refectis et excultis, ornarent; narratae huic exhortationi mox ſubiicitur: *Multaque a multis extructa ſunt. Sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Muſarum, a L. Cornificio aedes Dianae etc.* Hic ſiſto, quia arbitror, me noſtram Dianam manibus tenere, cenſeoque, ſubcinctam illam cum cane ibidem poſitam fuiſſe, dedicante aut curante aedile Icilio; hanc potius in templo conſtitutam eſſe inde coniicio, quia ab iniuriis quibuscunque magis tuta refectione non egebat, alteram vero ſtolatam ab excitatis hoc novo ornamento civibus et artificibus ſub dio erectam fuiſſe, eo fere exemplo, quod ſupra de duobus Veneris Genetricis aut Victricis ſignis commemoravi.

Quare, ut illud Callipygae a Traiano, ita ſtolatae Dianae alterum ab Auguſto, refectum fuerit eo anno, qui titulo *IMP. XV.* in aurea maiori moneta ſignato reſpondet, more nempe tum necdum inducto, ut eiusmodi reſtitutionum memoria ipſa in numi epigraphe celebraretur, ſicut etiam poſt Traianum eſt abolitus, etſi Imperatores in huiusmodi refectionibus non minus diligentes fuiſſe ſciamus ex inſcriptis lapidibus, de quibus horum conlectores videri poſſunt.

Nec numi ad hactenus dicta demonſtranda deſunt. Inter monetas gentis Claudiae Tab. XLII. N. 37. a Vaillantio recenſetur aliqua, quae antica parte protomen Dianae cum epigraphe *EX S. C.* in poſtica templum tetraſtylon repraeſentat, cum ſigno deae aliquantum diverſo, adiecta inſcriptione: *AED. CUR.* ubi laudatus antiquarius ipſe de reſtitutione huius aedis a Marcello cum conlega ſuſcepta ſu-

Digitized by Google

ſpicatur. Puteal illud, quod in familia Scribonia conſignatur, ab aliquo ex maioribus reſtitutum, dedicatumve fuiſſe, dubitare me non ſinit nomen nimis pervulgatum, ut ex Horat. Ep. XIX. L. I. coniicio, ubi:

forum, putealque Libonis
Mandabo ſiccis.

Quidam ex nepotibus aut excoluerit, aut refecerit aram hanc, vel bidental, hinc in altero numo *LIBO.* in altero *SCRIBON.* ſubſcriptum legitur, aliquid beneficentiae etiam huc contulerit deinde Auguſtus, quod praeclarus ille apud Haymium numus argenteus *Tom. II. pag. 172. edit. Ital. Latin. noſtrae pag. 214.* Tab. XXV. N. 7. conteſtatur, in hoc tamen ipſo epigramma eſt: *SCRIBON.* vetus nempe illud, quod cum Auguſti titulis, ut nomen noſtri Icilii, coniunxerunt monetarii.

Verum obgerit aliquis: an ergo in numis Aquilii Flori Tab. XXI. N. 4. et 6. apud Vaillantium, quorum poſterior cum capite Auguſti procuſus, etiam *S. ICILIUS* legetur? non veto, profecto etiam ſtatuam ſapit horum numorum caelatura; ceterum nihil me hic, ut in alio cum ſigno Dianae, ab lectione *Sicilia* cogit diſcedere, provinciam ex belli ſervilis calamitatibus a viro armato relevatam exhibet, more deinceps etiam conſervato ab artificibus, et monetae fabris. Neque magis de Auguſti in Inſulam promeritis forſan cogitaverit monetarius, quam dum florem in averſa capiti Auguſti coniunxerit, ut enim in hoc denario ad ſuum nomen adluſit, ita in aliis compreſſum ab uno ſuae gentis ſervile bellum repraeſentare voluerit.

Urgebis: ſimillimam in utriusque typi numis characterum diſpoſitionem, utrobique *SICIL.* ſcalptum eſſe denique, quare hanc ipſam ſimilitudinem exigere, niſi pro libidine fingamus, ut vocabulum aut nomen idem legatur etiam; viderit, qui ita eſt, ne converſo argumento Sextum Icilium praeter ſuam opinionem ipſis Aquilii numis inſerat.

Video illis, quibus Icilius diſplicet, id ad extremum in mentem venire poſſe, aenigma forſan nulla ratione certius ſolvendum, quam legendo: *Sicilienſis*, nempe Diana, ut in aliis numis

Digitized by Google

numis lectio *Actius* omnium conſenſione probatur. Fateor, commodius hic aliquid in medium proferri prae vulgata illa de *SICILIA* ſententia, gentile hoc non uno loco in Cicerone legimus, quare iſtiusmodi vocabulum nec marmora nec numismata dedecet, exemplum etiam ab Apolline *Actio* opinionem primo intuitu certiorem reddere videtur. Metuo tamen, ne ex fratris moneta petitum argumentum epigrammati ſororis obſit quamplurimum.

Diverſa utriusque admodum eſt ratio. Non ſolebant veteres monumentis publicis aenigmata inſcribere; quae in horum titulis abrupta per compendium proſtabant tituli vocabula, vulgo nota fuerant, nemo profecto ad epigraphen *ACT.* adhaeſit, quippe Actii Apollinis cognomen omnium ore circumferebatur. Audin Propertium L. IV. *Eleg.* 6. v. 57.

Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Una decem vicit miſſa ſagitta ratis.

Atque ne quis dubitet, de eodem, qui in numis Auguſti ſignatus eſt, Apolline rem eſſe, ipſius ſtatuam alio in loco ſimillimo cultu depingit. L. II. *Eleg.* 31. apud Cynthiam de tardiore ſuo adventu ſe excuſat in haec verba:

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caeſare aperta fuit.

En quam in ſtatuas et publica ornamenta ferebantur Romani, nec amicae gemitus Propertium a contemplanda diutius etiam porticu abſtinuerunt; hanc ubi deinde adcurate ad Suetonii et Plinii narrationem pluribus verſibus deſcripſiſſet, ita concludit:

Deinde inter matrem deus ipſe interque ſororem
Pythius in longa carmina veſte ſonat.

Proferatur iam aut Graecus aut Romanus Hiſtoricus, verſiculus ex poeta aliquo, ara quaedam, vel fragmentum antiqui lapidis, in quo aliquod de Diana *Sicilienſi* fiat indicium, ut de Epheſia, Pergaea, aliis; inter LX. diverſa deae cognomina apud diligentiſſimum hac in re Pauſaniam, de Sicilienſi altum ſilentium; profecto cum in exemplis huius ſtatuae, ita ut in Apolline Actio, et ſub idem tempus, pene dicam inſanierint monetarii, ut eandem Dianam cum *IMP. VIII. IX.* *X.*

Digitized by Google

X. XI. XII. XV. qui nec in Actii monetis leguntur omnes, aliquod de nomine *Sicilienſis* documentum adeſſe deberet, ſi aliquando hoc nomine nota fuiſſet. Conſulantur conpilatores alii, nihil de novitio hoc cognomine leges, etſi adnotetur Aricina et Aventina, de qua item canit Propertius L. IV. Eleg. 9. v. 3.

Phyllis Aventinae quaedam eſt vicina Dianae.

Ad tale aliquod teſtimonium, ſpondeo, me Icilium meum illico abmoturum, neque vel minimam moleſtiam faceſſiturum familiarum Romanarum ſcriptoribus, ut has ambas, aut harum alteram, catalogis inſerendo, Vaillantium aut Morellium feliciter augeant.

Etſi tamen ipſe legero *Sicilienſis*, tribus illis antiquariorum coniecturis nihil melius erit conſultum: nam primo nequaquam ſtatua poſita fuiſſe poterat ob res in Sicilia ordinatas, aut beneficia Auguſti, communia enim omnia etiam provinciis aliis ſuperius oſtendi; quid quod tum probabilius multo cippi epigramma in hanc ſententiam conceptum fuiſſet: *COLONIAE SICIL*, aut *A. COMMUNI SICILIAE*, quod ſtatuis Verris Romae poſitis inciſum fuiſſe queritur Cicero Act. II. Deinde ad victoriam de Pompeio non congruit, quia non illico poſt felicem hanc pugnam, ut Apollinis *Actii* ſignum, ſed XV. demum anno in monetis comparuit. Denique nequaquam ob Auguſti poema dedicata fuerit, alias enim profecto in Suetonio legeremus: *Unus liber extat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cuius et argumentum et titulus eſt* (non Sicilia, ſed) *Diana Sicilienſis.*

Quidni ergo rurſus ad Sicilium noſtrum, aut aedilem S. Icilium redeundum erit, dum, non ex ingeniis excitatis ſolum, quae ſaepe in literariam luxuriam abeunt, ſed moribus et monumentis Romanorum adcurate inter ſe expenſis, melior quaedam ſententia procudatur, quod ut fiat quam citiſſime, ut rei numariae vortat quam optime, plurimum cupio, me interim eo *Horatii* L. I. Ep. 1. ad Maecenatem v. 33. conſolabor:

Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM, quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici, et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Aſſemanni (*Ioſ. Simonii*) *Kalendaria Eccleſiae univerſae.* Tomus III. *Kalendaria Eccleſiae Slavicae, ſeu Graeco-Moſchae* 132
— — — — Tomus IV. 161
— — — — Tomus V. VI 364
Boyſen (*Frid. Eberh.*) *Adparatus ad Syſtema Philologiae Hebraicae, ex mente Ill. Michaelis congeſtus* 68
Harzheim (*Ioſ.*) *Concilia Germaniae, quae I. F. Schannat magna ex parte primum collegit, ipſe auxit, continuavit, notis, digreſſionibus criticis, charta et praefatione chorographicis illuſtravit* Tom. IV. *ab A. MCCXC. ad A. MCCCC.* 41
Miſchna, *ſeu Textus Talmudis.* Pars VI. *de Purificationibus, ſecundum diverſa impuritatum genera. Ex Hebraico Germanice vertit, periphraſin adiecit, et obſervationibus illuſtravit* Io. Iac. Rabe 515
Ruckersfelderii (*A. F.*) *Sylloge Commentationum et Obſervationum Philologico-Exegeticarum et Criticarum* Faſciculus Prior 225
Schelhornii (*I. G.*) *Amoenitates Hiſtoriae Eccleſiaſticae Vol. I.* Pars III. et IV. 34
Semleri (*Io. Iac.*) *Bibliotheca Latina Novi Teſtamenti vetuſtioris Eccleſiae, varias recenſiones Latinas complexa* 409

II. Libri Iuridici.

Gebaueri (*Georg. Chriſt.*) *Narratio de* Henr. Brenckmanno, *de Mſctis Brenckmannianis, de ſuis in Corpore Iuris Civilis conatibus et laboribus. Accedit Mantiſſa de libro rariſſimo,* Anton. Auguſtini *Bibliotheca et vita* Henr. Newtoni 453

Hommelii (*Car. Ferd.*) *Iurisprudentia numismatibus illuſtrata, nec non ſigillis, gemmis, aliisque picturis vetuſtis varie exornata* Libri Duo 323

Iugleri (*Io. Frid.*) *Epiſtola de Commentariis ſuis de omnium ICtorum vita ſcriptisque* 118

Küſtneri (*Chr. Wilh.*) *Chreſtomathia Iuris Enniana, ſeu Loci Ius Romanum illuſtrantes ex Ennio, cum notis adiectis* 112

Püttmanni (*I. L. E.*) *Interpretationum et Obſervationum, quibus difficiliora quaedam Iuris Rom. capita explicantur, illuſtrantur, et ab emendationibus vindicantur, Liber ſingularis* 125

Vindiciae *Libertatis Civitatum Imperii circa receptionem Cancellariae Equeſtris, eiusque Conſectaria.* 51

III. Libri Medici et Phyſici.

Academiae *Scientiarum Petropolitanae Novi Commentarii,* Tomus VIII. *pro annis* 1761. *et* 1762 241

Gronovii *Monitum de iconibus, animalia, ex Muſeo Academiae Lugduno Batavae deſumta, picta exprimentibus.* 199

Hennert (*I. Fr.*) *de compreſſione ac reſtitutione elaſtrorum, una cum adcuratiori virium vivarum disquiſitione.* 472

Lizzari (*Anton.*) *binae ex nonnullis rariores morborum hiſtoriae* 90

Planci (*Iani*) *de duplici Tethyi genere, et de Manu Marina, ad* Pium Iannellium *Senenſem, Academicum Phyſiocriticum* 445

Scarella (*Io. Bapt.*) *Phyſicae generalis methodo Mathematica tractatae,* Tomus III. 413

— — *de Magnete Libri IV. in duos Tomos diſtributi.* 577

IV. Libri Mathematici.

Academiae *Scientiarum Petropolitanae Novi Commentarii,* Tomus VIII. *pro annis 1761. et 1762.*

Bortzii

Digitized by Google

Bortzii (*Georg. Henr.*) *Diſquiſitio de inſigni Semioticae Matheſeos uſu in Geometria et Phyſica* 551
Klingenſtierna (*Sam.*) *Tentamen de definiendis et corrigendis aberrationibus radiorum luminis in lentibus ſphaericis refracti, et de perficiendo teleſcopio dioptrico.* 105
Lambert (*I. H.*) *Schediaſma de ichnographica campi vel regionis delineatione, independenter ab omni baſi perficienda.* 143
Tetens (*Io. Nic.*) *Methodus inveniendi curvas, maximum vel minimum efficientes, univerſaliter et ex analyticis principiis demonſtrata.* 502

V. *Libri Hiſtorici et Geographici.*

Belii (*Car. Andr.*) *Diſputatiuncula de cauſis repentinae Pacis Crepiacenſis.* 535
Bellini (*Vincent.*) *Tractatus de Numis Ferrarienſibus* 533
Boehmii (*I. Gottl.*) *Acta Pacis Olivenſis inedita.* Tomus I. *in quo* Ioach. Paſtorii *ab* Hirtenberg *Aurora Pacis*, *alia.* 233
Boyſen (*Frid. Eberh.*) *Monumenta inedita Rerum Germanicarum, praecipue Magdeburgicarum et Halberſtadienſium.* Tomus I. *qui* Georg. Torquati *Annales continet* 173
Commentationes *de rebus memorabilibus hiſtoriae antiquae et recentioris.* (*Auct.* Faeſio.) 493
Hartzhemii (*Ioſ.*) *Concilia Germaniae.* Tomus IV. *ab A.* 1290. *ad A.* 1400. 41
Hiſtoria *rerum memorabilium, in Europa ſeptentrionali ab a.* 1700 *usque ad a.* 1710. *geſtarum*, Partes II. 388
Koenig ab Koenigsfeld (*Guſt. Georg.*) *Collectio Actorum Comitialium ſub imperio Friderici III.* *Collectio I. et II.* 81
Obermayrii (*Ioſ. Eucharii*) *Hiſtorica relatio de numis Bavaricis* 440
Oetteri (*Sam. Wilh.*) *Deliciae Heraldicae Hebdomadales*, Pars I. II. III. 433
Schelhornii (*Io. Georg.*) *Amoenitates hiſtoriae litterariae et eccleſiaſticae.* Vol. I. Pars III. et IV. 34
Schwarz (*Godofr.*) *Samuel Rex Hungariae, qui vulgo Aba audit,*

dit, ex hiſtorico et ſimul numario monumento, tam nomini quam populo ſuo reſtitutus. 381
de Stetten (*Pauli*) *Hiſtoria Patriciorum S. R. I. Liberae Civitatis Auguſtanae.* 25

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Auctores Claſſici, Philologi, Miſcellanei.*

Abreſch (*Frid. Lud.*) *Animadverſionum ad Aeſchylum* Liber Tertius. *Accedit Dilucidationum Thucydidearum Auctarium.* 354
Bos (*Lamb.*) *Ellipſes Graecae, ſive de vocibus, quae in ſermone Graeco per ellipſin ſupprimuntur, cum Doct. Viror. Chriſt. Schoettgenii, I. G. S. Bernholdi, I. F. Leisneri Obſervationibus, quibus et ſuas adiecit N. Schwebelius* 121
Collectio *Diſſertationum de Pantheo Sacro Ariminenſi.* 528
Gottſchedii (*I. C.*) *Diſſertatio altera pro Rationis Sufficientis Principio, adverſus* Faſſonii, *V. Cl. obiectiones.* 519
Herodoti *Hiſtoriarum Libri VIII. Graece et Latine ex* L. Vallae *interpretatione, cum adnotationibus* Th. Galei *et* Iac. Gronovii, *itemque* L. C. Valckenarii *et ſuis, curavit* Petrus Weſſelingius. 289
Khell (*Ioſephi*) *de Numismate Auguſti aureo, formae maximae, ex ruderibus Herculani eruto, et Praefationi* Tomi II. *Picturarum, ſubiecto, Libellus.* 591
Lamberti (*I. H.*) *Novum Organon, ſive Meditationes de inquirendo et conſignando vero, eoque diſtinguendo ab erroneo et mere adparenti.* 329
Laſteſii (*Nat.*) *Epiſtola ad Clariſſ. Cortonenſium Academiam, de Muſeo* Phil. Farſetii. 185
Mariotti (*Auguſt.*) *de Numo Neptuni argenteo incuſo Commentariolus.* 307

Micha-

Michaelis (*I. Dav.*) *Quaeſtiones Societati doctorum virorum in Arabiam iter parantium propoſitae.* 154
Ocellus Lucanus, *Graece et Gallice, adiunctis diſſertationibus, de praecipuis argumentis Metaphyſices, Phyſices ac Moralis ſcientiae veterum per D.* d' Argens 212
Ogerii (*Paul. Mariae*) *Graeca et Latina Lingua hebraizantes, ſeu de Graecae et Latinae Linguae cum Hebraica aſſimitate Libellus, cui accedit brevis Tractatus de Linguae Italicae Hebraismis.* 447
Onoſandri *Strategicus, ſive de Imperatoris inſtitutione Liber, ad Codd. Mſ. fidem expreſſus et illuſtratus. Cura* Nic. Schwebelii. 201
Reiske (*Io. Iac.*) *Animadverſionum ad Graecos Auctores* Volumen Quartum, *quo* Polybii *reliquiae pertractantur.* 400
Stoſch (*Ferdin.*) *Antiquitatum Thyatirenarum Libri II.* 395
Supplementum *ad Novum Theſaurum veterum Inſcriptionum Cl. V.* Lud. Ant. Muratorii. 77
Theophraſti *Characteres. Recenſuit, animadverſionibus illuſtravit, atque indicem verborum adiecit* I. F. Fiſcherus. *Acceſſit Commentarius* If. Caſauboni. 465
Timaeus Locrenſis *Graece et Gallice, adiectis Diſſertationibus, de praecipuis quaeſtionibus ex Metaphyſica, Phyſica, Morali Veterum, auctore Dno.* D' Argens. 373
Vattel (*de*) *Quaeſtiones de Iure Naturae et Obſervationes in* Bar. de Wolf *de Iure Naturae Commentarios.* 429
de Venutis (*Phil.*) *Expoſitio duodenorum numismatum antehac ineditorum.* 486
Winckelmanni (*Abbatis*) *Gemmae Scalptae Baronis Stoſchii, deſcriptae et dicatae Emin. Card. Alex. Albani* 1
— — — *Obſervationes ſuper antiquorum aedificandi ratione.* 429
Xenophontis *opera, Graecae et Latine ex recenſione* Eduardi Wells. *Accedunt Diſſertationes et Notae virorum doctorum cura* Car. Aug. Theme, *cum praef.* Io. Aug. Erneſti. 491

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

de Aba, *Rege Hungariae, eodem cum Samuele, R. Hung.* 385

de Aberrationibus *radiorum luminis in lentibus ſphaericis refracti definiendis et corrigendis* 105

Abraxas *in gemmis* 24

de Academia Franciſcea *Auguſtana quaedam* 433

Academiae *Scient. Petropolit. Commentarii* 241

de Actionibus *naturalibus quaedam* 423

Actorum *Comitialium ſub Frid. III. Imper. Collectio* 81

de Acu *magnetica* 583 ſq.

Acus *nauticae nova deſcriptio* 273

S. Adalberti *res geſtae* 166

Adparens *quomodo a vero diſtinguendum?* 329. 352

Aedificandi *ratio veterum illuſtrata* 429

M. Aemilii Aemiliani *numus* 490

de Aequilibrio *virium corporibus applicatarum* 273

de Aequationum *differentialium integratione* 241

de Aëre *variae obſervationes* 413

Aeſculapius *in gemma* 17

de Aeternitate *mundi Argenſii ſententia* 229

de Ageſilai *vita Xenophontea* 305

Alethiologia, *pars novi Organi Lambert.* 344

Albanenſis *Eccleſiae origines* 364 ſq.

Alexandri *Severi numus* 489

de Algebraicarum *functionum factoribus trinomialibus realibus* 259

de Amore *erga inimicos, ex praeceptis iuris naturae* 425

de Analyſi *geometrica* 554

Animae *immortalitas utrum ex ratione cognoſcatur?* 258

Animalia *in gemmis veterum* 24

Animalium *carnibus utrum veſci liceat?* 424

— — *icones pictae edendae* 189

de Antiquitatibus *Thyatirenis* 395

An-

Digitized by Google

Antoniae *Auguſtae* *numus* 487
M. Antonii *Triumviri numus* 487
Antwerpienſes *Jeſuitae refutati* 381
Anubis *in gemma* 8
Anuli *ſymbolici in gemmis* 23
Apollo *Actiacus in numis* 615
— — *in gemma* 17
Aquila *duplex, inſigne Imperii, quando adhibita?* 434. 437 ſq.
— — *aliae in eandem obſervationes* 436 ſq.
in Arabiam *proficiſcentibus eruditis viris quaeſtiones propoſitae* 154
Arabica *lingua ad illuſtrationem Hebraicae translata* 71 ſq.
Archiepiſcopale *Moguntinum inſigne illuſtratum* 439
Argenſius *Ocellum et Timaeum vertens, notatus* 212 ſq. 374 ſq.
de Ariminenſi *Pantheo Sacro Diſſertationes* 528
Ariſtotelis *Organon laudatum* 330
Arithmetica *theoremata, nova methodo demonſtrata* 249
Arma *Martis in gemmis* 16
de Armorum *rege* 434
de Arnulpho, *Germaniae Rege, quaedam* 139
de Attractione *magnetica* 530
de Attritu *lentium, dum ſuper catinis poliuntur* 269
in Auctores *veteres Graecos obſervationes Reiskii* 400
Auguſtanae *Urbis Imp. familiae Patriciae deſcriptae* 25
— — *ſocietates familiarum* 32 ſq
Auguſti *numiſma aureum Herculanenſe illuſtratum* 591 ſq.
— — *victoriae in numis expreſſae* 599
— — *de eius carmine; Sicilia, diſquiſitio* 608 ſq.
de Ant. Auguſtini *bibliotheca, libro rariſſimo* 453

B.

de Babelica *confuſione* 450
Baconis *Verulamii Organon ſcientiarum laudatum* 330
de Bavaricis *numis relationes* 440
Beleni *vox quid ſignificet?* 532
Belii (*Cor. Andr.*) *diſputatio de cauſis pacis Crepiacenſis* 535
Bellarminus *notatus* 374
de Bello *Polonico A. 1733.* 501
Bellum *Troianum in gemmis* 19
Bibliotheca *Latina N. T. vetuſtioris Eccleſiae, adornanda a Semlero* 409

de Bi-

Digitized by Google

de Bibliotheca *Vaticana quaedam* 36

de Binomio *ad potentiam indefinitam elevando* 258

a L. G. Boehmio *Acta Pacis Olivenſis eduntur* 233

Bohemiae *Origines Eccleſiaſticae* 165

Bos (*Lamb.*) *Ellipſes graecae, iterum editae, cum multis Viror. Doct. obſervationibus* 121

de Bosniae *hiſtoria quaedam* 367. 368

de Bracteatis *numis quaedam* 441

de *Henr.* Brenckmanno *et de eius Mſctis narratio* 453

de *Ant.* Brucioli *vita, ſcriptis et cautionibus ſacris adhuc ineditis quaedam* 35. 38

de *Iord.* Bruni *Nolani libro quodam* 37

Bulgarica *hiſtoria illuſtrata* 141. 383 ſq.

Bulla *aurea cur a Carolo IV. filis flavis et nigris munita ſit?* 438

de Burgenſibus *quaedam* 29

C.

de Caeſarum *numis, qui Duces Bavariae non fuerunt* 442

de Caloris *gradibus ſummis, quos certa fluida ferre poſſunt* 217

de Cameracenſis *foederis cauſis* 498

de Campi *delineatione ichnographica, independenter ab omni baſi, perficienda* 143

de Cancellariae *Equeſtris receptione in Civitates Imperii Germ. diſputatio* 51 ſq.

Canopus *in gemma* 8

ex Caroli XII. *R. Suec. hiſtoria quaedam* 389 ſq.

de Carolo M. *quaedam* 180

— — *Guſtavo R. Sueciae* 238 ſq.

Carolus V. *cur pacem Crepiacenſem repente inierit?* 535 ſq.

— — *in hiſtoriam eius obſervationes* 500

in Carteſii *locum quendam obſervationes* 255

Carthaginienſis *reipublicae hiſtoria illuſtrata* 594 ſq.

de *Io.* Caſimiro *R. Poloniae* 236

Cautelae *circa obſervationes meteorologicas* 279

Ceres *in gemma* 12

Chreſtomathia *Iuris Enniana* 105

de Chriſtiano II. *Rege Septentrionis* 500

Chrobatiae *res illuſtratae* 168. 170

de Cicadarum *diverſis generibus in Oriente* 156

de Cir-

de Circuli *quadratura* 255
Clementis XI. *Pont. Max. numus* 535
Codicis *Mſcti Hebr. Bibl. deſcriptio* 229
de Colliſionis *legibus* 419
Comitialia *Acta ſub Friderico III. Imp. collecta* 81
Concilia *Germaniae, collecta ab Harzhemio* 41
Confeſſariorum *pax quaenam ſit?* 550
de Conicis *ſectionibus* 253
Convivia *in gemmis* 22
S. Corbinianus *in numis* 443
de Corporibus *variae obſervationes* 415
Creichovici *pagi primores viri diſceptant de tabulario ſuo cum urbe Heilbronna* 55
Crepiacenſis *pax repentina e quibus cauſis profluxerit?* 535
Criticae *Commentationes* 225
Crocodilus *in numis Auguſti* 599. 600
Cupido *in gemmis veterum* 15
de Cupparum *combuſtione in Magdeburgo* 182
Currus *Dei ſtylo eccleſiaſtico quid?* 439
Curvarum, *maximum vel minimum efficientium, inveniendi methodus univerſaliter, et ex analyticis principiis demonſtrata* 502
Cybele *in gemmis* 9

D.

Dalmaticae *Eccleſiae origines* 168
de Dei *amore ex Iuris Naturae praeceptis* 426
— — *notione inſita in animis hominum* 224
Diadumeniani *Caeſaris numus* 489
Diana *venatrix in numis* 593
— — *an pro Sicilia poſita ſit?* ib. ſq.
— — *in gemma* 12
Dianoilogia, *pars novi Organi ſcientiarum* 331 ſq.
Dictum *de omni et nullo, an omnibus figuris ſyllogiſticis inſerviat?* 337
Dii *Deaeque maiores pro urbibus et provinciis in numis numquam poſiti* 594
de Dioptrico *teleſcopio perficiendo* 105
de Dracone *in Halberſtadio* 182
Ducale *inſigne Franconicum illuſtratum* 438
de Dynamico *problemate quodam obſervationes* 485

E.

de Elaſtica *vi corporum ſolidorum* 420

de Elaſtrorum *compreſſione ac reſtitutione diſquiſitio* 472
Ellipſes *Graecae illuſtratae* 121
Enniana *Chreſtomathia Iuris* 112
Epiſcoporum *Bavaricorum numi* 442
de Equeſtris *Cancellariae receptione in liberis civitatibus Imp.* 51
Eumenides *Aeſchyli illuſtratae* 355
Europe *in gemma* 11

F.

de Phil. Farſetii *Muſeo* 185
contra Liber. Faſſonium *diſputatio* 519
Ferrarienſis *rei monetariae hiſtoria* 533
Ferrum *magnetica vi praeditum cur a magnete differat?* 581
de Figuris *heraldicis quaedam* 436
Florentinae *Pandectae collatae a Brenckmanno* 456
an in Fluidis *omnibus re ipſa ſit motus inteſtinus?* 417
de Fluidorum *reſiſtentia* 262
de Franciſcea *Academia Auguſtana quaedam* 433
Franciſci *I. R. Gall. cum Carolo V. bella et induciae* 536 ſq.
Franconicum *inſigne Ducale illuſtratum* 438
Friderici III. *Imp. hiſtoria illuſtrata* 81
de Frigoris *gradibus ſummis, quos certa fluida ferre poſſunt* 277
Friſingenſium *Epiſc. numi* 443
de Functionum *Algebraicarum integrarum factoribus trinomialibus realibus* 259

G.

Gandavenſes *motus ſub Carolo V.* 537
de Gaudentii *martyrio Ariminenſi ficto* 530
de Gebaueri (*G. Chriſt.*) *laboribus in Corpore Iuris Civilis* 453
Gemarae *verſio paratur a Rabio* 519
Gemmae *ſculptae plurimae deſcriptae* 1 ſq.
Geometria *quem uſum capiat ex Semiotica Matheſi?* 551
Germaniae *Concilia collecta ab Harzhemio* 41
Germanicarum *rerum monumenta inedita* 173
Graeca *vocabula et phraſes illuſtratae* 123 ſq. 20 ſq. 467 ſq. 296 ſq. 397 ſq. 402 ſq. 355 ſq.
Grae-

Graeca *lingua hebraizans* 447
de Graecorum *templis* 431
Grotii *duae epiſtolae ineditae* 36

H.

Halberſtadienſium *rerum monumenta inedita* 173
Halonum *extraordinariarum deſcriptis* 280
Hanovii *in Phyſicam merita* 413 ſq.
— — *ſententia, de Samuele Rege Hungariae oppugnata* 382
Harpocrates *in gemma* 7
Hauſenii *Geometrae laudes* 553
Hebraica *vocabula illuſtrata* 448 ſq. 68 ſq.
Hebraicae *linguae Graeca et Latina adfines* 447
Heilbronnenſis *Civitatis diſceptatio cum Equitibus Imp.* 55
Heracliorum *nummus* 491
Heraldicae *ſcientiae illuſtratio* 433
de Herbipolitanis *epiſcopis obſervationes* 438
Hercules *in gemma* 18
Herodoti *nova editio, a Weſſelingio curata* 189
Herold *vox unde deducenda ſit?* 434
Hieroglypha *in gemmis* 5
Hiſpania *in nummis* 595
de Hiſpanico *bello a. 1700 ſq.* 388
Hiſtoria *annorum 1700-1710. illuſtrata* 388
de Hiſtoriae *antiquae et recentioris rebus memorabilibus* 493
— — *dignitate et conſcribendae ratione* 381
ab Horologiis *duobus petitum exemplum contra principium rationis ſufficientis* 525
Hungaricae *hiſtoriae ab a. 1705-1708. illuſtratio* 394
Hungarorum *Origines eccleſiaſticae* 164
de Hydrope *peritonaei* 90

I.

de Ichnographica *campi vel regionis delineatione, independenter ab omni baſi perficienda* 143
Icilius (*Sext.*) *pro Sicilia, in nummo Auguſti reponendus* 610
de Iconibus *animalium edendis* 199
de Ideis *compoſitis, praecipue abſtractis* 345
Illyrici *origines eccleſiaſticae* 168
de Inertiae *vi, eiusque centro in corporibus ſolidis* 419

Inſcriptionum *veterum novus theſaurus edendus* 77
Inſtrumenti *cuiusdam, nautis loco barometri inſerrituri, deſcriptio* 272
de Integratione *aequationum differentialium* 241
Iſidis *ſignum an pro Africa poſitum in numo?* 595
Iſis *et Oſiris in gemma* 6
de Italicae *Linguae Hebraiſmis* 447
Iuno *in gemma* 41
Iupiter *Axur, Serapis, Ammon, Apomyos in gemmis* 9. 10
Iuris *Chreſtomathia Enniana* 112
in Iuris *Civilis Corpore labores Gebaueri* 453
Iuris *Romani difficiliora capita explicata* 125
Iuriſconſultorum *omnium vita et ſcripta enarranda* 118
Iurisprudentia *numismatibus illuſtrata* 323
Ius *Naturae variis obſervationibus illuſtratum* 421
Iuſtinianeorum *librorum Iuris nova editio qualis exoptanda?* 452 ſq.

K.

Kalendaria *Eccleſiae univerſae, inprimis Graeco-Moſchae, illuſtrata* 131 ſq. 161 ſq. 364 ſq.

L.

Latina *lingua hebraizans* 447
— — *bibliotheca vetuſtioris eccleſiae in N. Teſtamentum adornanda* 409
Leibnitius *defenſus* 378 ſq. 519 ſq.
de Lentium *motu et attritu, dum ſuper catinis poliuntur* 269
de Lepra *obſervatio* 518
— — *quaeſtiones propoſitae* 355
de Libra *Ferrarienſi* 534
de Linguarum *affinitate in genere, praecipue Graecae, Latinae et Italicae cum Hebraica* 448
Lucilla, *ſoror Commodi, in numo* 488
Luminis *radiorum aberrationes in lentibus ſphaericis refracti* 105
Lunares *obſervationes* 287
de Lydia *in Actis Apoſt.* 399 ſq.

M.

Machinarum *duarum deſcriptio* 272
Magdeburgicarum *rerum monumenta inedita* 173
de Magnanimitate *quaedam* 424
Magnetis *vis explicata* 577 ſq.

de Ma-

de Manato *quaedam* 157
Manliae *gentis numus* 486
de Manno, *Arabiae regulo* 483
de Manu *Marina* 445
Mariti *et uxoris utrum aequalis ſit poteſtas?* 429
Mars *in gemmis* 16
Marſyas *in gemma* 17
Matheſeos *Semioticae uſus* 551
de Maximo *et Minimo, quod curvae efficiunt* 502 ſq.
Mercurius *in gemma* 13
circa Meteorologicas *obſervationes cautelae* 279
Minerva *in gemmis* 12
Miſchnae *verſio Germanica perfecta* 515
Moguntinum *inſigne Archiepiſcopale illuſtratum* 439
de Moleculis *corporum* 416
Moralis *ſcientia methodo geometrica tradi non poteſt* 425
Moravica *hiſtoria illuſtrata* 132
Morborum *hiſtoriae binae rariores* 90
num Mundus *hic optimus ſit?* 378
Muſchenbroekii *laudes, et in Phyſicam merita* 413. 58

N.

Naturae *Ius illuſtratum* 421 ſq.
Nauticae *acus nova deſcriptio* 273
Neptuni *numus argenteus incuſus* 307
Newtoni (*Henr.*) *vita* 463 ſq.
de Numis *Ferrarienſibus diſquiſitio* 533
— — *Bavaricis narratio* 440
Numiſmatum *nondum editorum XII. expoſitio* 486
Numus *Samuelis Regis Hungariae* 381
— — *Neptuni argenteus incuſus* 307

O.

Oba, Obo *et* Ovo, *Rex Hungar. idem qui et Samuel audit* 385
de Obligatione *hominis ad felicitatem et virtutem* 422
Ocellus *Lucanus editus et illuſtratus ab Argenſio* 212
P. M. Ogerius *notatus* 452
de Olei *vi ſanandi* 155
Olivenſis *Pacis Acta, edita a Boehmio* 233
Onoſandri *Strategicus, editus et illuſtratus a Schwebelio* 201
Organon *novum ſcientiarum a Lamberto editum* 329

P.

de Pace *Crepiacenſi diſputatiuncula* 535

Mmmm Pacis

Pacis *Oliwenſis Acta edita* 233
de Pandectis *Florentinis* 456
de Pannonia *obſervationes* 386
de Pantheo *Sacro Ariminenſi* 528
Patriciorum *urbis Auguſtanae hiſtoria* 25
de Peritonaei *hydrope* 90
Philologicae *commentationes* 225
Philoſophicae *diſquiſitiones Argenſii* 478 ſq.
Phyſicae *quem uſum praebeat Semiotica Matheſis?* 551
— — *generalis methodo mathematica tractatio* 413
de Pindarici *carminis genio* 226
Piſcium *rariorum deſcriptiones* 283
Planci (*Iani*) *Diſputatio pro Pantheo Sacro Ariminenſi* 528 ſq.
Plantarum *rariorum deſcriptio* 276
Plinii *loci explicati* 431. 395
Pluto *in gemma* 13
de Poetarum *ſtatuis et ſignis obſervatio* 605 ſq.
Poloniae *Origines Eccleſiaſticae* 165
de Polonico *bello anni 1733.* 501
in Polybium *animadverſiones plurimae Reiskii* 400 ſq.
de Praeconibus *quaedam* 434
Principium *rationis ſufficientis defenſum* 519
Aur. Probi *numus* 490
ad Pulchritudinem *corporis augendam an homo obligetur ſemper?* 424
de Punico *bello ſecundo* 497
de Purificationibus *Iudaeorum ſcita* 515 ſq.

R.

de Radiorum *luminis in lentibus ſphaericis refracti aberrationibus definiendis et corrigendis* 105
de Rákotzio *principe quaedam* 393
Rationis *ſufficientis principium defenſum a Gottſchedio* 519
REST. *quid haec vox in pluribus numis Tuti et aliorum deſignet?* 597
Romanorum *animus in Carthaginienſes, et de iis narrationes* 496 ſq.
— — *aedificandi ratio illuſtrata a Winckelmanno* 429 ſq.
Ruſſiae *locorum inſignium poſitio inveſtigata* 284
Ruſſorum *hiſtoria illuſtrata* 162

S.

de Salisburgenſibus *monetis quaedam* 442

Samu-

Digitized by Google

Samuel *Rex Hungariae nomini et populo ſuo reſtitutus* 381
— — *Rex Bulgariae* 383
Saturnus *in gemma* 8
de Saxonibus *antiquis varia* 180 ſq.
Scarellae (*I. B.*) *inquiſitio in vires magnetis laudatae* 579
— — *in phyſicam univerſam merita* 413
Script. S. *loca illuſtrata:*
Gen. I, 1. 379
XI, 7. 74
Levit. XI, 32. 517
Num. IX, 14. ibid.
XXXI, 20. ibid.
Pſ. LXXIII, 15. 70
CXVI, 1. ibid.
LIX, 4. 71
Ierem. VII, 31. ibid.
Ezech. I, 15 16. 439
III, 15. 70
XVII, 3. 7. 439
XIX, 13. 73
Hoſ. XI, 4. 73
Mich. VII, 4. 72
Ior. I. 4. 73
Ioh. VI, 25. 468
Act. XVI, 14. 15. 399
XXI, 17. 468
Rom. IV, 17. 379
Apoc. II, 20. 21. 23. 397 ſq.
Semele *in gemma* 11
de Semioticae *matheſeos uſu in geometria et phyſica* 551
Sexvir *Auguſtalis et Sexvir ſimplex, utrum idem ſint?* 531
Sicilia *in numis et Siculae Auguſti victoriae* 593. 596 ſq.
Sigilla *Caeſarum, Regum, Principum, Nobilium et Urbium illuſtrata et illuſtranda ab Oettero* 434
Slavicae *Eccleſiae Kalendaria* 131. 161
Smalcaldicorum *Foederatorum arma num Carolum V. ad pacem Crepiac. ineundam adegerint?* 542 ſq.
Stoſchii *Baronis gemmae ſcalptae deſcriptae* 1 ſq.
Suecica *hiſtoria illuſtrata* 390 ſq.
Supplices *Aeſchyli illuſtrati* 358
de Syllogiſticis *figuris obſervationes* 337
Syntaxeos *theoria* 350

T.

Talmudis *Textus Germanice verſus et illuſtratus a Rabio* 515
de Taurelliorum *fide in edendis Pandectis* 454 ſq.
de Teleſcopio *dioptrico perficiendo* 105
de Templis *Graecorum* 431
Tentoriorum *immundities, ex mente Iudaeorum* 517

N. Teſtamenti *Bibliotheca Lat. a Semlero adornanda* 409
de Tethyi *genere duplici* 445
Theophraſti *Characteres, editi et illuſtrati a Fiſchero* 465
— — *a quibus illi editi ſint, et quomodo?* 466
Thycydideae *dilucidationes* 354
Thyatirenae *antiquitates illuſtratae* 395
Timaeus *Locrenſis, Graece et Gallice, adiectis diſſertationibus, editus* 373
G. Torquati *Annales editi* 173
Sab. Tranquillinae *Auguſtae numus* 488
Troianum *bellum in gemmis* 19
Tropaeum *navale in numis* 604
Turcarum *cum Gallis ſocietas* 539 ſq.

V.

Vectis *ferrei experimentum* 585
de Vectis *proprietate nova* 271
Venus *in gemma* 14
Virium *vivarum diſquiſitio accuratior* 472
Virtutem *ſimulare utrum liceat?* 427
Ulyſſis *reditus in gemma* 20
erga Vitam *aliorum officia hominum* 428 ſq.
Voluntas *humana utrum ſufficiens ſit actionum ſuarum ratio?* 520
Magnia Urbica *Aug. in numo aureo* 490

W.

Wolfii (*Chriſt.*) *Ius Naturae illuſtratum* 421

X.

Xenophontis *opera, edita a Thiemio* 491

Z.

Zodiacis *ſigna duodecim in gemma* 17
de Zoophytis *tribus* 445

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google